

EIUSDEM AUCTORIS

PRAELECTIONES SCHOLASTICAE, vol. XII, In 8."

- I. *De fine ultimo hominis*, Madrid, 1954, pp. X-120.
 - II. *De actibus humanis*, Romae, 1950, pp. XI-299.
 - III. *De habitibus et virtutibus in communi*, Romae, 1950, pp. XVI-281.
 - IV. *De vitiis et peccatis*, ed. 2.ª, Madrid, 1958, pp. XII-198.
 - V. *De lege*, Madrid, 1953, pp. XI-193.
 - VI. *De gratia*, Romae, 1947, pp. XII-191.
 - VII. *De fide*, Romae, 1937, pp. XII-199.
 - VIII. *De spe et caritate*, Madrid, 1954, pp. XII-256.
 - IX. *De prudentia*, Madrid, 1952, pp. XI-120.
 - X. *De iustitia*, Romae, 1938, pp. XVI-456.
 - XI. *De fortitudine et temperantia*, Romae, 1939, pp. XII-224.
 - XII. *De statibus hominum variis*, Madrid, 1958, pp. XII-224.
- CASUS CONSCIENŦIAE, in 8."
- I. *De principiis*, Madrid, 1960, pp. XVIII-268.
 - II. *De virtutibus theologis*, Madrid, 1961, pp. XXI-335.
- CASOS Y LECCIONES DEL QUIJOTE, ed. 2.ª, Madrid, 1952, pp. 208.
- LA CONTINENCIA PERIODICA, Madrid, 1956, pp. 42.
- HONRADEZ Y PROSPERIDAD, Madrid, 1957, pp. 42.
- „LA OBEDIENCIA, Madrid, 1957, pp. 103.
- PSICOLOGIA DE LAS PASIONES, Madrid, 1958, pp. 182.

LARRAGA-LUMBRERAS

- Prontuario de Teologia Moral*, Madrid, 1950, pp. 596-599.
- Epitome de Teologia Moral*, Madrid, 1953, pp. 680.

CASUS CONSCIENŦIAE

ANTIQUI ET RECENTIORES

QUOS SOLVIT ET COLLEGIT

PETRUS LUMBRERAS, O. P.

APUD «ANGELICUM» DE URBE SUMMAE THEOLOGICAE PROFESSOR
AD S. APOLLINAREM CASUUM MORALIUM CENSOR
DATARIAE APOSTOLICAE THEOLOGUS
SACRAE PAENITENTIARIAE CANONISTA
SOCIUS PONT. ACADEMIAE ROM. S. THOMAE

III

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS

LIBRARY
ST. MARY'S U School of Divinity Library
ST. I ,U. st Louis, Missouri 63108.
10

EDICIONES STUDIVM

MADRID

· 4- 7

PONTIFICIUM ATHENAEUM «ANGELICUM.

1 · 3

ROMAE

Nihil obstat

P. Ludovicus Bender, O. P.

S. Th. Mag.

P. Felix W. Bednarski, O. P.

S. Th. Mag.

Imprimi potest

Fr. Anicetus Fernandez, o. P.

Mag. Gen.

Imprimatur

E Vicariatu Urbis, 5 nov. 1962.

* Aloysius, Card. Traglia,
Provicarius.

W £

N.« Registro: 1553-62.

Depósito legal: M. 1950,—1960

Bolano» y AxuJar. S. L.

Jo' -0. · Madrid, 195^

L. S.

Ordinem tenentes dignitatis quam quaelibet e cardinalibus virtutibus sibi vindicat quamque cuique servabit communis usus, agemus imprimis de prudentia, exinde de iustitia, postea de fortitudine, demum de temperantia.

Cum prudentiae adscribenda sit efformatio conscientiae rectae, casus de conscientia intra primum tractatum continentur.

Alterum satis productum in D. Thoma novimus. Quia enim virtuti cardinali adiungere oportebat virtutes ei adnexas, ne praetermitteretur moralium quidpiam (prol. in II-II), iustitiae adnumerantur religio, pietas, vindictio et veracitas. Porro iustitiae commutativae actus, restitutio; iniuriae in commutationibus involuntariis nonnullae fiunt opere, tum in personam—uti homicidium—tum in bona exteriora—sicut furtum—, aliae contingunt verbo, in iudicio aut extra; in iniuriis autem quae locum obtinent in commutationibus voluntariis, usura. At cum furti malitia in acceptione consistat rei alienae, Angelicus praemisit duplicem articulum (q. 66, aa. 1-2) de iure proprietatis privatae; hinc de dominio sermo atque domini originariis titulis. Quoad religionis actus et vitia opposita, Aquinatis sequimur dispositionem lucidam. Cum in officiis, denique, pietatis primaria sint filiorum ad parentes, de eis disserimus (aliter ac plures ex Auctoribus) priusquam de parentum obligationibus erga filios.

In tractatibus de fortitudine et temperantia, ob al-
latam rationem, capita damus de inani gloria atque pa-
tientia, de iracundia, humilitate, studiositate et eutra-
pelia—quoad lusoria corporis exercitia.

Romae, die 9 iulii 1961, in festo S. Ioannis de Colo-
nia, M., O. P.

Auct or

INDEX

DE PRUDENTIA

	an.
Virtutum in prudentia conexio.....	1-11
Doctrina	1-3
Causus I: Parochus plissimus sed Intemperatus; sacri- sta vlr tuosus sed Iracundus.....	4-6
C. II: Conexio virtutum quarum materia raro occur- rit	7
C. III: Fides et spes, num conexae cum prudentia in- fusa	8
C. IV: Vitium ac virtus sive acquisita sive infusa.....	9
C. V: Num virtus acquisita sit potiorls efficaciae.....	10
C. VI: Vitiosus recens iustificatus.....	11
Conscientiae ad prudentiam cognatio.....	12-23
Doctrina	12-15
Causus I: Num iudicium speculativum sit conscientiae, prudentiae vero practicum	16-18
C. II: Conscientia recta atque prudentia in peccato- ribus	19
C. III: Iudicium prudentiae atque conscientiae sine consilio	20
C. IV: Iudicium electionis contrarium conscientiae...	21
C. V: Sequens conscientiam et agens Imprudenter.....	22
C. VI: Cur D. Thomas nullibi dixit conscientiam esse prudentiae actum	23
Conscientia scrupulosa	24-35
Doctrina	24-26
Causus I: Confessarius scrupulosus quoad paenitentiae dispensationem, missae celebrationem et argu- mentorun solutionem	27-30
C. II: Non audens agere contra scrupulos.....	31
C. III: Oblclens confessarium fallibilem.....	32

	u n .
C. IV: Timor scrupulosi quoad attentionem in oratione et confessionis integritatem.....	33
C. V: Anxius de confessionibus anteactis.....	34
C. VI: Signa scrupulosorum	35
U s u s P R O B A B I L I T A T I S	36-48
Doctrina	36-39
Causus I: Baptizans adultum sine fide explicita circa Incarnationem, aut cum materia probabiliter valida; absolvens in dubio positivo et probabili iurisdictionis	40-43
C. II: Dubitans num absolverit paenitentes.....	44
C. III: Imprudenter ducens raedam automobilisticam	45
C. IV: Cur in iustitia commutativa pars tutior secunda	46
C. V: Magistratus quomodo procedere debeat in causis dubiis	47
C. VI: Medicus quoad remedia adhibenda.....	48
P r o b a b i l i t a t i s s y s t e m a t a	49-60
Doctrina	49-52
Causus I: Confessarlus appellans ad communem sensum, ad prudentiam, ad rectam intentionem.....	53-55
C. II: Num lex sit insufficienter promulgata quando non certo constat ipsa urgere.....	56
C. III: An obligatio obiective incerta sit subiective nulla i.....	57
C. IV: An permittenda peccata materialia potius quam urgere legum Incertarum obligationem...	58
C. V: Systema compensationis et doctrina de voluntario indirecto	59
C. VI: Principium «Lex dubia non obligat».....	60

DE IUSTITIA

R e s t i t u t i o n i s r a d i c e s	61-73
Doctrina	61-64
Causus I: Filius conscius In iustitiae patris num teneatur hunc monere et an adire possit hereditatem	65-67
C. II: Bonae fidei possessor rem vendens, donans, consumens

	n n
C. III: Dubiae fidei possessor num valeat rem vendere	69
C. IV: Donationem impediens	70-71
C. V: Precibus impediens collationem beneficii.....	72
C. VI: Compensatio damni gravis Illati cum culpa levi	73
Causae a restitutione excusantes	74-84
Doctrina	74-75
Causus I: Dolis ac fallaciis ditatus, num a restitutione excusetur ob ignorantiam creditorum, futuram inopiam vel Infamiam.....	76-79
C. II: Debitum solvens creditori creditoris sui.....	80
C. III: Cessio bonorum, quae eximat a restitutione....	81
C. IV: Dispensatis a restitutione damni exsecutoribus, an dispensetur mandans.....	82
C. V: Post Indultum compositionis dives effectus et creditorum cognitor	83
C. VI: Num paenitens teneatur in materia restitutionis stare iudicioconfessarii.....	84
Occulta compensatio	85-99
Doctrina	85-88
Causus I: Filius valedicens studiis ut patrem adluvet in gerendis negotiis seque compensans ob frustratam spem meliorationis in testamento atque ob coilatam operam	89-94
C. II: Filius se compensans de pecunia quam defunctus pater mutuavit nec recuperavit.....	95
C. III: Filia se compensans pro patre.....	96
C. IV: Filius se compensans de debitis ab heredibus mutuatarii	97
C. V: Mercatores se compensantes pondus vel mensuram minuentes	98
C. VI: Compensatio ante tempus mutui reddendi.....	99
Praescriptio extinctiva	100-110
Doctrina	100-103
Causus I: Quoad debitum non redditum, censum non solutum, legatum nonpraestitum.....	104-105
C. II: Praescriptionis valor in conscientia.....	106
C. III: Tacens ut liberetur aservitute.....	107
C. IV: Id. ut a debito.....	108
C. V: Locatarlus qui redditum annum non solverat.	109
C. VI: Non utens lure suo, manifestans tamen voluntatem non renuntiandi Ipsi.....	110

	na.
SUICIDIUM	111-120
Doctrina	111-112
Causus I: Navis praefectus manens in navi demergenda; velivolantes se praecipites deicentes in naves hostium	113-115
II: Puella se praecipitans ex turri ne stupretur....	116
III: Totalis abstinentia a cibo (<i>.hunger-strike'</i>) pro bono patriae	117
IV: Sanitati et vitae periculosas artes exercentes.	118
C. V: Locum damnati ad mortem sacerdos occupans.	119
C. VI: In communi necessitate extrema cedens proximo panem	120
Occisio innocentis	121-132
Doctrina	121-122
Causus I: Medicus suppeditans medicamenta nonnullis ex aegrotis, ceteros relinquens propriae sorti....	123-128
C. II: Puerum transfodiens quo, ante se posito, iniustus aggressor se defendit.....	129
C. III: Obsidis occisio ad vindicandam occisionem.....	130
C. IV: Occisio praedicatoris pro salute reipublicae....	131
C. V: Num cives sint membra reipublicae aequae atque brachia sunt membra corporis.....	132
Embryotomia	133-145
Doctrina	133-136
Causus I: Quid si probabiliter fetus non vivat.....	137-140
C. II: Cranlotomia; num fetus sit aggressor iniustus.	141
C. III: Quid si fetus ectopicus.....	142
C. IV: In praegnatione extrauterina, num saccus fetalis aequalparandus sit organo corrupto.....	143
C. V: Ius certum matris an praevaleat super ius dubium fetus	144
C. VI: Quid paracho vel confessario agendum si medicus suadeat embryotomiam.....	145
Sui ipsius defensio	146-156
Doctrina	146-148
Causus I: Sacerdos ad mortem quaesitus et in publicum diversorium se recipiens.....	149-151
C. II: Occisio Invasoris pudicitiae.....	152
C. III: Mariti praeveniens aggressionem.....	153
C. IV: Custos praeveniens aggressionem feripetae.....	154
C. V: Occisio aggressoris materialiter iniusti.....	155
C. VI: Obligatio defendendi proximum.....	156

	rui.
Mutilatio	157-165
Doctrina	157-158
Causus I: Transplantatio renis vel cornuae oculi.....	159-160
C. II: Amputatio membri sani sed corpori nocivi.....	161
C. III: Quid si nocivum ex una causa externa.....	162
C. IV: Castratio pro castitate servanda.....	163
C. V: Sterilizatio viri abnormaliter et pathologice erotici	164
C. VI: Cessio portionis sanguinis vel cutis.....	165
Dominium filiorum familias	166-176
Doctrina	166-169
Causus I: Filius adiuvans patrem in industria et se occulte compensans procooperatione.....	170-172
C. II: Lucrum ex pecunia patri sublata.....	173
C. III: Lucrum ex pecunia patris, eodem inscio.....	174
C. IV: Num laborans extra domum teneatur totam mercedem tradere parentibus	175
C. V: Filia se occulte compensans pro labore dome- stico dum frater, nedum pecuniis vacet augendis, eas contra dissipat	176
Uxorum dominium	177-187
Doctrina	177-178
Causus I: Debitum viri subscribens absque iuris sol- lemnitatibus num teneatur solvere ex bonis dota- libus	179-182
C. II: Inconsulto immo invito viro sumens ex commu- nibus bonis pro recreatione, muneribus, eleemo- synis	183
C. III: Subducens e bonis communibus pro viduitate.	184
C. IV: Id. pro parentibus vel pro filiis prioris matri- monii	185
C. V: Vir communia bona dissipans intra legis tamen concessionem	186
C. VI: Inconsulta uxore alienans bona dotalia vel male impendens horum fructus.....	187
Occupatio	188-198
Doctrina	188-190
Causus I: Eripiens ab extremo periculo res mox peri- turas	191-193
C. II: Examen apiumfugiens culus sit domini.....	194
C. III: Columbae in alienum columbarium se recipien- tes aut agris nocentes.....	195

	na
C. IV: Famula verrens cauponam et aureos Inveniens.	196
C. V: Torquem auream Inventam emens pro domino.	197
C. VI: Syngrapham loterlae proiectam colligens.....	198
Thesaurus	199-207
Doctrina	199-200
Causus I: In vetustissima laborans domo pecuniam Invenit historici valoris, cuius dimidiam partem sibi retinet aliamque cum domino domus vult di- visam	201-202
C. II: Inscio domino effodit agrum in quo thesaurum suspicitur	203
C. III: Agrum emens in quo thesaurum latere novit.	204
C. IV: Famula inveniens aureum atque gemmam in piscibus quos emerat pro domino.....	205
C. V: Inveniens fasciculum obligationum in veste ma- terterae defunctae	206
C. VI: Inveniens res pretiosas inter arenas quas con- ductus extrahit sub onere tradendi domino quid- quid pretiosi detegat	207
Accessio	203-220
Doctrina	208-211
Causus I: Aedificans in fundo alieno quem postea sibi vindicat et in iudicio obtinet.....	212-216
C. II: Unius arbor ramos protendens atque fructus in vineam alterius	217
C. III: Aedificans in fundo alieno ex materiis pro- priis et in fundo proprio ex materiis alienis....	218
C. IV: Imaginem depingens in tela aliena.....	219
C. V: Ex lana aliena conficiens pannum et aliena tum frumenta tum pecuniam miscens propriis....	220
Furtum	221-230
Doctrina	221-222
Causus I: Furatus syngrapham loterlae sorte ditatam.	223-225
C. II: Pecuniam alienam tradens furi qui mortem mi- nitatur	226
C. III: Pecuniam mutuatus ut mortem effugiat.....	227
C. IV: Furtum in necessitate gravi.....	228
C. V: Compensatio damni emergentis atque lucri ces- santis facienda a fure.....	229
C. VI: Parvam furatus agri frugiferi portionem.....	230

nn

Famulorum et famularum furta.....	231-239
Doctrina	231-232
Causus I: Domina iubente ut linthea mittantur Parisios abstergenda, mudanda et reficienda, famula tra- dit sorori; iussa emere res optimas, medias emit; in utroque casu sibi retinens pretii differentiam. Item differentiam pretii sibi retinens cum instans apud venditores dlminutionem obtinet.....	233-235
C. II: Famula retinens dlminutionem pretii eundem conveniens venditorem	236
C. III: Id. emens ab alio venditore quam domina de- finiverit	237
C. IV: Occulte se compensantes pro salario quod pu- tant insufficiens	238
C. V: Esculenta et poculentasubripietes.....	239
Obligaciones iudicis, rei actestium.....	240-248
Doctrina	240-242
Causus I: Reus negans, testes periurantes, iudex pri- vata scientia conscius culpabilitatis rei et falsi- tatis testium	243-244
C. II: Num iudex teneatur sententiam ferre ad acta atque probata	245
C. III: Num agat tunc contra propriam conscientiam.	246
C. IV: Iuste damnatus ut fame pereat, an teneatur sumere cibum clam sibi oblatum.....	247
C. V: Testium nemo se sponte offert; immo alius se occultat, et alius fugit; qui adstat profitetur se nihilscire	248
Detractio	249-261
Doctrina	249-252
Causus I: Parochus detrahens vicario suo.....	253-256
C. II: Revelatio criminum occultorum sive accusato- ris sive testium	257
C. III: Revelatio defectuum animi vel corporis natu- ralium	258
C. IV: Revelatio acceptae iniuriae, consolationis causa	259
C. V: Famae reparatio num apud immediatos aut etiam apud mediatos detractionis auditores....	260
C. VI: Causae a restitutione fama excusantes.....	261

	on.
Secretum commissum	262-273
Doctrina	262-265
Causus I: Secreti commissi revelatio ad impediendam publici muneris collationem	266-269
C. II: Id. ab interrogato in iudicio.....	270
C. III: Id. ad impediendum grave innocentis damnum.	271
C. IV: Id. pro correptione, si iuratum.....	272
C. V: Medicina utilissima, nota tamen sub secreto commisso	273
Secretum officii	274-284
Doctrina	274-277
Causus I: Medicus revelans perditos mores coniugis intendentis divortium	278-280
C. II: Amicus consultus de modo confitendi peccata num teneatur sacramental! sigillo.....	281
C. III: Quid agendum quando secretum instat reve- landum	282
C. IV: Medicus inveniens filium familias lue venereo infectum	283
C. V: Medicus conscius aegritudinis eius qui vult vi- tam assecurare	284
Susurratio	285-294
Doctrina	285-286
Causus I: Diffamans puellam cuius amasium sibi de- vincat	287-290
C. II: Cupiens amicitiam alicuius quam obtinere ne- quit nisi diffamans alium.....	291
C. III: Puella se gratiosorem exhibens ut alienum amatorem sibi comparet	292
C. IV: Discordias et dissensiones seminans.....	293
C. V: Discordiam creans inter prava amicitia iunctos.	294
Usura in mutuis	295-306
Doctrina	295-297
Causus I: Pecuniam pro negotiatione mutuatus cum lucro 25 %	298-301
C. II: Iudaeus volens in Ecclesiam recipi timens ta- men ne obligetur usuras reddere quas ipse atque maiores habuerunt a Christianis	302
C. III: Mutuarius usuras dans sponte sed ex timore.	303
C. IV: Mutuum sub fenore 10 % in biduo.....	304
C. V: Id. sub fenore 10 % annuo.....	305
C. VI: Id. cum ulteriori gravamine.....	306

Momentum et efficacia religionis in vita morali hominum	307-319
Doctrina	307-310
Causus I: Recidivus qui dubitat de religionis efficacia in lucta contra tentationes atque vitia.....	311-315
C. II: Num tr. de religione habeat in Summa D. Thomae locum humillimum	316
C. III: Obiciens Deum non egere nostris obsequiis.....	317
C. IV: Opponens quosdam homines carere religione et tamen servare obligationes erga proximos.....	318
C. V: Reipublicae senator cuius suffragium petitur pro vetando cultu religioso in fabricis.....	319
Oratio	320-331
Doctrina	320-322
Causus I: Num orans detrahat immutabili voluntati Dei	323-326
C. II: Obiciens Deum dare vel gratias non petitas.....	327
C. III: Oratio ad Sanctos proprii Ordinis religiosi.....	328
C. IV: Id. ad Sanctos minoris excellentiae.....	329
C. V: Id. ad animas purgatorii.....	330
C. VI: Novena superstitiosa	331
Voti natura et condiciones.....	332-344
Doctrina	332-335
Causus I: Puella 13 annorum vovens virginitatem.....	336-339
C. II: Votum castitatis observatu, ut dicitur, impossibile	340
C. III: Votum de non amplius peccando.....	341
C. IV: Votum non vovendi	342
C. V: Votum sub condicione.....	343
C. VI: Votum de re vana.....	344
Voti obligatio	345-355
Doctrina	345-347
Causus I: Voti obligatio post tempus definitum.....	348-350
C. II: Votum subcondicione voluntarie impedita.....	351
C. III: Votum disiunctivum	352
C. IV: Voti implendi tempus	353
C. V: Vota a Rectoribus communitatis facta.....	354
C. VI: Votum oboedientiae ad confessarium.....	355
Voti interpretatio	356-365
Doctrina	356-357
Causus I: Votum ieiunii an obliget si difficile sit impleri; item diebus festis	358-360

	na.
C. II: Vovens monasterium ingredi, ad quid teneatur si dimissus	361
C. III: Voti castitatis temporanei renovatio ex errore sine limitatione temporis	362
C. IV: Votum ieiunii num obliget sexagenarium.....	363
C. V: Votum de servanda Regula religiosa.....	364
C. VI: Votum emendationis	365
Voti dispensatio et irritatio	366-377
Doctrina	366-369
Causa I: Filiae atque uxor voventes peregrinationem; filia viginti annorum vovens ingressum religionis.	370-372
C. II: Vidua vovens non amplius nubere.....	373
C. III: Votum perpetuae atque perfectae castitatis emissum ante annum decimum octavum sed reno- vatum postea	374
C. IV: Vota subditorum irritans absque notitia voti specifici	375
C. V: Id. absque causa proportionata.....	376
C. VI: Patris familias potestas irritandi directe vota filiorum non emancipatorum	377
Iuramentum	378-388
Doctrina	378-380
Causa I: Nubilis puella an possit iuramento occultare pristinam pravam consuetudinem	381-383
C. II: Iuramentum absque animo iurandi.....	384
C. III: Iuramentum de puniendis filiis.....	385
C. IV: Iuramentum de donatione facienda, emissum sine intentione donandi, saltem non impletum....	386
C. V: Iusiurandum fidelitatis principi seu gubernio...	387
C. VI: Iusiurandum super Biblia protestantica.....	388
Divinatio	389-398
Doctrina	389-392
Causa I: Divinatio per astra	393-394
C. II: Divinatio per mediocerto improportionata.....	395
C. III: Id. in aqua pro uxore eligenda.....	396
C. IV: Id. per chartas ad detegendos fures.....	397
C. V: Sortes pro designando communitatis rectore....	398
Radiesthesia	399-408
Doctrina	399-401
Causa I: Pro detegendis furtiauctoribus.....	402-403
C. II: Pro sententia de adveniente superiore.....	494

	tttl.
C. III: Pro personarum circumstantiis	405
C. IV: Pro morbis detegendis	406
C. V: Virga divinatoria ad puteum effodiendum.....	407
C. VI: Critérium pro iudicando radiaesthesiae usu.....	408
Vanae observantiae	409-419
Doctrina	409-412
Causus I: Somniis duci in agendi ratione.....	413-415
C. II: Fides fascino data	416
C. III: Male ominosa	417
C. IV: Orationes superstitiosae	418
C. V: Ieiunium superstitiosum	419
Spiritismus	420-430
Doctrina	420-423
Causus I: Iuvenis spiritisticis sessionibus assistens.....	424-426
C. II: Communicatio cum spiritibus.....	427
C. III: Id. cum animabus purgatorii.....	428
C. IV: Num admittenda cum imperfectioribus ex istis.	429
C. V: Cuncta quae a spiritisticis mira celebrantur tri- buensartibus praestigiosis et fraudibus.....	430
Sacrilegium	431-440
Doctrina	431-433
Causus I: In ecclesia vacans libidinis cogitationibus et stimulis; oculis lascivis contuens feminas.....	434-435
C. II: Sacras species adducens in finem turpissimum.	436
C. III: An communicatio sacrilega sit maximum sacrile- giorum et peccatorum	437
C. IV: Plurium confessiones audiens in mortali.....	438
C. V: Obsoletas casulas et pluviam cedens familiae pauperi; mappas altaris adhibens ad convivii men- sas operiendas	439
C. VI: Num falso denuntians confessarium de solli- citatione sitreus sacrilegii	440
Simonia	441-450
Doctrina	441-443
Causus I: Stipem supra taxam dioecesanam exigens pro missae celebratione	444-445
C. II: Vendens omissionem sive administrationis sive receptionis sacramentorum	446
C. III: Parochus bis litans in dominica pro stipendio.	447
C. IV: Petens remunerationem pecuniariam pro con- fessionibus collegialium audiendis	448

	un.
C. V: Imaginum in processione delatio a maiorem stipem offerentibus	449.....
C. VI: Num pretium simoniace acceptum sit paupe- ribus dandum	450.....
Filiorum obligationes	451-462.....
Doctrina	451-455
Casus I: Sollemniter professa num debeat exire mo- nasterium ut patri subveniat	456-457.....
C. II: An patri extra extremam necessitatem subveni- re filius teneatur de superfluo vitae.....	458.
C. III: An teneatur filius de bonis propriis solvere patris debita	459.....
C. IV: Utrum possit religionem ingredi filius cuius parentes in gravi versantur necessitate.....	460
C. V: Filia pietatis exercitiis dedita quibus parentes graviter offenduntur	461.....
C. VI: Utrum filius teneatur oboedire parentibus qui eum volunt nubere determinatae feminae.....	462
Parentum obligationes	463-475
Doctrina	463-467
Casus I: Mater obstans desiderio vitae religiosae.....	468-470
C. II: Pater non mittens filios ad scholas.....	471
C. III: Quanto tempore teneantur parentes submi- nistrare filiis necessaria	472.....
C. IV: Mater quoad filium antipathicum.....	473
C. V: Pater familias incurius uxoris et filiorum.....	474
C. VI: An parentes possint exheredare filios.....	475
Obligationes parentum naturalium	476-485.....
Doctrina	476-478
Casus I: Ad quid tenetur mater quoad filium adulte- rinum	479-481.....
C. II: Compensatio expensarum ob prolem adulteram domi educatam	482.....
C. III: Quae possint parentes dare proli spuriae.....	483
C. IV: Compensatio erga hospitium in quo illegiti- mus collocatus fuit	484.....
C. V: Illegitimi quoad hereditatem	485
Vindictio	486-495
Doctrina	486-487
Casus I: Vindicta privata in sororis stupratorem.....	488-491
C. II: Alapam retorquens	492

C. III: Foveam fodiens ut inimicus laedatur.....	493
C. IV: Privata vindicta tempore commotionis popularis	494
C. V: Christiani agrestes et inexorabiles quoad vindictam nequeunt tractari ac si essent in statu naturae neque sunt capaces sacramentorum.....	495
Mendacium	496-509
Doctrina	496-498
Causus I: Operatione plastica occultans corruptionem sponso	499-504
C. II: Mendacium officiosum provitando damno gravi.	505
C. III: Mendacia matris ad filios contra iracundiam patris protegendos	506
C. IV: An mendacium sit eligendum instar minoris mali	507
C. V: Famula negans dominum esse domi.....	508
C. VI: Mercator negans se habere quae emptores petunt	509
Restriccio mentalis	510-520
Doctrina	510-513
Causus I: Confessarius interrogatus a iudice.....	514-515
C. II: Obiciens hoc medium defensionis paucis utile.	516
C. III: Invocans potius collisionem legum.....	517
C. IV: Cur loquens dicat aliquid?.....	518
C. V: Negans se recepisse mutui petitionem.....	519
C. VI: Usus restrictionis late mentalis saepe illicitus.	520

DE FORTITUDINE

Martyrium	521-531
Doctrina	521-523
Causus I: De martyrio S. Mariae Goretti.....	524-526
C. II: Num fidelis possit dici persecutor fidei.....	527
C. III: Falso accusatus qui se defendere posset calumnia quam attamen non profert quoniam fide novit peccatum esse	528
C. IV: Femina ex caritate inserviens peste infectis inde mortua ob contagium.....	529
C. V: Missionarius occisus quidem in odium fidei, dum capiebat attamen somnum	530
C. VI: Num quicumque Christiane vivit censeatur accepisse martyrium	531

	a n .
Inanis gloria	532-540
Doctrina	532-533
Causus I: Confessarius haec peccata parvipendens quasi venialia.....	534-536
C. II: Laudes quaerens et tribuens ob victoriam in duello	537
C. III: Se lactantes coram aliis.....	538
C. IV: Num vestis praetiosa sitvanae gloriae signum.	539
C. V: Gloriam humanam quaerens utputa in certa- minibus	540
Patientia	541-553
Doctrina	541-543
Causus I: Dolens quod minus idoneis delata sint mu- nera quae ipse optabat	544-548
C. II: Avarorum patientia	549
C. III: Patientia et longanimitas	550
C. IV: Patientia atque tristitiae signa externa.....	551
C. V: Patientia et dolor corporis.....	552
C. VI: Impatientia seniorum	553

DE TEMPERANTIA

Pollutio voluntaria	554-562
Doctrina	554-555
Causus I: Confessarius benignus in iuvenes quasi pol- lutione non peccarent subiective graviter; ideoque permittens communionem sine praevia confes- sione	556-558
C. II: Confessarius putans pollutiones Impuberum esse sine plena advertentia atque consensu....	559
C. III: Vitium solitarium penes recens viduos et pe- nes longinquos abuxore	560
C. IV: Masturbatio pro detegendo et curando morbo <i>blenorragia</i>	561
C. V: Pollutio profecundatione artificiali.....	562
Iracundia	563-572
Doctrina	563-565
Causus I: Ludimagtster facile Iratus pro servanda scholae disciplina et nesciens servare animum tranquillum in alumnorum correptione.....	566-568
C. II: Num ira sit moraliter mala quod causet ab- normalem corporis transmutationem	569

	an.	
C. III: Aut quoniam rationem turbat	570	
C. IV: Hominis iracundia confessio insufficientis.....	571	
C. V: Quando sit ira ratione moderata.....	572	
Hu m i l i t a s	573-585	
Doctrina	573-577	
Casus I: Si humilitas sit veritas, quomodo Sancti se aestimabant ceteris inferiores	578-530	
C. II: Quomodo ipse D. Thomas potuit contemnere propria scripta	581	
C. III: Quomodo Sancti se dicunt maximos peccatores.	582	
C. IV: Episcopatus se indigni profitentes, tamen episcopatum acceptantes	583	
C. V: Modus obtinendi humilitatem	584	
C. VI: Confessarius quoad peccata superbiae.....	585	
St u d i o s i t a s	586-595	
Doctrina	586-588	
Casus I: Sacerdos vacans studiis, non tamen ecclesiasticis	589-591	
C. II: Curiosus de factis aliorum	592	
C. III: Assiduus in amatoriiis fabulis legendis.....	593	
C. IV: Radlophonicis auditionibus et televisionis transmissionibus deditus	594	
C. V: Professor dolens quod non valeat praedicationi insistere	595	
L u s o r i a c o r p o r i s e x e r c i t i a p e r i c u l o s a	596-604	
Doctrina	596-597	
Casus I: Iuvenis taurorum agitationibus deditus qui a praxi religiosa declinavit et periculum mortis subiit	598-600	
C. II: Circensibus ludis addicti	601	
C. III: Montanis ascensionibus vacans.....	602	
C. IV: Gymnica certamina	603	
C. V: Corporis pericula parvipendens.....	604	
I n d e x a u c t o r u m	Pag.	417
I n d e x r e r u m	Pag.	419

DE PRUDENTIA

I. VIRTUTUM IN PRUDENTIA CONEXIO

Doctrina.

Prout testatur S. Hieronymus, «quattuor virtutes describunt Stoici, **ia** sibi invicem nexus et mutuo cohaerentes, ut qui unam non habuerit omnibus careat»¹ \ Haec doctrina Stoicorum de conexione virtutum cardinalium—circa quas, sicut circa cardinem, versatur vita humana seu vita activa—nota fuit Patribus latinis ex scriptis Tullii atque Senecae. Ille dixerat: «Inter omnes philosophos constat..., qui unam haberet, omnes haberet virtutes»². Hic autem: «Quidquid honeste fit, una virtus facit, sed ex consilii sententia»³. At, prout apparet ex his postremis verbis, potius quam de virtutum conexione, agebatur pro stoicis de unitate virtutum.

Non unus igitur ex Patribus insistet postea in cardinalium virtutum identitate, prout scilicet quicumque agat, in quacumque materia, is oportet agat cum discretionem seu prudentiam, quod debet sive iuste, cum firmitate

¹ S. Hieronymus, *epist.* 66; PL 22, 640.

² Cicero, 2 *De officiis*, c. 10.

³ Séneca, *epist.* 67 *ad Lucilium*, n. 10.

et ideo fortiter, atque ad rationis modulum seu temperate x.

- 2 Inter Doctores scholasticos qui quattuor virtutes cardinales distinxerunt, connexionem mutuam negavit S. Albertus Magnus, quem postea secutus est Scotus: virtus moralis quaelibet regeretur prudentia sibi propria, ideoque partiali et imperfecta. D. Thomas, e contra, cuius doctrinam ceteri, uti plurimum, acceperunt, invocans cum Aristotele prudentiae unicitatem, liquido ostendit in hac una perfectaque prudentia virtutes reliquas nexu coniungi arctissimo.

Haec igitur communiter recepta theoria distinguit virtutes naturales seu acquisitas—de quibus, ut patet, stoici loquebantur—perfectas et imperfectas. Cum virtus etenim sit habitus, et habitus a dispositione certo differat, virtus perfecta dicitur quae obtinet statum seu condicionem habitus, seu quae est difficile mobilis; imperfecta vero, quae habet condicionem seu statum dispositionis, seu est facile mobilis. Qua distinctione posita, communis haec doctrina tenet virtutes cardinales perfectas esse conexas in prudentia, et ideo v. gr. index qui vellet quidem iustam sententiam ferre—quoniam amat iustitiam—, iniustam fert attamen ne amittat concubinam aut incurrat comminatae sibi mortis discrimen, is caret virtutibus non modo temperantiae atque fortitudinis, sed insuper iustitiae atque prudentiae. Si tamen sermo fit de virtutibus cardinalibus imperfectis, hae nullum habent necessarium nexum, quapropter, v. gr. puella potest abhorrerre luxuriam et percupere furtum.

1 Ita S. Gregorius Magnus: «Nec prudentia vera est, quae iusta, temperans et fortis non est; nec perfecta temperantia quae fortis, iusta et prudens non est; nec fortitudo integra quae prudens, temperans et iusta non est; nec vera iustitia quae prudens, fortis et temperans non est» (22 *Moral*, c. 1; PL 76, 212).

Patres autem atque theologi ulterius processerunt. 3
Nam cum virtutes morales, cardinales et ceterae, praeterquam possunt esse acquisitae, possint haberi per infusionem, de harum virtutum quoque conexione dissendendum erat. Omnium porro sententia, virtutes morales infusae sic conectuntur in prudentia infusa ut habens hanc habeat omnes illas, ea vero carens illis omnibus careat.

Si ergo quaeritur num vitium uni virtuti oppositum possit cum theoria de virtutum conexione componi, seu num vitium uni virtuti oppositum excludat ceteras virtutes, oportet praemittamus omne vitium acquisitum esse et acquiri repetitis actibus, quorum primi causant dispositionem, posteriores generant vel augent pravum habitum. Quibus praemissis, responsio bipartita: *a)* Vitium oppositum uni virtuti acquisitae atque perfectae excludit hanc virtutem, etiam imperfectam; virtutes quoque alias perfectas, quas imperfectas sustinet, *b)* Vitium oppositum uni virtuti morali infusae non totaliter, necessario saltem, excludit hanc virtutem aliasque prudentiae infusae comites.

Casus primus.

Virtutum conexionis theoriam Patres et theologi ita 4
explicant, stoicismo praeunte, ut communiter et nunc retineatur virtutes omnes inter se conexas esse tum in prudentia tum in caritate.

Age nunc: paroeciae cuiusdam civitatis parochus loannes piissimus sacerdos praeest, virtutibus theologicis et moralibus clarus; at pro dolor! propensioni quasi invincibili potationibus alcoholicis post vesperum dominicum saepe cedit. Sincere quidem Deo ac confessario promittit se emendaturum, at sine exitu.

Pampurius quoque, eiusdem paroeciae sacristanus,

optime in servitio ecclesiae se gerit virtutibus pluribus et ipse distinctus; at saepe ira accensus praesertim ob petulantiam puerorum altari addictorum (*piccolo clero*) interdum impias blasphemias contra Deum profert ex inveterata consuetudine, licet bona voluntate se corrigendi minime careat.

Fideles vero quam plurimi ex tali agendi ratione parochi et sacristan! facile scandalizantur.

Quid ad casum?

Solutio

- 5 Parochus noster dicitur piissimus, virtutibus theologis et moralibus clarus, frequenter tamen ebrietati cedens ob propensionem quasi invincibilem. Habens igitur vitium ebrietatis, caret virtute sobrietatis acquisita, in statu quoque dispositionis (9). Habetne sobrietatis virtutem infusam? Non quidem cum versatur in statu peccati; in quo tamen retinet virtutes fidei atque spei infusas (8), immo et plures alias virtutes acquisitas quantumcumque imperfectas. Si hae non satisfaciunt bono eius nomini, cogitemus parochum huiusmodi non diu manere in statu peccati; se quidem inebriavit post vesperum dominicum, at non celebrat missam die sequenti quin recuperaverit gratiam, una simul, cum caritate, prudentia, ceterisque virtutibus moralibus infusis; est ergo his omnibus donatus per totam fere hebdomadam; nihil igitur mirum quod eliciat omnium plures actus, quibus bonum eius nomen nititur.
- 6 Sacristanus itidem profecto caret virtutibus acquisitis mansuetudinis et religionis. Habetne has infusas? Quoniam blasphemiae, etsi ex inveterata consuetudine, difficile excusantur a mortali (ci. I, 109), ipsum dices infusis pariter destitutum. Nec praesumendus est ad con-

fessionem immediate, prout parochus, accedere—de hoc enim novimus emendationem promittere Deo et confessorio; de illo autem non nisi voluntatem habere se corrigendi—. Quo igitur pacto praedicatur optime incumbere servitio ecclesiae et virtutibus pluribus distinctus? Propterea quod retinet quasdam alias virtutes acquisitas et imperfectas; non aliter ac miles luxuriosus qui, cum plures exercent actus fortitudinis, praeclarus fortitudine celebratur, quae tamen virtutis perfectionem non attingit.

Si fideles quam plurimi ex tali agendi ratione parochi et sacristani scandalizantur, scandalum non dumtaxat acceptum est, sed et datum; ideoque parochus et sacrista tenentur huiusmodi quoque scandalum vitare.

A lii casus.

C. II.—Ex tradita doctrina de cardinalium virtutum 7
conexione Firminus gressum facit atque petit num quoad alias quoque virtutes quarum materia quibusdam hominibus non occurrit, puta quoad magnificentiam penes pauperes, quoad virginitatem penes coniugatos, admittenda sit pariter conexio, sic ut habens prudentiam perfectam habeat etiam virtutes magnificentiae atque virginitatis.

Sol.—Actualis quidem conexio harum virtutum cum prudentia iam inde supervacanea proditur quod in his hominibus prudentia optime salvatur sine illis, nam cum materia sive magnificentiae sive virginitatis pauperi aut coniugato non occurrat re, integritas rationis nulli subest discrimini ob harum virtutum absentiam actualem. Quae adsunt attamen in proposito si illarum materia occurrerit in ordine intentionis, nam prout obviam ad-

venit menti puellae periculum mortis in servanda integritate carnis aut copia divitiarum in indulgendo libidinosi diviti, et ideo valet puella ex iis quae virginitatem eius circumstant, non re sed apprehensione, elicere actus internos quibus praefert virginitatem tum bono vitae tum bono divitiarum, ita et potest occurrere sive pauperi intentio magnas pecunias—si haberet—expendendi, ad erigendam, v. gr., ecclesiam, sive matrifamilias propositum virginitatis si haec sibi possibilis et licita. Denique, ubi nec intentionaliter occurrat materia harum virtutum, qui ceteras iam possidet habet illas in proxima potentia, quoniam generatio habitus eo facilius est quo maior dispositio subiecti; liberalis ergo qui est assuetus distribuere parva quae obtinuit, facile distribuet magna si contingant atque fiet magnificus; casta in matrimonio, facile erit casta in viduitate et, ubi virginitas possibilis et consona, etiam virgo.

- 8 C. III.—Apollonius hanc alteram questionem ponit: In infusis virtutibus numerantur fides et spes; conectuntur hae virtutes cum prudentia infusa, sic ut hanc habens habeat illas, hacque carens vel illis careat?

Sol.—Conexio fidei et spei, virtutum infusarum, magis quam cum prudentia infusa est cum caritate; praesupponuntur enim prudentiae, quae est circa media, dum illae versantur circa finem. Et si quidem caritas non est sine fide et spe, fides et spes possunt esse sine caritate, sine qua tamen infusa prudentia non subsistit. Quolibet igitur peccato gravi corrumpuntur caritas et prudentia infusa, sive directe, quatenus virtutes speciales in essendo, peccato nempe gravi odii aut imprudentiae; sive indirecte, quatenus virtutes universales in movendo seu imperativo dirigendo, peccato scilicet gravi furti, luxuriae, etc.

C. IV.—Mente Eugendus non capit quod virtus moralis acquisita vitium prorsus expellat, quod attamen infusa secum patitur. 9

Sol.—Ratio tamen in promptu est. In primo enim casu vitium pariter atque virtus repetitis actibus, puta viginti, acquiritur; porro quilibet actus detrahit aliquid de habitu contrario; quapropter si primis quinque actibus virtuosus vitium deicitur e statu habitus ad statum dispositionis, actu demum vigesimo statum hunc dispositionis demum amittit. In casu vero altero, vitium fuit acquisitum per plures actus, dum virtutis infusio fit uno instanti; vitium igitur pristinum amittit in sublecto condicionem habitus, pro quanto huiusmodi sublectum, virtute infusa ornatum, potens est prompte, faciliter et delectabiliter agendi actus huius virtutis †; sed, quoniam gratia non aufert, uti plurimum, peccatorum omnes reliquias, manent penes recens iustificatum inclinationes eaeque validae ex peccatis praeviis causatae in actus contrarios seu vitiosos.

C. V.—Sed tunc Chromatius arguit, oporteret dicere virtutem divinitus infusam minoris efficaciae quam virtus sit humanitus acquisita. 10

Sol.—Neganda omnino illatio. Nec difficultas enim quam ignis maiorem reperit in comburendo lignum viride quam aridum, arguit debilitatem ignis, sed indispositam materiam; nec somnolentia quam interdum sentimus detrahit aliquid de scientia post longum studium cumulata, cuius tamen actum reddit difficilem; sic ac-

† «Licet per actum unum simplicem non corrumpatur habitus acquisitus, tamen actus contritionis habet hoc quod corrumpat habitum vitii generatum, ex virtute gratiae; unde in eo qui habuit habitum intemperantiae, cum conteritur, non remanet cum virtute temperantiae infusa habitus intemperantiae in ratione habitus, sed in via corruptionis, quasi dispositio quaedam» (S. Thomas, *Q. D. de virtutibus in communi*, art. 10, 16m).

tus virtutis infusae manet arduus peccatori recens iusti-
Æcato, non ex defectu virtutis, sed propter unam indis-
positionem subiecti \

- 11 *C. VI.*—Saltem, inquit Evasius, peccator huiuscemodi recens justificatus, retinens cum infusa castitatis virtute vitium luxuriae pristinum, foret simul castus et luxuriosus, virtuosus atque vitiosus; contraria tamen se mutuo expellunt.

Sol.—Virtus infusa seu supernaturalis non contrariatur directe vitio, quippe quod acquisitum et naturale prorsus. Sed et vitium luxuriae pristinum iam amisit in subiecto illo condicionem habitus voluntarii, cum adulti justificatio non contingat absque detestatione peccatorum et ideo absque retractatione actuum qui pravum habitum generarunt. Quapropter recens iustificatum cui tot manent peccatorum reliquiae non dicimus vitiosum—seu voluntariae deditum vitiis—, sed vitiatum dumtaxat.

II. CONSCIENTIAE AD PRUDENTIAM COGNATIO

Doctrina.

- 12 Conscientia moralis, quae nunc agitur, est applicatio scientiae sive notitiae morum ad actum moraliter acceptum, inde ut appareat num bonus sit aut malus qui a

1 «Quandoque post primum actum paenitentiae, qui est contritio, remanent quaedam reliquiae peccatorum, scilicet dispositiones ex prioribus actibus peccatorum causatae, ex quibus praestatur difficultas quaedam paenitenti ad operandum opera virtutum; sed quantum est ex ipsa inclinatione caritatis et aliarum virtutum, paenitens opera virtutum delectabiliter et sine difficultate operatur; sicut si virtuosus per accidens difficultatem pateretur in executione actus virtutis propter somnum aut aliquam corporis indispositionem» (S. Thomas, *Summa Theol.* IU. 89, 1, 3m).

nobis ponendus est vel omittendus. Definiri potest: Indicium seu dictamen practicum rationis de bonitate vel malitia actus a nobis ponendi aut omittendi.

Differt ergo a ratione, synderesi, scientia morali atque prudentia—cum indicium sit, et ideo actus; non potentia aut habitus—, et a iudicio tum speculativo—de rei veritate sine respectu ad opus—, tum speculativo-practico—seu speculativo circa praxim, seu de moralitate actuum, etiam nostrorum, in genere seu in abstracto—, tum, persaepe, practico de convenientia psychologica actus ad subiectum—quod est discretivum electionis et a pluribus ultimo-practicum nominatur.

Conscientiam rectam dicimus sive veram sive invincibiliter erroneam (I, 175) utraque cum sit moralitatis regula, illa quidem per se, haec vero per accidens.

Prudentiam sumimus stricte, virtutem nempe rationis 13
practicae circa contingentia agibilia; quo differt genere a virtutibus moralibus—quarum subiectum est appetitus—, et specie ab aliis virtutibus intellectualibus, quippe quae versantur aut circa necessaria—intellectus (synderesis), sapientia et scientia—aut circa contingentia factibilia—nempe ars.

Prudentiae est triplex actus, quoniam recta ratio agibilium habet ut consilietur circa media indeterminata et ut iudicet de mediis adhibendis et ut consiliata et iudicata applicet ad opus. Porro, licet quilibet ex his actibus detur speciali virtuti—consilium, eubuliae; indicium, syneresi vel gnome; imperium, prudentiae— prudentiam modo loquimur totum potestativum, partibus constans potentialibus.

Porro conscientiam rectam esse prudentiae actum qui 14
dicitur iudicium, demonstrari potest a priori et a posteriori.

A priori quidem: Nam omnis actus humanus bonus est actus alicuius virtutis. Quoties datur etenim actus humanus bonus ad quem potentia eliciens non est naturaliter determinata, oportet haec potentia determinetur aut permanenter, aut saltem transeunter; si quidem permanenter, ita ut transeat in actum prompte, faciliter et delectabiliter—uno verbo, connaturaliter—, tunc actus est effectus virtutis et procedit a virtute formaliter; si autem transeunter, actus praecedit virtutem et generat virtutem vel ad virtutis generationem disponit et est actus virtutis materialiter.

Atqui conscientia est actus humanus, nam est indicium seu dictamen rationis; et conscientia recta est actus humanus bonus, cum attingat veritatem practicam, veniens actionum regula; est etiam actus potentiae non determinatae naturaliter, quoniam agitur ratio practica circa contingentia, quae multipliciter diversificantur secundum diversitatem personarum et negotiorum.

Porro hoc rationis indicium seu dictamen a nulla alia virtute elici potest praeterquam a prudentia: est enim conclusio de hic et nunc agendis vel omittendis; sed synderesis est habitus principiorum nec syllogizat; scientia quoque morum remanet in universalibus nec descendit ad particularia contingentia.

15 *A posteriori* quoque: Nam prudentiae est recte indicare de agendis, applicando principia universalissima syndereseos atque minus universalia scientiae ad singularem actum, et sic dictare hunc esse ponendum quia moraliter bonum, aut potius omittendum quia moraliter malum; sed conscientia nihil aliud nominat praeter huiusmodi indicium seu dictamen.

Aliis verbis: Actus specificantur ab obiectis; sed unus et idem est obiectum tum iudicii prudentiae tum conscientiae rectae, agibile videlicet, idque morale seu ad

morum normas; ergo et omnis conscientia recta est prudentiae indicium, et omne indicium prudentiae est conscientia recta.

Casus primus.

Hoc alterum corollarium Caesareus impugnat vehementer quoniam praeter indicium *speculativum*, theoreticum, mere discretivum, faciens videre quid sit bonum, quid malum, quid agendum, quid omittendum, consistens in mera cognitione consonantiae vel dissonantiae actus ad morum normas, datur etiam pro D. Thoma¹ indicium *practicum*, affectivum, definitivum, electivum, directivum operis, faciens nos velle bonum atque fugere malum. Sed dum primum indicium, speculativum, est conscientia recta, saltem indicium alterum, practicum videlicet, unius est prudentiae.

Solutio

Reponimus nec indicium quod est conscientia recta¹⁷ esse simpliciter speculativum, nec indicium quod est actus prudentiae esse simpliciter practicum.

Indicium etenim quod est practicum ratione obiecti, agibilis, potest simul esse speculativum ex parte sive modi—quia non est de agibili ut agibili—sive finis—quia non est de agibili ut agendo—; in utroque hoc casu est se-

¹ «Tam conscientia quam electio, conclusio quaedam est particularis agendi; sed conscientia conclusio cognitiva tantum; electio conclusio affectiva» (*in 2, d. 24, q. 2, a. 4, 2m*).—«Iudicium conscientiae et liberi arbitrii quantum ad aliquid differunt..., quia iudicium conscientiae consistit in pura cognitione, iudicium autem liberi arbitrii in applicatione cognitionis ad affectionem: quod quidem iudicium est iudicium electionis» (17 *De verit.*, 1, 4m).

eundem quid practicum et secundum quid speculativum \

Indicium igitur quod est conscientia recta, etsi speculativum secundum quid, cum non sit, necessario, de operabili ut operando—prouti constat in iis qui non audiunt conscientiam, in iis maxime qui conscientiae vocem detestantur—, est simul practicum secundum quid, cum de operabili sit quatenus operabili. Sed iudicium quoque prudentiae, licet practicum secundum quid, ratione obiecti et modi, est speculativum secundum quid, ratione nempe finis; adeo ut D. Thomas, neque semel, adaequet ipsum intellectus speculativi iudicii².

¹ «Aliqua scientia est speculativa tantum, aliqua practica tantum, aliqua vero secundum aliquid speculativa et secundum aliquid practica. Ad cuius evidentiam sciendum est quod aliqua scientia potest dici speculativa tripliciter. Primo ex parte rerum scitarum, quae non sunt operabiles a sciente: sicut est scientia hominis de rebus naturalibus vel divinis. Secundo, quantum ad modum sciendi: ut puta si aedificator consideret domum definiendo et dividendo et considerando universalia praedicata ipsius. Hoc siquidem est operabilia modo speculativo considerare, et non secundum quod operabilia sunt: operabile enim est aliquid per applicationem formae ad materiam, non per resolutionem compositi in principia universalis formalia. Tertio, quantum ad finem: nam *intellectus practicus differt fine a speculativo*, sicut dicitur in *III de Anima*. Intellectus enim practicus ordinatur ad finem operationis: finis autem intellectus speculativi est consideratio veritatis. Unde si quis aedificator consideret qualiter posset fieri aliqua domus, non ordinans ad finem operationis, sed ad cognoscendum tantum, erit, quantum ad finem, speculativa consideratio, tamen de re operabili. Scientia igitur quae est speculativa ratione ipsius rei scitae, est speculativa tantum. Quae vero speculativa est vel secundum modum vel secundum finem, est secundum quid speculativa et secundum quid practica. Cum vero ordinatur ad finem operationis, est simpliciter practica» (S. Thomas, *Summa Theol.*, I, 14, 16).

² «Perfectio rationis practicae, sicut et speculativae, consistit in duobus, scilicet in Inveniendi et iudicando de inventis» (S. Thomas, *in 3*, d. 33, q. 3, a. 1. q1a. 3).—«Circa agibilia humana tres actus rationis inveniuntur: quorum primus est consiliari, secundus iudicare, tertius est praecipere. Primi autem duo respondent actibus intellectus speculativi qui sunt Inquirere et iudicare» (Id., *Summa Theol.*, I-II, 57, 6).—«Prudentia est recta ratio agibilium. Unde oportet quod ille sit praecipuus actus prudentiae qui est praecipuus actus rationis agibilium. Cuius qu-

Nec iudicium quod est conscientia recta nec iudicium quod est actus prudentiae redditur practicum simpliciter nisi actu ad opus ordinetur. Verum haec ordinatio fit electione, quae substantialiter, essentialiter seu materialiter, est actus voluntatis et posterior iudicio—huic enim iudicio, quod nunc agitur, electio nonnumquam est contraria; fieri autem non posset contraria electio ubi iudicium diceret ex se actualem applicationem ad opus—. Unde et in thesibus propositis a S. Congr. Studiorum ut plane continentibus principia et pronuntiata maiora D. Thomae, haec invenitur clausula: «Sequitur electio iudicium practicum ultimum; at quod sit ultimum, voluntas efficit» \ Sicut enim qui alium vult elongare a rixa, agit ne is aurem praebet adversarii insultibus et ne cogitet iniuriam sibi illatam, sic et voluntas agit ut intellectus sistat in considerata bonitate actus, eum divertens a consideratione vel incommodi vel difficultatis adnexae; et ita in genere causae efficientis voluntas applicat intellectum qui sic determinate iudicet, etsi in ordine formalis causae extrinsecae intellectus dirigat voluntatem quae sic determinate eligat.

Alii casus.

C. II.—In collatione dioecesana menstrua plures in- 19
distincte quaestiones agitari solent. Semel autem cum

dem sunt tres actus. Quorum primus est consiliari... Secundus actus est iudicare de inventis: et hic sistit speculativa ratio. Sed practica ratio, quae ordinatur ad opus, procedit ulterius, et est tertius actus eius praecipere» (Id., *ib.*, II-II, 47, 8).—«In speculativis, in quibus non est actio, est solum duplex actus rationis, scilicet invenire inquirendo, et de inventis iudicare. Et haec quidem duo opera sunt rationis practicae, cuius inquisitio est consilium, quod pertinet ad eubuliam, iudicium autem de consiliatis pertinet ad synesim» (Id., *in 6 Ethic.*, lect. 9, n. 1239, ed. Pirotta).

¹ AAS, 6 (1914), p. 386.

ortus fuerit sermo de prudentia et Odilo ipsi adiudicaret actum quem vocamus conscientiam rectam, Caelianus hanc movit, ex Angelico, obiectionem, ut putabat, insuperabilem: «Prudentia non potest haberi nisi habeantur virtutes morales: cum prudentia sit recta ratio agibillium, quae, sicut ex principiis, procedit ex finibus agibillium, ad quos aliquis recte se habet per virtutes morales. Unde sicut scientia speculativa non potest haberi sine intellectu principiorum, ita nec prudentia sine virtutibus moralibus»¹ Est autem nimis evidens, aiebat Caelianus, vel ipsos peccatores, quantumcumque obduratos, habere interdum conscientiam rectam, ad hanc agant conformiter—non enim cuncta peccatorum opera sunt peccata—aut dissona—plane siquidem norunt male agere.

Sol.—Ipsemet Aquinas liquido concedit peccatoribus prudentiam veram, quae videlicet et bene consiliatur et recte iudicat etiam de iis quae pertinent ad bonum finem totius vitae humanae; illam quantumvis dicat imperfectam, ob defectum principalis actus, praecepti scilicet². Est ergo peccatoribus, carentibus moralibus virtutibus, possibilis prudentia qua efficaciter et bonum consilium ineant et rectum iudicium proferant de rebus morum, ipsis quantumvis desit, qua peccatores sunt, prudentia ad efficax praeceptum moralis actus. Consequitur propterea prudentiam virtutes morales praesupponere maxime ad hunc actum praecipuum, non ad actus consilii atque iudicii praevios. Nec ab oculis decidat virtutes acquisitas generari actibus, possibilibus quapropter prae virtutibus; non enim hae virtutes dant posse operari, sed operari prompte, faciliter et delectabiliter. Ad posse operari virtutum opera sufficit in intellectu habitus syndereseos et habitus scientiae vel fidei—divinae vel humanae—quo quis cognoscat aliquid esse bonum et agendum, malum

¹ S. Thomas, *Summa Theol.*, I-II, 65, 1.
² Id. *ib.*, II-II, 47, 13; cf. 3m.

et vitandum; in voluntate vero naturalis illa inclinatio ad bonum honestum, in peccatoribus, quantumvis obstinatis, superstes.

C. III.—Difficultati motae a Caeliano calculum adiecit Augustalis, dicens: Turpitudine aut honestas plurimum actionum innotescit interdum immediate, absque errore possibili; in his igitur casibus conscientia recta nullum consilium petit; at prudentia non est sine consilio, prout expresse D. Thomas docet: «Ea quae considerat prudentia ordinantur ad alia sicut ad finem. Eorum autem quae sunt ad finem, est consilium in ratione et electio in appetitu. Quorum duorum consilium magis pertinet ad prudentiam: dicit enim Philosophus, in VI *Ethic.*, quod prudens est *bene consiliatus*. Sed quia electio praesupponit consilium, est enim *appetitus praeconsiliati*, ut dicitur in III *Ethic.* ideo etiam eligere potest attribui prudentiae consequenter, inquantum scilicet electionem per consilium dirigit»¹.

Sol.—Respondet cl. Peinador: «Re quidem vera, pro pluribus dictaminibus conscientiae, nullum erit opus consilii et iudicii, qui sunt duo actus praecedentes principalem actum prudentiae. Quis, tamen, unquam dixit, imperium qui est actus praecipuus prudentiae, exigere semper praevium consilium et iudicium?»² At conscientia non est imperium, sed iudicium. Porro indicamus quae vera demonstrantur et quae vera innotescunt. Unde et prudentiae iudicium, quod electio sequitur (18), non semper est de incertis. «Ratio in rebus manifestis non inquirat, sed statim iudicat. Et ideo non oportet in omni-

¹ S. Thomas, l. c., a. 1, 2m.

² Peinador, *De iudicio conscientiae rectae*, p. 6, nota. Ipse dixerat (p. 5) conscientiam esse actum virtutis prudentiae «et in specie, virtutis synesis vel gnome, quae sunt partes potentiales prudentiae, perficientes iudicium».

bus quae ratione aguntur, esse inquisitionem consilii» Prudentia igitur, non dissimiliter ac conscienda recta, interdum abstrahit a consilio prorsus. Si quando, propterea, D. Thomas asserere videtur consilium omnino necessarium, in eo loquitur sensu quo commentator summus Caietanus: «Meminerint (lectores) quod consilium significat inquisitionem completam, id est usque ad iudicium inclusive. Non enim ipsa inquisitio absque iudicio consilium est, nisi inchoative: ut manifeste patet ex responsione ad secundum et tertium, et ex usu loquendi» a.

21 C. IV.—Erhardus quoque, qui studia theologica recens compleverat, in litigantium choro pedem posuit: Iudicium, inquit, electionis est interdum contrarium iudicio conscientiae; porro dum hoc est prudens, illud est imprudens; ergo non sunt unus et idem actus.

Sol.—Hoc equidem argumento probat Erhardus actum duplicem esse quando iudicia sunt contraria, cum iudicium scilicet conscientiae dictat actum, quamvis utilem vel delectabilem, omittendum quia moraliter pravam, iudicium vero electionis dictat actum, quamvis pravam moraliter, ponendum tamen quoniam delectabilem vel utilem: tunc est formale obiectum aliud in utroque iudicio atque iudicium electionis est, prout ab obiciente dicitur, imprudens¹. Non autem probat actum esse duplicem quando iudicium electionis est conforme iudicio conscientiae et ideo ipsum quoque est prudens; praeterquam etenim utriusque tunc iudicii unum et idem est formale obiectum, iudicium conscientiae fit iudicium

¹ S. Thomas, l. c., I-II, 14, 4, 2m.

² Caietanus, in I-II, 14, 1.

³ S. Thomas admittit quosdam esse prudentes quoad bonum consilium et bonum iudicium, qui tamen deficiunt quoad praeceptum, ideoque quoad iudicium electionis (19).

electionis per solam acceptationem appetitus¹; an ideo quod acceptatur ab appetitu, naturam suam amittat?

C. V.—Sed et Sobel difficultatem fecit ex alio capite: 22 Potest quis ex conscientia nosse se teneri ad fraternam correptionem, hanc tamen facere imprudenter; aliud igitur conscientia et aliud prudentiae iudicium.

Sol.—Conscientia sive iudicium practicum de bonitate vel malitia actionis a nobis hic et nunc ponendae aut omittendae nequit abstrahere a circumstantiarum consideratione, cum actio non sit bona nisi ex omni parte, «unde si aliquid desit quod requiratur ad debitas circumstantias, erit actio mala» 2. Hinc quod demus prudentiae partes intégrales, in quibus circumspectionem et cautionem³.

C. VI.—Austinus nullam habet movendam objectionem doctrinae traditae; fatetur tamen sibi manere scrupulum: Cur, inquit, D. Thomas nullibi dixit conscientiam rectam venire actum prudentiae? 23

Sol.—Sed nec hoc alicubi negavit Doctor Angelicus. Homo sui temporis, institit enodandis quaestionibus quae tunc agitabantur; et agitata quaestio de natura conscientiae non erat haec praecise: Cuius habitus sit actus qui conscientia dicitur; verum haec alia praevia: Num conscientia sit actus⁴. Hanc alteram expresse tetigit; ad primae solutionem contentus fuit tradere principia.

¹ «Iudicium est quasi conclusio et determinatio consilii. Determinatur autem consilium, primo quidem per sententiam rationis, et secundo per acceptationem appetitus... Et hoc modo ipsa electio dicitur quoddam iudicium, a quo nominatur liberum arbitrium» (S. Thomas, l. c., I, 83, 3, 2m).

² Id., l. c., I-II, 18, 3.

³ Id., ib., II-II, 49, 7 sq.

⁴ Id., ib., I, 79, 13; in 2, d. 24, q. 2, a. 4; 17 *De verit.*, 1.

11 CONSCIENTIA SCRUPULOSA

Doctrina.

24 Scrupulus dicitur in moralibus inanis quaedam ratio de honestate occurrens actionis; exinde, apprehensio et timor ne peccatum sit ubi non est aut saltem gravius quam revera est. Conscientia propterea scrupulosa innuit mentis iudicium, dubium, suspicionemve de peccato ex futili, id est insufficienti, motivo ortam; per extensionem sive improprie nominat habitualement dispositionem seu propensionem ad iudicandum, dubitandum aut suspicandum de malitia actionis ob has ratiunculas, vel ipsam animi anxietatem qua quis peccatum timet ubi de actionis bonitate est certus \

Sunt scrupulis causae interiores aequae ac externae. In his: *a)* educatio angusta, directio confessarii scrupulosi, scrupulosorum societas; *b)* Deus, in poenam, exercitium, stimulum; et daemon, in desperationem atque exitium. In illis: *a)* corporalis complexio, indoles melancholica, austeritates nimiae; *b)* ignorantia qua nequit quis discernere inter licitum et illicitum, sensationem atque consensum; ingenii subtilitas sufficiens ad excogitandas obiectiones et impar his solvendis; *c)* occulta superbia, qua quis proprio iudicio adhaeret nimis; *d)* animi inconstantia.

25 Regi cum non valeat iudicio proprio, scrupulosus tenetur se committere iudicio confessarii, cui oboediat; et, quia praesumptio stat pro confessario, huius dicta-

1 «Scrupuli aliquando versantur circa universum statum animae et circa omnia peccata; saepius speciale obiectum attingunt, e. gr., castitatem, recitationem Breviarii, prolationem verborum durante consecratione. etc.» (Prümmer, *Th. Mor.*, I, 320, ed. 1931).

men universaliter sequi potest; si quando id sequens fallitur et peccat materialiter, agitur de effectu secundario quem permittere licet. Quia praesumptio pariter stat contra scrupulosum in extensione legis et coarctatione libertatis, eius dubium in favorem legis a priori habendum est inane, fundatum (ex adverso) quod in favorem libertatis. Cum praesumptio, denique, stet pro incapacitate perveniendi directe ad certitudinem, fas est scrupuloso id agere quod primo eius aspectui non appareat vetitum. His principiis scrupulosi directioni peculiaribus generalius illud adicito: praecepta, scilicet, positiva non urgere cum gravi, eoque extrinseco, damno seu incommodo; gravi autem incommodo aequipollet anxietas qua scrupulosus afflicatur.

Quod ad methodum attinet cum iis qui scrupulis laborant adhibendam, prae primis confessarius videat num 26
 revera de scrupuloso agatur et, quatenus affirmative, num in omni aut determinata tantum materia. Quem scrupulosum compererit de morbo quo afficitur convincat, mala cum corporis tum animae quae impendunt ei exponat, necessitatem inculcet agendi contra scrupulos, plenam ab illo exigat oboedientiam. Eum in examine actionum et conscientiae inmorari vetet; preces ac confessiones repetere non sinat; quae dubia peccata sint prohibeat declarare. Brevis ac resolutus sit in tradendis consiliis et responsis; horum rationes non aperiat; agendi regulas universales tradat, quas scrupulosus ipsemet ad casum applicet. Eum semper prudenter¹ atque caritative tractet² cum meticuloso procedat leniter; durius

¹ Qui in aliqua tantum materia scrupulosi veniunt «cautissime tractandi sunt, ut liberentur a scrupulis, quin fraena eis laxentur» (Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I, 72, ed. 1939).

² Prae oculis habens confessarius se agere cum aegroto qui sanari quidem vult sed cui sumenda potio est amarissima, patienter ferat animi inconstantiam, ex qua apparentes infidelitates et rebelliones.

attamen cum superbo, quin eum attamen in desperationem usque impellat. Scrupulorum demum exploret causas ut apponat peculiaria remedia¹; si dispositionem corporalem noverit initium, scrupulosum ad prudentem medicum remittat.

Casus primus.

27 Severinus sacerdos a multis annis scrupulis laborat. Etenim, dum confessiones excipit, innumeris atque minutissimis interrogationibus paenitentes urget, quas non raro, cum de earum opportunitate dubitet, non sine haesitatione proponit; de requisitis paenitentium dispositionibus, praesertim cum hi levia dumtaxat peccata accusant, non parum dubitat; quo fit ut saepe absolutionem anxius concedat, prioribus formulae verbis haud semel prolatis. Hinc non raro, cum novum dubium eius mentem subeat an veram intentionem absolvendi habuerit, absolutionis formulam repetere cogitur. Similes haesitationes eidem, dum consecrat, occurrunt, cum et de validitate materiae et de suae conscientiae puritate innumera et speciosa dubia eius animo insideant. Nec confessarius ipsum tranquillare valet; nam, si de praeteritis actionibus agitur, nescit monita confessarii cum principio componere iuxta quod illicitum est agere cum conscientia practice dubia; si, vero, ad futuras actiones attendit, eius mentem tenet regula in confectione sacramentorum probabilismi usum fieri non posse.

Quid dicendum?

¹ Remedia specialia tradit Merkelbach (*Th. Mor.*, II, 126, ed. 3). In his meditatio frequens divinae bonitatis, ex qua sponte magna gignitur confidentia. Haec bonitas in opere Incarnationis maxime innotescit. Crebra igitur mysterii Christi meditatio, quia praecipuus fons devotionis seu promptae voluntatis ad Dei servitium, removet scrupulos, quibus anima in via spirituali retardatur.

Solutio

Trinam, veluti sectionem distinguamus: paenitentiae dispensationem, Missae celebrationem et argumentorum solutionem. 28

Quoad confessiones quidem, in mentem Severini confessarius revocet doctrinam traditam communiter: a) Interrogationes non urgere nisi fundata suspicio sit de accusationis deficientia aut de paenitente consuetudinario vel recidivo; in hoc ultimo casu, interroget de habitu et reincidentia; in primo, de numero, specie et circumstantiis quae speciem mutant; nihil amplius; interdum nec haec omnia, dum prudenter iudicat, videlicet, integritatem materiale non urgere, aut timet paenitentem passurum esse scandalum, b) Propositum ac dolorem, necessario quidem complecti omnia mortalia, non tamen venialia quae simul cum letalibus declarantur; immo cum sola venialia subiciuntur clavibus, satis esse dolorem ac propositum attingere veniale unicum, certam speciem venialium, venialium multitudinem seu frequentiam; ad cautelam insuper confessarium posse invitare paenitentem ut accuset iterum peccatum grave vitae anteactae. c) Anxietatem qua laborat absolvens officere nullatenus quin voluntarie verba proferat; intentioni igitur absolvendi; semel ideo prolata ne repetat.

In Sacro autem litando, oportet Severinum eam diligentiam in materiae adhibere selectione quam communiter sacerdotes adhibent; at satis sit illi moralis certitudo de pane triticeo vinoque de vite ne immoretur circa materiam validam. De ipsa quoque conscientiae puritate certitudinem metaphysicam non quaerat: exclusa enim revelatione (quae non est frequens), coniecturaliter tantum valet homo cognoscere se esse in gratia; haec coniectura, etsi patiatur secum anxietatem atque timorem, 29

sufficit ad administrationem et receptionem sacramentorum quae postulant gratiae statum; potius enim quam conscientia gratiae inconscientia peccati requiritur \

30 Severini argumenta si perpendamus, applicationis vitium tangemus. Nefas profecto agere cum conscientia practice dubia; at dubium potest ille deponere priusquam agat, efformans sibi conscientiam certam vi principii reflexi, ex iudicio scilicet confessarii². Fuit etiam damnata propositio: «Non est illicitum in sacramentis conficiendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore» (Denz. 1151); sed in casu non agitur de opinione quadam probabili, verum de re omnino (moraliter quidem) certa, cum possit quis habere moralem certitudinem de confessionis integritate debita, de necessario proposito ac dolore, de intentione absolventi, de materia Sacrificii valida atque de statu gratiae seu absentia potius mortiferi peccati.

¹ «In sacramentis vivorum quae ex se ordinantur ad gratiam secundam conferendam obex est conscientia peccati mortalis; conscientia quidem peccati, non status peccati, nam si quis cum bona fide et attritione accedit, poterit vi sacramenti iustificari» (Hugon, Tract. *Dogm.*, III. p. 60, ed. 1927).

² «Si quis dubitaret an pulsare in die festo sit licitum vel illicitum, et tamen non dubitaret sibi tunc esse licitum pulsare; iste non peccaret pulsando, quantumcumque magna esset dubitatio apud eundem de actu pulsandi secundum se, an sit licitus vel illicitus; et similiter quantumcumque esset maximus timor de eodem. Et per oppositum, si quis esset certissimus de actu pulsandi secundum se quod est licitus in die festo, et tamen fluctuaret de exercenda nunc a se pulsatione, ita quod ratio applicandi se ad pulsandum cum ambiguitate applicat, illicite quis pulsaret... Ratio autem horum est, quia in proposito conscientia non significat scientiam, sed applicationem cognitionis ad opus exercendum. Et propterea scrupulus conscientiae qui per se opponitur conscientiae, in ipsa applicatione consistit: et eadem ratione, scrupulus omnis ad ipsam applicationem non se extendens, conscientiae non opponitur» (Caietanus, *Opuscula*, t. I, tr. 31, resp. 13, ed. 1588).

Alii casus.

C. II.—Animo deicitur Hermylus confessarius quod 31
quo magis curat de medendis scrupulis Praxedis, haec
videtur quasi praecipue intenta ad illius remedia exte-
nuanda. Ad id enim quod confessarius dixerat de oppor-
tunitate et necessitate agendi contra scrupulos, Praxedes
opponit se non posse agere contra scrupulos, nisi credat
hos irrationabiles esse atque male fundatos; si id autem
crederet, iam non anxiaretur, anxiatur enim quoniam
putat anxietatem esse rationabilem et bene fundatam.

Sol.—Respondet Billuart: «Si crederet ex principiis
directis et intrinsecis suam anxietatem esse irrationabi-
lem, hoc ipso non anxiaretur, concedo; si crederet ex
principiis reflexis et extrinsecis, nego. Potest ergo scru-
pulosus cognoscere se esse scrupulosum et suas anxieta-
tes esse irrationabiles ex indiciis supra assignatis; sed
quia scrupulum et anxietatem non cognoscit irrationa-
bilem ex propriis et intrinsecis, ideo adhuc angitur et
trepidat timore ubi non est timor» \

C. III.—Faustinus, confessarius monialium, oleum 32
perdit et operam cum quibusdam e devotis virginibus.
Dum his enim conatur suam imponere sententiam, audit
confessarium nequiquam gaudere infallibilitatis privile-
gio, ideoque vel ipsi plane oboedientes damnari posse.

Sol.—Assentiat praemissae confessarius; petat autem
num coecus ductum aspernatur oculati, maxime si ocu-
lato iungitur amiticia vel sanguine, quantumvis consan-
guineus et amicus possit fallere et falli. De reliquo, cur
formidat scrupulosus errorem ex parte confessarii quem
ex propriis non timet? cur fidit tenebris plus quam luci?

Sed ulterius: si iussa sectatus confessarii peccare potest, agitur de peccato materiali, propter peccatum autem materiale damnatur nemo.

- 33 C. IV.—Exsuperius, sacerdos, nescit cur acquiescere debeat confessarii monitis: nullam, inquit, intentionem habui, nullam attentionem dum preces recitabam; sed et conscientia mea clamat me peccatum habere quod nondum declaravi.

Sol.—Opponat confessarius: ipse timor ne intentio inter orandum desit ostendit sufficienter orandi animum; ipsa quoque anxietas circa attentionem necessariam satis demonstrat distractionem subortam involuntariam fuisse; integritatem materialem confessionis tenent omnes auctores non urgere in casu scrupulorum.

- 34 C. V.—Andochius, confessarius, paenitentem habet circa praeteritas confessiones perpetuo anxium, qui propterea iterum ac iterum confessionem generalem vult repetere.

Sol.—«Si paenitens iam alias confessionem generalem non expleverit, sinat confessarius ut scrupulosus, si velit, confessionem generalem instituat; eum benigne iuvet in conscientiae examine et in contritionis actu elicendo; numquam tamen vel fere numquam permittat scrupuloso ad exponendam suam conscientiam in scriptis ponere anteacta vitae praeteritae, eo quod facillime haec praxis scrupulos auget... Hac autem confessione generali rite peracta, non amplius ipsi scrupuloso permittatur novam generalem confessionem instituere, neque aliquid de peccatis vitae praeteritae repetere, nisi iurare possit se certo recordari aliquod peccatum, *certo* mortale, *certo* numquam in valida confessione confessum fuisse. Alias confessarius semper scrupulosum *inauditum* dimittat,

praecipiens ei ut ad S. Communionem accedat». Ita Fanfani¹.

C. VI.— Chrysanthus, confessarius, optime quidem novit regulas servandas in scrupulosorum directionem; nescit attamen quibus distinguat signis scrupulosos a non scrupulosis. 35

Sol.— Scrupulorum signa recensentur: *a)* Peccatum putare aut suspicari in iis in quibus docti et timorati malitiae nihil inveniunt; de actionum honestate plures, libros peritosve, consulere, ad omnimodam securitatem obtinendam; *b)* Iudicii pertinacia qua quis parere renuit confessarii consiliis ac praeceptis; diffidentia qua quis aestimat se defecisse in difficultatibus proponendis, responsis interpretandis, consiliis retinendis; inconstantia in proposito de nova omittenda inquisitione, petenda declaratione, solutione, etc.; *c)* Protracta sui examina atque proluxae accusationes circumstantiarum cum minutissimarum tum quoque impertinentium; eadem saepe repetere et inculcare, nec acquiescere confessario monenti de examinis accusationisque sufficientia; *d)* Preces, praescriptas maxime, fastidiosa tarditate, aut anxietate nimia recitare, iugiter de novo incipiens, eadem repetens, sistens ut attentionem et intentionem renovet, quasi absentes; *e)* Signis externis atque inopportunis uti ad tentationes procul elongandas.

¹ Fanfani, *Th. Mor.*, I. 243.

IV. USUS PROBABILITATIS

Doctrina.

36 Probabilitas est qualitas propositionis quae positive sollicitat intellectum ad assentiendum; ideo probabilis vocatur propositio quae hac qualitate gaudet. Se habent igitur probabilitas et opinio uti causa et effectus; quoniam causa est contingens—nam probabile potest se habere aliter—, mentis assensus est infirmus, seu cum formidine partis oppositae.

Sed non licet agere cum conscientia incerta: agens enim incertus de bonitate actus vel omittens incertus de omissionis suae bonitate, se exponit mali periculo atque malum voluntarie amplectitur; vult ponere actum etiam si vetitum, vel omittere actum quamvis praeceptum. Sic peccaret qui incertus an sit homo aut fera, sagittam tamen mitteret, magis de propria relaxatione quam de vita proximi sollicitus.

Quaestio ergo vertitur: num conscientia opinativa pro libertate valeat converti in certam principiorum reflexorum adminiculo, seu an opinionem faventem libertati possit quis sectari licite ob reflexa principia, seu utrum vi horum principiorum usus probabilitatis sit probandus.

37 Opinio est unice probabilis, cui nulla ratio vel opinio probabilis contraria apparet—ideoque si rationes pro opinione opposita sint penitus eversae—; est tenuiter probabilis, quae levi fundamento dumtaxat nititur—tali scilicet quod non valet adhaesionem prudentis ad se trahere—; est solide probabilis, quae ratione solida fulcitur—valida nempe ad excitandam prudentis adhaesio-

nem—; aequiprobabilis vocatur, minus probabilis, probabilior, quae nititur motivis aequae solidis, minus solidis, solidioribus quam contraria; probabilissima, denique, illa quae firmatur gravissimo argumento, etsi probabili.

Quod ad sequelas attinet, opinionem distinguimus noxiam et innocuam, prout sunt necne quem permittit actui consecutaria prava ab opinione agentis independentia pariter ac vitanda.

Omnia quidem sententia: *a)* Non licet sequi opinionem tenuiter probabilem minus tutam seu in favorem libertatis: hac enim probabilitate qui in favorem libertatis operaretur, scienter se committeret periculo peccandi; habens siquidem plus formidinis quam adhaesionis, huiusmodi opinio non est proprie probabilis, *b)* Non licet sequi opinionem probabilem minus tutam sed noxiam: obligationi siquidem certae vitandi consecutaria prava non fit satis, ut liquet, quandiu haec consecutaria non nisi probabiliter vitantur. 38

Attamen, si opinio sit innocua, licet, omnium quoque sententia, sequi: *a)* Opinionem unice et solide probabilem minus tutam: agens enim ad opinionem hanc in favorem libertatis agit ad id quod obtinere potuit verisimile, nixus solido fundamento eoque ratione valida inconcusso; quoad oppositam igitur sententiam conscientia eius est negative dubia; error, si quis est, ipsi inculpabilis, neque periculum peccandi proximum. *b)* Opinionem probabilissimam minus tutam: haec etenim opinio ad certitudinem accedit maxime, nec opinio contraria—quippe quae tenuiter probabilis—prudentis invitat adhaesionem; elongat igitur a se periculum peccandi atque prudenter agit qui, impar veritatis assequendae, ad huiusmodi opinionem operatur, *c)* Opinionem probabiliorem minus tutam in concursu tutioris minus probabilis: quoniam opinio probabilior nititur motivo

quod iudicatur—ad partium, merita—absque haesitatione praeponderans; prudenter autem sequimur, ubi verum non possumus attingere, id quod vero est propinquius; etsi incertae providentiae nostrae, remotum est periculum peccandi et error invincibilis.

- 39 Sed dum alii reprobant usum principiorum reflexorum ad tutandam opinionem pro libertate sive aequiprobabilem sive, a fortiori, minus probabilem, alii ipsorum usum sustinent dum aequiprobabilis opinio stat pro libertate possidente, et alii illorum extendunt efficaciam usque ad opinionem pro libertate solide, licet minus, probabilem (cf. 49 ss.).

Casus primus.

- 40 Zenas, missionarius in Groelandia, haec narrat consodalibus quibuscum convenit per singulos annos pro exercitiis spiritualibus peragendis: *a)* semel vocatum ad adultum paganum morti properantem, sui tamen plene compotem, baptismum contulisse post propositam et acceptatam fidem de existentia et providentia Dei, quin nec verbum ei dixerit de Verbi Incarnatione; nam fides explicita in Christum, inquit, probabilius non exstat necessaria necessitate medii; *b)* interdum adhibuisse pro materia baptismi nivem nondum solutam; eo quod legerit ipsam esse materiam probabiliter validam; *c)* non raro absolvisse paenitentes in dubio positivo atque probabili circa tempus pro quo iurisdictio fuerat ei concessa, amisso in itinere documento cuius tamen tenor clarus omnino erat. Consodales audientes, primo mirati sunt; inde agendi rationem reprobarunt, pauci quidem totam, plurimam partem ceteri.

Solutio

a) Male fecit profecto Zenas non loquens de mysterio Christi adulto pagano et auditu capaci baptizando. 41
 Etsi fides enim huius mysterii explicita non veniat probabilius necessaria necessitate medii, venit tamen huiusmodi probabiliter; de ea igitur tacens, reddit ex parte sua pagani salutem improbabilem seu exponit paganum moribundum periculo aeternae damnationis: si Deus namque positive disposuit neminem salvandum post promulgatum Evangelium sine fide explicita Salvatoris, ignarus mysterii Christi non salvatur quamvis eius ignorantia sit invincibilis ob opinionem sacerdotis probabiliorum (cf. II, 14).

b) Male pariter fecit baptismum administrans cum materia probabiliter valida, seu rectius dubia. 42
 Valor baptismi, et sacramentorum in genere, non dependet ab opinione hominum sed a Christi, institutoris, voluntate. Iudicium ergo humanum, sicut nequit efficere ut id quod est venenum sit medicina, ita neque efficere potest ut id quod non est sacramentum sit sacramentum. Quaecumque sit ergo baptismi probabilitas cum nive non soluta collato, hic exponitur nullitatis periculo; sed voluntaria expositio sacramenti periculo nullitatis non modo caritati contrariatur, ob grave damnum cui exponitur proximus, sed contrariatur quoque religioni seu reverentiae debitae rebus sacris. Ideo damnata fuit ab Innocentio XI propositio: «Non est illicitum, in sacramentis conferendis, sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabiliter tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis aut episcopalis» (Denz. 1151). Nisi urgeat ergo necessitas, in absentia nempe materiae certo

validae, non licet uti materia dubia; urgente tamen necessitate, non loquamur de damni periculo vitando—lex caritatis vult probabilis baptismi collationem ubi certi collatio est impossibilis, cum sacramenta sint propter homines—neque de irreverentia illata rebus sacris—quibus consulitur, pro posse, collatione condicionata.

- 43 c) Non attamen Zenas carpendus est ob absolutionem paenitentium in dubio positivo atque probabili circa tempus pro quo concessa ei fuerat iurisdictio in casu; nam habemus in Codice I. C.: «In errore communi aut in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti, iurisditionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno» (can. 209); nulli ergo periculo exponebat validitatem sacramenti paenitentiae.

Alii casus.

- 44 C. II.—Ioannes sacerdos, distractionibus obnoxius, confessione audita, graviter dubitat num paenitentem absolverit. Ex communiter tamen contingentibus et ex praesumptione concludit ad valorem actus nec absolutionem repetit.

Sol.—«Si dantur rationabiles causae contra praesumptionem, ita ut praesumptio tantum gradum maioris vel minoris probabilitatis attingat, tunc tenetur ad (iterum) absolvendum paenitentem, quia agitur de sacramento et de damno tertii vitando». Sic Van den Ecrendeemt^x.

- 45 C. III.—Edmundus iuvenis maxima celeritate ducere solet rhedam *aictomobilem*: non enim, ait, certus sum aliquem esse in via.

Sol.—Ad hoc Genicot: «Imprudenter ducens rhedam, cum periculo non spernendo homines vulnerandi vel occidendi, modernus probabilista Edmundus... laxas ha-

¹ Apud Palazzini-De Iorio, *Casus Conse.*, I, 50.

benas dedit abusibus theoriae de se optimae, sed quae profecto non applicatur dubio facti, ubi ipsum periculum nocendi proximo pro adiunctis absolute praecavendum est» *

C. IV.—Pothinus, confessarius, rationem non assequitur cur in iustitia commutativa tutior pars sit sectanda. 46

Sol.—Quoniam iustitia commutativa postulat ut in contractibus onerosis id seu aequale reddamus quod accepimus; qui accepit ergo nummum certo legitimum non satisfacit—quia non reddit aequivalens—nummum reddens adulteratum probabiliter.

C. V.—Victorinus, civilis magistratus, non numquam angitur de modo quo procedere debeat in causis dubiis; petit propterea a parcho agendi normam. 47

Sol.—Respondet Lârraga: «A) In causis criminalibus, reo favendum est quandiu eius crimen certo non probetur. B) In causis civilibus seu contentiosis, iudex potest equidem sequi opinionem minus probabilem in iis quae iudicium antecedunt, v. gr., quoad interrogationes et examen testium; quoad sententiam attamen: a) Si possessio est certa, oportet sententia pro ea pronuntietur quandiu non dentur rationes convincentes contra ipsam, etsi probationes quae afferuntur contra possessorem bonae fidei potiores sint, nam possessio huic ius certum confert, quod nequit destrui nisi per aliud ius pariter certum, id est per rationes seu probationes convincentes; b) Cum vero dubitatur de possessione aut non adest possessor bonae fidei, res illi adiudicanda est qui rationes afferat notabiliter probabiliores; in aequalitate probationum, si res est divisibilis, debet ex aequo dividi inter partes; si vero est indivisibilis, debet iudex aut litem sortibus dirimere aut partes aliter componere; nam ge-

» Genicot, *Casus Conse.*, 11, ed. 1928.

neralis regula haec est: index tribuat cuilibet ius suum, ad vim rationum quae cuique faveant. Sic constat ex propositione damnata ab Innocentio XI: Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem (Denz. 1152); et ex pariter damnata ab Alexandro VII: Quando litigantes habent pro se opiniones aequae probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio (Denz. 1126). Ab hac generali regula excipiuntur causae piae, matrimonii, dotis, viduae, pupilli, etc., quae ex iure romano atque canonico praeferuntur in paritate circumstantiarum, cum quia id exigit bonum commune, tum quoniam talis est dispositio iuris (cf. can. 1869, §§ 1, 4; can. 1697)» \

- 48 C. VI.—Iulius medicus in infirmis curandis ita procedit. Si certum adest remedium, ipsum applicat; si vero certius non adest, probabili tantum utitur; quandoque tamen, cum certius haberi possit, illud adhibet quod probabiliter tantum est profuturum. Si in infirmum incidat cupidum omnino alicuius remedii, quando idoneum deest, innocuum quid praebet, quo aegrotus laetatur et forsitan etiam accepto convalescit. Demum cum a viro peritissimo accepisset novum pharmacum inventum esse pro certo morbo, qui huc usque insanabilis habitus est, de quo tamen pharmaco dubitatur utrum profuturum an obfuturum sit, Iulius, cum secus illud experiri nequeat, idem praebet consentienti infirmo cuidam, de cuius vita desperandum est.

Sol.— «Cum certum remedium applicat, suum munus adimplet. Idem dicendum quando, certo deficiente, probabile adhibet, modo tamen intellegatur probabilius quod haberi potest. Cum vero certius haberi potest et adhibet probabile tantum, caritatem plane violat, atque ut pluri-

1 LArraga-Lumbreras, *Prontuario de Teol. Mor.*, II, 84.

mum etiam iustitiam. Cum infirmo cupido omnino alicuius remedii, innocuum quid praebet, quod unice praestare potest, minime reprehendendus videtur, nisi forte in causa fuerit cur aegrotus non absteineat ab inutilibus expensis, quod pro variis casuum adiunctis diiudicandum erit. Denique, quoad usum novi pharmaci, cuius virtus ignoratur, plura essent distinguenda. Iulii gaudium, quod subintellegitur, de experimento faciendo, erit certe naturale sed non undequaque laudabile, cum non debeant homines pro experimentis assumi veluti mures vel cuniculi: haec tamen dispositio videtur nonnisi concomitanter se habere. Re in se inspecta, si de infirmi vita, iuxta hypothesim, nulla remaneat spes, et aliunde dubium de effectu illius pharmaci tale sit quod aliquam relinquat spem salutis recuperandae, licite poterit Iulius illud consentienti adhibere: si autem dubium sit negativum, aequivalens ignorantiae, nec in illo statu licebit medico hoc pharmacum propinare aut infirmo illud acceptare». Ita cl. Bender \

V. PROBABILITATIS SYSTEMATA

Doctrina.

Cum illicitum sit agere cum conscientia incerta (36), 49 oportet prae actu certitudinem obtinere mediis directis aut reflexis, quorum prima convincunt actum, qui ponendus vel omittendus venit, praeceptum *esse* aut vetitum; alia vero hoc dumtaxat firmant actum scilicet *habendum esse* ut iussum aut prohibitum. At sunt perplures casus in quibus directa certitudo nequi attingi, maxi-

» Apud Palazzini-De Iorio, *Casus Conse.*, I, 49.

me a simplicibus. Tunc sufficit reflexa; unde Angelicus: «Aliquis parvae scientiae magis certificatur de eo quod audit ab aliquo scientissimo quam de eo quod sibi secundum suam rationem videtur»

Probabilitatis porro systemata dicuntur quae a saeculo XVI excogitata sunt ad efformandam ex principiis reflexis conscientiam certam in casu sive opinionis sive dubii. Numerantur tutiorismus atque laxismus, probabiliorismus, aequiprobabilismus, probabilismus et compensationismus.

50 Tutiorismus, seu rigorismus, docuit partem tutiorem —faventem legi—semper esse sectandam quandiu certo non constet de minus tuta—favente libertati—: tutior, aut certa. Quoniam tamen Alexander VIII damnavit propositionem: «Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam» (Denz. 1293), tutiorismus iamiam defenditur a nemine.

Laxismus, ex adverso, tenuit licite quem sectari partem minus tutam, dummodo aliquo modo probabilem, etiamsi tenuiter: Benignior, si probabilis. Cum tamen Innocentius XI propositionem condemnasset: «Generatim, dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus» (Denz. 1153), laxismus a nullo propugnatur amplius theologorum.

51 Probabilioristae docent tutiorem partem esse semper sectandam nisi pars minus tuta sit quoque probabilior: tutior, aut probabilior.

Aequiprobabilistae tenent partem tutiorem non necessario esse sectandam quando pars minus tuta est aequiprobabilis et simul dubium agitur de legis inceptio: tutior aut aequiprobabilis possidens.

1 S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 4, 8. 2m.

Probabilistae asserunt licite nos sequi partem minus tutam quandiu vere probabilis haec maneat: benignior, si solide probabilis; quotiescumque videlicet adsint rationes graves pro libertate, etsi certo minoris ponderis rationibus in favorem legis.

Compensationistae demum proclamant partem tutiorem sectandam esse nisi causa sufficiens adsit, id est proportionata cognitioni legis, pro sectanda parte minus tuta. Sicut lex, inquiunt, perfecte sive certo cognita, obligat perfecte, sic obligat imperfecte quae imperfecte, id est dubie, cognoscitur; ergo non negligitur licite absque motivo sufficienti. Hoc insuper requiritur, ex regula voluntarii indirecti, ad permittendam transgressionem legis materialem, materiale nempe peccatum—quod dicitur a Compensationistis malus tantum effectus.

Casus primus.

Cuncta probabilitatis systemata Froilanus confessarius cordetenus vellet a scholis et libris theologiae longepellenda, quod omnes omnino casus practici aut communi, ut dicitur, sensu aut per unum recursum ad prudentiam satis solvantur. Invocat etiam D. Thomam dicentem agibilia, quia singularia sunt, esse infinita nec ideo posse ratione comprehendi, quapropter neque regulis ratione definitis. Immo fidenter asserit ad licite agendum contra legem positivam sufficere rectam intentionem atque causam proportionatam.

Solutio

Ad communem sensum appellans, Froilanus aut incidit in damnatam Ethicam situationis (cf. I, 7 ss.), aut

non animadvertit enervari principiorum robur quo ad particularia magis descendimus, quae operabilia sunt et ideo contingunt, propter actus circumstantias multiples. De cetero si ille sensus communis est, oportet ipsum adesse vel sapientibus ideoque et theologis; cur hi atamen in quaestionibus practicis solvendis non sunt illo contenti? Sunt, uti plurimum, indoctiores qui communi sensu se muniunt, quasi foret ipsis peculiaris. Unde et agnoscere deberent sensum communem dici non quia communiter adsit sed quia communiter potius desideratur.

Solus quoque recursus ad prudentiam est, primum, iniuriosus: systemata quae Froilanus abhorret propugnata fuerunt a viris, praeterquam sapientibus, virtuosissimis, puta a S. Alphonse, qui non putarunt prudentiam sufficientem; quo pacto ergo sufficeret minus sapientibus et minus virtuosis? Sed est etiam sterilis. Prudentia petit virtutum moralium connexionem (2); quis successus in solutione casuum data a non virtuosis? Prudentia insuper, etiam iustis infusa, dictat ut consilium petamus a doctioribus, nam hic est ordo divinae providentiae ut gubernet inferiora per superiora¹; ideo in partibus eius integralibus—quae concurrunt nempe ad perfectum prudentiae actum—ponitur docilitas, qua «homo sollicite, frequenter et reverenter applicat animum suum documentis maiorum, non negligens ea propter ignaviam, nec contemnens propter superbiam»². Prudentia, denique, est habitus qui rationem practicam perficit ut bene consilietur, bene iudicet et bene imperet; certitudo igitur iudicii prudentialis pendet non ex prudentia sed ex principiis syllogismi practici; in his porro principiis sunt illa pronuntiata seu axiomata systematum probabilitatis.

55 Verum equidem D. Thomam dixisse agibilia diversi-

¹ S. Thomas. 1. c., I, 22, 3
 • Id., ib., II-II. 49. 3. 2m.

ficari in infinitum et ideo esse ratione incomprehensibilia; at oporteret non mutilare textum. Qui sic sonat: «Quia infinitas singularium non potest ratione humana comprehendi, inde est quod sunt *incertae providentiae nostrae*, ut dicitur *Sap. 9* [14]. Tamen per experientiam singularia infinita reducuntur ad aliqua finita quae ut in pluribus accidunt, quorum cognitio sufficit ad prudentiam humanam» * seu ad moralem certitudinem quam petimus prae actu.

De insufficientia, denique, rectae intentionis diximus alias (cf. I, 14); quid autem de sufficientia causae a Froilano invocatae? Liquido constat causam illam nullatenus sufficere si legislator eam exclusit tamquam insufficientem. Si autem legislator non exclusit eam, tunc aut legislator potest consuli, quo casu illa non sufficit; aut consuli nequit, in qua quidem hypothesis si causa est sufficiens in adiunctis in quibus agere secundum legis litteram esset noxium fini legislatoris, non ideo in circumstantiis in quibus agere secundum legis litteram non esset nocivum illi fini².

Alii casus.

C. II.—Kiranus in quodam conventu sacerdotum reflexum magnificat principium quod putat a se inventum pro dubiis quibusvis practicis solvendis. Promulgatio legis, inquit, est de legis essentia, saltem condicio necessaria; porro quandiu non certo constat legem urgere, lex non est sufficienter promulgata, nec obligat propterea. 56

Sol.—Aliud est legis promulgatio, aliud legis notitia: saepius etenim lex est satis promulgata, quin omnibus legis subditis sit nota; retinet ergo valorem obiectivum.

* fl. Thomas, l. c., 47, 3. 2m.

^a Caietanus, in II-II, 120, 1.

obligationem obiectivam et ideo actus quem praecipit ponendum ponendus est, quem vetat omittendum ut omittatur obligat. Prout spectat namque commune bonum, lex communitati est promulganda; sine hac promulgatione lex urget neminem—promulgatio sit de essentia legis aut condicio legis dumtaxat—. Dubium tamen agentis, subiectivum, nihil detrahit legi. Et quamvis agenti ex errore vel ignorantia invincibili non imputetur legis violatio, agentis tamen dubium et, a fortiori, opinio probabilior pro legis promulgatione non aequipollet ignorantiae vel errori invincibili. Lege propterea promulgata—non ut certa, non uti dubia, promulgata simpliciter—, adest obligatio obiectiva. Ubi subditus dubitet de promulgatione legis, et maxime ubi subditus probabilius opinetur legem promulgatam, cur excusaretur optans pro libertate a periculo cognito violandi legem? Iure cl. Peinador: «Obligatio quaelibet quae, inter operandum, alicui apparet ut dubia, certam vim habet constituendi hominem in discrimine transgrediendi legem, si datur; unde certam vim habet urgendi legem superiorem et universalem prudentiae, quae iubet vitare periculum peccandi» \

- 57 C. III.—Fibitius, unus ex adstantibus conventui, Kiranum plaudet eiusdemque sententiae suffragatur ideo quod obligatio obiective incerta nequit directe gignere nisi obligationem subiective incertam; sed obligatio subiective incerta est obligatio nulla.

Sol.—Obligatio illa obiectiva si non sit incerta nisi quoad notitiam, gignet directe obligationis obiectivae incertitudinem—dubium vel opinionem—; incertitudo autem de hac obiectiva obligatione innuit simul iudicium de periculo transgrediendi legem.

C. IV.—Instat tamen Fibiutius periculum huiusmodi 58
versari circa peccatum materiale neque oportere moralistam—qui velit animas usque ad Deum conducere—urgere obligationem legum incertarum, cum iam sint homines nimis parum proclives ut impleant leges certas; permittenda ergo peccata materialia, homines ne transeant ad formalia.

Sol.—Moralista non habet ius derogandi legi; potest tacere in casibus ubi prudenter timet ne qui hucusque peccavit materialiter peccet inde formaliter; non propterea docere laborantem conscientia dubia vel conscientia probabili—quae a conscientia invincibiliter erronea longe distant—declinare licite contra praescriptum legis, in favorem scilicet libertatis. Quin ideo sit carpendus quod multiplicet formalia peccata; nisi velimus dicere ipsum legislatorem haec multiplicare, quoniam leges multiplicat, eaque multiplicare, v. gr., parochum qui fidelibus notificat praescripta divina et ecclesiastica.

C. V.—Theopistus, alius ex circumstantibus, se profitetur sectatorem systematis compensationis sive rationis sufficientis, quod vellet ab omnibus haberi ut systema prudentiae Christianae. En eius ratio: ad communem doctrinam de voluntario indirecto, licet ponere actum cui duplex est effectus, bonus et malus, si adest causa proportionata permittendi pravum effectum; pravus effectus in casu dubii, si quis agit pro libertate, est materialis transgressio legis sive peccatum materiale; ideo quo probabilior est legis transgressio, gravior petitur causa.

Sol.—Perperam invocat Theopistus voluntarii indirecti notam regulam, nam, quantumvis liceat actum ponere bonum aut non malum cui duplex est effectus, alius bonus intentus, alius malus permissus, hic dum satis compensatur illo, agitur modo non effectus malus sed

actus probabiliter malus; peccatum enim materiale est actus, non, prout Theopistus loquitur, effectus.

60 C. VI.—Copres, probabilista acerrimus, principium *lex dubia non obligat* extollit quasi optimum ad convertendam speculativam probabilitatem, etsi minorem, in certitudinem practicam, nam quandiu opinio minus tuta est solide probabilis, dubia, tenet, est lex, sive tutioris partis obligatio.

Sol.—Illud principium non est certum, nec valet ideo conferre intentam certitudinem.

Non est certum quoad dubia positiva facti. Sic in Iure Canonico (can. 15) committitur Ordinariis facultas ecclesiasticas leges dispensandi in dubio facti; quas propterea dixeris urgere usquedum dispensentur. De humanis legibus in genere, iam dixit D. Thomas legislatorem leges ferre secundum ea quae ut in pluribus accidunt¹ et ideo habere potestatem dispensandi in personis et casibus in quibus lex universalis deficit². Quoad universas leges, denique, quoniam in dubio facti lex, utpote perfecta, retinet iura sua; non licet igitur se exponere periculo legem violandi.

Nec est certum quoad omnia dubia positiva iuris, ea saltem amplitudine qua a fautoribus extollitur Probabilismi. Verum est etenim quod si nolit legislator humanus urgere legem in casu omnis omnino dubii positivi, eius lex tunc non urget, ob positivam voluntatem eius. Sic ubi talis sit sensus citati can. 15, quoad leges ecclesiasticas: «Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent»; dubia haec auctoritative soluta essent, ab ipso nempe legislatore, qui pari prorsus iure poterat contrarium statuere. Unde cl. U. Lopez: «Ultero

¹ S. Thomas, l. c., I-II, 96, 6, 3m.

« Id., lb., 97, 4.

concedimus quod ex hoc (can. 15) non sequitur, in favorem probabilismi, leges dubias non posse habere vim obligandi; nam quod non obligent, sufficienter explicari potest ex positiva voluntate legislatoris sic statuentis» \

1 U. Lôpez, *Thesis probabilismi, etc.*, in *Periodica*. 26 (1937), p. 31.

I. RESTITUTIONIS RADICES

Doctrina.

Restituere idem est ac iterato statuere aliquem in 61
possessionem pacificam rei suae. Supponit igitur restitu-
tio identitatem rei, et sic primitus locum habuit in exte-
rioribus illis rebus quae, manentes secundum se, aptae
sunt quae ab uno in alium transeant, cum illius minora-
tione huiusque emolumento, et ideo ab hoc in illum re-
deant. Sed nomen ad res alias facile fuit translatum
quae non permanent nisi—physice aut moraliter—in ef-
fectu, quaeque igitur cum minoratione unius non dicunt
emolumentum alterius, et propterea non nisi aequiva-
lenter redire ad illum possunt. Hinc restitutio congrue
definitur: Rei acceptae redditio vel damni illati com-
pensatio; nam ubi accepta res ipsa redditur, restitutio
fit ad sensum verbi pristinum; ubi vero damnum illatum
compensatur restitutio fit iuxta translatum sensum.

Est propterea restitutionis duplex caput, titulus seu
radix: *a)* res aliena qua quis abundat ultra sibi debitum,
seu detentio alieni contra domini voluntatem, seu *pos-
sessio iniusta*, et *b)* acceptio rei alienae unde alter de-

ficit a sibi debito, seu actus quo dominus invitus re sua privatur, seu *damnificatio iniusta* \

62 *Ex possessione iniusta*

a) si quidem bonae fidei—invincibiliter putantis rem quam possidebat esse suam, quam modo, veluti casu, alienam noscit—, restituenda est res prout exstat, fructus etiam exstantes sive naturales—qui rem sequuntur sine industria humana, utputa herba in campis et communes fetus animalium—, sive civiles—qui proveniunt ex locatione rei, uti pretium locationis domus vel iumentum—; deductis tamen expensis sive necessariis—sine quibus res periisset vel deterior evasisset—sive utilibus—quae rationabiliter augent valorem rei—; quod si res vel fructus non exstant amplius, id unum est reddendum quo ex rei fructuumve alienatione vel destructione ditior quis est effectus.

b) si vero malae fidei—scientis rem quam possidet vel possidebat alienam esse nullumque possessioni favere titulum—, restitutio facienda est quae ex possessione bonae fidei urget; damnum praeterea emergens compensandum atque lucrum cessans¹.

63 c) si dubiae fidei, denique—positive, ob graves rationes, dubitantis de iusto titulo retentionis vel acceptio- nis—, duplex est casus distinguendus, prout agitur de dubia fide consequente seu superveniente aut de dubia fide antecedente.

Si enim dubium post possessionem surgat, hactenus possessio exstitit bonae fidei. Orto attamen dubio, pos-

¹ Immerito radicem tertiam quidam cooperationem iniustam addiderunt: cooperatio etenim non ratione sui sed ratione damnificationis obligationem restitutionis inducit.

¹ Cf. 229.—Iura civilia communiter attenuant in favorem possessoris bonae fidei restitutionem, quam in poenam possessoris malae fidei aggravant. Huiusmodi leges non sunt certo iniustae; eis propterea possessor bonae fidei stare potest, possessor malae fidei stare tenetur.

essor tenetur de veritate inquirere. Et si quidem inquisitione facta, dubium non solvitur, pergat in possessione bonae fidei. Si vero solvitur contra se, id agat quod bonae fidei possessori diximus agendum. Inquisitione culpabiliter neglecta, possessio dubiae fidei in malae fidei possessionem convertitur; quapropter domino comparent! debentur ex tunc temporis quae ex possessione malae fidei iamiam movimus debita.

Si autem dubium cum possessione incipiat: aut invitus spoliatus fuit, seu deturpatus a possessione, rei possessor suspectus; et tunc manente dubio pergit possessio malae fidei—nam in dubio melior est condicio possidentis—; aut a suspecto possessore consentiente res fuit obtenta titulo alias legitimo, v. gr. emptione, donatione, et tunc qui rem obtinuit tenetur inquisitionem facere. Dubio tamen post inquisitionem persistente de vero domino, restitutio, ad communiorem sententiam, facienda est, pro rata quidem dubii, vel domino dubio vel pauperibus; nisi suspectus possessor bona fide possederit—tunc etenim acquirens, etsi forsan peccaverit ob propriam fidem dubiam, potest seipsum considerare ut unum cum illo possessore, sic ut possessio dicatur incepta bona fide, dubium autem habendum quasi superveniens sive consequens.

Ex iniusta damnificatione alicuius

64

a) in exteriori re quam habet propriam, restituendum est aequivalens non modo rei eiusque fructibus sed damno quoque emergenti et lucro cessanti.

b) in iure quod hic habet ad obtinendam rem exteriorem, compensandum est damnum quoties impedimentum involvit media iniusta vel impeditur quis a boni consecutione ex iustitia commutativa sibi debiti.

c) in fama et honore, reparanda sunt fama et honor simul ac damna realia quae ex verborum iniuriis personam damnificatam consequuntur (249 ss.).

d) in persona propria—v. gr. vulnere, mutilatione, stupro—, reparatio urget personalis, iuxta D. Thomam realis, omnium sententia.

e) in persona coniuncta, urget compensatio realis; ita ex homicidio viri damna sunt reparanda quae uxori ac liberis obveniunt¹; ex adulterio, quae viro ac filiis legitimis contingunt.

Tenentur autem rei aequivalens reddere seu damnum compensare quotquot actione aut omissione iniusta, efficaci et culpabili cooperati sunt ad iniustam acceptionem vel damnificationem; in solidum quidem, idest totum singuli, quotquot in totum damnum influxerunt³; pro rata autem, idest partem singuli, quotquot influxerunt in partem damni.

Casus prius.

65 Theodorus adolescens, emerso studiorum curriculo, in patriam redivit et a patre iam sene rei familiaris administrationem suscepit. Tunc novit plura bona, quae a patre bona fide possidebantur, dubio iure parta esse. Nihilominus tacet. Aliquot post annos moritur pater et Theodorus universam adiit hereditatem.

1 S. Thomas. *Summa Theol.*, II-II, 62, 2, 1m.

2 «Uxori et liberis certo haec tantum restituenda sunt alimenta quibus per illam necem priventur; cum in reliquo damno patrimoniali occisio non sit familiae iniuriosa. Nec creditoribus, cum debitor non sit res creditoris; nec societati assecuranti, propter cuius utilitatem occisio non prohibebatur, aliquid debetur. Nihil ex iustitia debetur, si ante mortem vulneratus omnia remiserit, vel vulnus illatum sit in duello, ad quod alterum, invitum, occisor non coegerit» (Vermeesch, *Th. Mor.*, II, 658, ed. 1928).

3 «Rudes, etsi teneantur in solidum, raro expedit obligare eos ad totum; cum difficulter isti sibi persuadeant se teneri ad restituendam partem a sociis ablatam. Quinimmo satis praesumi valet quod ipsi domini, quibus debetur restitutio, consentiant ut illi restituant tantum partem ab eis ablatam; cum aliter valde timendum sit quod nihil restituant, si obligentur ad totum» (S. Alphonsus, *Th. Mor.*, III, 579, ed. Gaudé).

Quaeritur:

- 1) An Theodoro liceat patrem non admonere de bonis dubio iure acquisitis;
- 2) An post patris mortem et aditam hereditatem Theodorus acquiescere possit.

Solutio

Ad Ium.—Si cum Theodorus venit in notitiam dubiae acquisitionis bona sic acquisita iam praescripserint (100 ss.) in favorem patris—quippe qui senex fingitur—, ei proculdubio licet patrem non admonere: nihil enim tunc instat emendandum. 66

Si vero tempus praescriptionis nondum completum erat, Theodorus potuit teneri ex caritate ad patrem admonendum, quoniam agitur tertii damnum certum—certum nempe quoad totalitatem illorum bonorum si facta investigatione dominus sit certus; aut certum quod illorum bonorum partem si facta investigatione dominus maneat dubius—. Potuit, inquam, teneri: nam monitio huiusmodi non urget quandiu fructus non speratur (II, 331).

Non tamen teneretur ex iustitia. Nam etiam in hypothesisi qua Theodorus suscepisset rei familiaris administrationem stricte dictam, teneretur quidem ex officio ad impedienda damna tum patris tum familiae, non vero ad impedienda damna tertii. Si tamen, rem familiarem administrans, esset quoque exsecutor pravae (obiective loquendo) paternae voluntatis, tunc, etsi non peccaret contra iustitiam dubius—nam in dubio licuit ipsi obedire—, si tamen fieret certus de iniustitia, teneretur aut patrem monere aut administrationem declinare.

Ad Iium.—Si cum pater moritur plura illa bona praescripserunt in favorem patris, affirmative. 67

Si autem tunc temporis nondum praescripserunt, Theodorus tenetur debitam instituere inquisitionem ut deponat dubium; domino comperto, bona reddenda sunt pariter atque fructus ex possessione bonae fidei (patris nempe) debitos; domino non comperto, Theodorus potest illa servare sibi et complere inceptam a patre praescriptionem—paratus tamen ipsa tradere domino si hic ante completam praescriptionem compareat.

AKI casus.

- 68 C. II.—Bona fide possidebat Abdon nonnullas res alienas, quarum quasdam vendidit, quasdam donavit gratis, ceterasque consumpsit. Inopinato dominus comparuit. Quid huic reddendum?

Sol.—Pro rebus quas vendidit, tenetur Abdon reddere pretium nondum consumptum aut consumptum loco pecuniae propriae; non vero pretium quod iam expendit, alias nihil expensurus. Pro rebus quas dono dedit tenetur reddere res proprias quibus pepercit, donans alienas; at si dedit alienas qui non daret proprias, ad nihil tenetur prorsus. Itidem pro rebus quas consumpsit; quapropter si vinum biberit alienum alias non bibiturus, ad nihil tenetur; sed tenetur id reddere quod servavit sibi dum pepercit proprio quod bibiturus erat.

- 69 C. III.—Hypatius sciscitatur a theologo utrum valeat rem vendere quam dubia fide possidet.

Sol.—Affirmative, «modo emptori dubium illud exponat, paratusque sit aut rem aut eius pretium restituere, si constet esse alienam, quia tunc neque emptori neque domino ulla fit iniuria. Si autem illa dubitatio non exponatur emptori, perinde esset ac si res defectuosa ei venderetur, non indicato defectu occulto, atque ita fieret

fraus emptori qui rem, cognito isto defectu, nullatenus emisset, aut certe pretium dedisset longe minus»

C. IV.— Agatha, ditissima, Sabinae mentem aperit de 70
 larga quam cogitabat donationem Augustinianis reli-
 giosis faciendam. Verum Sabina, quoniam odio afficitur
 erga religiosos huiuscemodi, Agathae enixe suadet ut
 donationem faciat Capuccinis, «propterea quod Augusti-
 nian! (inquit) satis superque abundant». Teneturne Sa-
 bina damnum Augustinianis compensare?

Sol.— Distinguendum est: a) Si Sabina verba protulit
 quae putabat falsa, quae postea tamen invenit esse vera,
 peccavit quidem iniustitia affectu, non autem effectu (re
 non intulit iniuriam, quam inferre volebat); nec prop-
 terea est causa damni passi ab Augustinianis; ad resti-
 tutionem igitur non tenetur, b) Si verba, contra, protulit
 quae putabat vera, non est usa mendacio ut Augustinia-
 nos privaret donatione; non est ergo causa formaliter
 iniusta, nec ideo ad restitutionem obligatur; tenetur
 attamen si, priusquam donatio Capuccinis fiat suum
 errorem detegit, quod iudicium emisit apud Agatham re-
 tractare— alias redderetur damnificatrix formalis—
 c) Si id dixit, denique, quod falsum noverat, tunc est for-
 maliter iniusta damnificatrix; scienter enim impedivit
 Augustinianos a donatione coarctans Agathae liberta-
 tem: haec enim voluntatem mutavit ob errorem in quem
 ob Sabinae mendacium fuit inducta.

Porro quandiu quis damnificator est formaliter iniu- 71
 stus, ad compensationem obligatur damni illati. Si Sabi-
 nae igitur constat eius consilium causam exstitisse cur
 donatio sit facta Capuccinis quae tota quanta erat fa-
 cienda Augustinianis, his tenetur dare quantum illi acce-

1 Silvius, in *II-II*, q. 62. a. 6, q. 3, conci. 3.

perunt¹; si vero dubium sit de efficacia consilii aut de quantitate donationis cogitatae, tunc pro rata dubii satisfaciat. Demum, si, praeter impeditam donationem, famam quoque verbis abstulerit qua gaudebant apud Agatham fratres Augustinian², famam quoque reparet; hancque si reparare nequeat, Augustinianis aliter compenset, ad probabiliorem certo sententiam.

- 72 C. V.—Cum noverit episcopum cogitare de beneficio conferendo clerico Secundario, Pierius episcopum adivit, cui amicitia iungitur, ipsumque rogavit summis precibus ut in gratiam mutuae necessitudinis a cogitata collatione abstineret. Episcopus consensit. At Pierium nunc conscientia vexat quasi teneretur compensare damnum quod Secundario intulit.

Sol.—Pierius, etsi peccavit contra caritatem—si noverat Secundarium beneficio dignum—, non peccavit contra iustitiam: collatoris enim libertatem non coarctat qui precibus dumtaxat illum movet ne proximo collationem liberam faciat³.

- 73 C. VI.—Quod et qualiter gravat reparationis onus su-

¹ Liquet ad compensationem erga Augustinianos neque Agatham neque Capuccinos adstringi; Agatha enim de donatione cogitabat pure liberali; Capuccini non possident alienum nec damnificatores fuerunt inlusti—nihil enim fecerunt ne donatio Augustinianis fieret; probabiliter immo ignorant cur sibi obvenerit.

² Verba «satis superque abundant», maxime in ore feminae quae ex odio in fratres Augustinianos loquitur, facile sonant «ultra id quod religiosos decet».

³ «Suppono tamquam certum quod, qui impedit aliquem a consecutione boni ipsi debiti ex iustitia commutativa, quovis modo impediat, etiamsi solis precibus aut suasionibus sine vi aut dolo, teneatur ad restitutionem; quia violat iustitiam commutativam et lus strictum alterius. Sic teneris restituere si suadeas venditori ne mercem emptam et solutam tradat emptori, si impedias suasionibus et consiliis ne is qui electus est ad beneficium et confirmatus adipiscatur possessionem» (Billuart, *Summa S. Thomae*, tr. de lure, etc., diss. 8, a. 12).

per eum qui grave damnum intulit actione, v. gr. ob inadvertentiam, venialiter solummodo culpabili?

Sol.—Quattuor sunt Moralistarum sententiae, quarum prima obligat sub gravi ad reparationem totius damni, altera ad hanc plenam reparationem obligat sub levi, tertia sub levi obligat ad reparationem damni partialem, et quarta ad nullam reparationem obligat quomodolibet. Optime Prümmer: «Prima sententia obsoleta est. Theoretice loquendo nobis melior videtur secunda sententia, quia obligatio restitutionis mensuranda est praecipue ex culpa agentis, connotante tamen damnum realiter causatum. Hinc ubi est nulla culpa moralis, nulla est obligatio moralis restitutionis; ubi est gravis culpa, oritur et gravis obligatio (dummodo damnum causatum sit grave). Ergo videtur esse rationabile, ut, ubi grave damnum cum levi culpa causatum fuerit, adsit levis obligatio reparandi hoc damnum»^{*} Nec oportet insistere super distantiam inter gravitatem damni reparandi et levitatem obligationis, quoniam et legislator potest obligare in materia gravi sub levi et plures novimus religiosos qui ad celebrandam unam quinimmo trinam Missam pro defuncto confratre se obligant sub poena et non sub culpa, mortali aut veniali. Obligaris tamen sub gravi ad reparandum grave cum levi culpa illatum quoties aut praecesserit contractus specialis—quo te ligasti sub gravi ad reparandum damnum causatum ex levi incuria—

¹ Prümmer, *Th. Mor.*, II, 97. ed. 1928.—«Ceterum, quidquid sit de speculatione huius quaestionis, communiter advertunt cuiusvis sententiae auctores raro contingere in praxi quod causetur damnum grave ex culpa veniali; quia licet inconsideratio venialis sit frequens in subreptitiis cogitationibus et internis animi motibus...; raro tamen contingit in operibus externis gravis momenti, quia ordinarie suum periculum ingerunt et fortius mentem excitant ad sui considerationem, aut saltem ad confusam periculi cognitionem. Unde nisi certo constet inadvertentiam fuisse venialem, habenda est in praxi pro mortali, conformis scilicet damno, et inculcanda est obligatio restituendi sub mortali» (Billuart, l. c. a. 5).

aut intercedat sententia iudicis—propter culpam iuridicam.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Num femina oppressa, quod interne consensit, teneatur ad restitutionem pro expensis prolis (I, 44); Ob inadvertentiam incendens domum pauperis amicissimi (I, 93-5); Pravorum periodicorum venditorem damnificans (II, 397-401).

II. CAUSAE A RESTITUTIONE EXCUSANTES

Doctrina.

74 Nonnullae dantur causae quae excusant a restitutione modo facienda sive a restitutione immediata; vocantur causae excusantes ad tempus. Aliae sunt quae excusant a restitutione modo et in posterum seu simpliciter; dicuntur causae excusantes in perpetuum.

Causae excusantes ad tempus sunt:

a) Ignorantia invincibilis. Quandiu quis enim invincibiliter ignorat rem esse alienam aut se ad restitutionem obligari, tandiu a restitutionis lege excusatur.

b) Debitoris impotentia sive physica sive moralis. Physica, proculdubio, quoniam nullus tenetur ad impossibile. Moralis insuper, seu nocumentum maius extrinsecum, nam ubi nocumentum quod ex restitutione imminet debitori exsuperet nocumentum quod creditor ex dilatione sustineret, creditor non censetur rationabiliter invitus.

c) Damnum creditoris vel tertii. Creditoris quidem,

si restitutio (ad eius utilitatem ordinata) sit ipsi noxia \ Terti quoque, cui ius omnino est ne quis cum creditore cooperetur ad eius damnum.

d) Bonorum cessio, quam debitor solvendi impar facit creditoribus; nisi libere ab istis acceptata excuset, ob pactum, in perpetuum ¹

Causae excusantes in perpetuum:

a) Quae ad tempus excusant, si perpetuo durent vel ⁷⁵ protrahantur.

b) Cessatio quaeque iniuriae; haec enim non protrahitur si res non clamat dominum aut quia iam rediit in huius possessionem aut quia ab eius possessione cessit.

¹ «Quando res restituenda apparet esse graviter noxia ei cui restitutio facienda est vel alteri, non debet ei tunc restitui: quia restitutio ordinatur ad utilitatem eius cui restituitur; omnia enim quae possidentur sub ratione utilis cadunt. Nec tamen debet ille qui detinet rem alienam, sibi appropriare: sed vel reservare ut congruo tempore restituat, vel etiam alibi tradere tutius conservandam» (S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 62, 5, Im).

² «Per cessionem bonorum nihil detrahitur iuri debitoris ad congruam sui suorumque sustentationem. Cessor enim non est peioris conditionis quam ceteri debitores, quibus gravis familiae necessitas est causa iusta differendi restitutionem. Hinc, si debita proveniant ex contractu, cessor tenetur illa solvere, si plus acquisivit quam ad sui status decentiam requiritur. Si vero proveniant ex delicto, v. gr. furto, usura, illa sola sibi retinere potest quae ad victum sunt necessaria. Inde concludas: 1.º Uxor et filii licite recipiunt alimenta a patre debitis gravato, si aliunde non habeant sustentationem. Immo, tametsi uxor possit vivere bonis propriis vel propinquorum, potest tamen a viro (etiam usurario) ad restituendum impotente recipere alimenta: quia vir non minus tenetur uxorem alere quam solvere debita. 2.º Famulus recipit licite salarium a domino debitis gravato, si huic sit necessarius, vel si in creditorum utilitatem laboret. Quod si non sit necessarius, et advertat herum ex tali famulatu reddi ad satisfaciendum debitis impotentem, tenetur discedere, ne causa fiat damni creditorum. Potest tamen licite retinere quod bona fide iam recepit. 3.º Qui accepit dona ab homine debitis gravato, tenetur ad restitutionem, si debitori ob hanc praeposteram liberalitatem adimitur facultas suis satisfaciendi creditoribus; nam per talem acceptionem fit positiva causa cur creditores damnum patiantur. 4.º Qui debitis gravatur, nequit sine iniustitia recusare hereditatem, qua reddendo par fieri potest» (Marc, *Inst. Mor.*, I, 1023, ed. 1927).

c) Compensatio, non modo proprie dicta seu legalis (codicibus agnita civilibus), qua debitoris debitum per aequale creditoris debitum extinguitur—v. gr. debeo tibi 100 pro oleo et tu debes mihi 100 pro vino, retineo 100 quae debeo tibi loco 100 quae debes mihi—; sed et improprie dicta, quando debitum est tantum ex una parte, sive agatur compensatio iudicialis (cum debitum recuperatur per sententiam iudicis), sive agatur compensatio privata (absque recursu ad iudicem), neque dumtaxat manifesta (conscio debitore), sed et occulta (debitore inscio), nam etiam haec altera, qua creditor sibi satisfacit, aequalitatem reparat quam restitutio intendit (85 SS.).

d) Aequivalentis rei donatio, ad satis probabilem sententiam †: nam debitor, dum creditori donat aequivalens, aequalitatem restaurat prius solutam; immo, etsi debiti prorsus immemor, quoniam sic in creditorem bene dispositus, voluntatem restituendi iam implicitam habet—quam explicitam haberet si de restitutionis debito cogitaret.

† Contrariae sententiae est, inter alios, Billuart (*Summa S. Thomae*, tr. de iure, etc., diss. 8. a. 20), qui negat donatione posse, per se loquendo, quem extinguere debitum, is donet intentione donandi aut intentione restituendi: in primo casu, nam donum gratuitum et debitum ex iustitia pugnant inter se; in altero, quoniam creditor acceptans donum non censetur remittere ius ad debitum strictum; in utroque, quia creditor gravatur onere gratitudinis. Concedit attamen hoc pacto restitutionem fieri posse per accidens, si intercedat nempe proportionate, causa, v. gr. diffamationis periculum; si haec etenim causa potest a restitutione excusare, saltem ad tempus, a fortiori potest hunc restitutionis modum permittere, creditori magis proficuum.—Hinc Fanfani (*Th. Mor.*, II. 375) ad dubium: Utrum facta restitutione per simulatam donationem, restitutioni adhuc teneatur debitor, si creditor, gratitudine motus, aliud donum illi rependat? respondet: «Affirmative, saltem probabilius: ratio est quia creditoris donatio nulla est; ex falsa enim causa motiva procedit, et consequenter spontanea non est. Ergo donum uno vel altero modo restituendum, ut aequalitas iustitiae revera instauretur». Alii dicunt, e contra redonationem esse liberalem, utpote cui donator praebuit occasionem potius quam causam.

e) Condonatio libere facta a creditore capaci l.

f) Transactio seu inter partes compositio. «Est apertissimum medium ad finienda iurgia; nam melior est transactio magra, quam sententia pinguis» 1

g) Publica auctoritas, ob reipublicae utilitatem; si bonum namque commune potest a civibus exigere sacrificium vitae, a fortiori sacrificium bonorum exteriorum; valet igitur civilis princeps restitutionis onus alleviare et tollere.

h) Praescriptio penes bonae fidei possessorem (100 ss.).

i) Compositionis indultum pontificium, nam cum Summus Pontifex sit supremus administrator seu habeat dominium altum bonorum omnium ecclesiasticorum (can. 1499, § 2), eius est ipsamet ob bonum commune condonare, etc. Ob curam etiam sibi commissam pauperum et in bonum spirituale sive debitoris sive creditoris, solet Ecclesia, cui Romanus Pontifex praeest, et partem debiti applicare pauperibus et reliquam, quam remittit, ita de thesauro proprio supplere ut creditori tanta obveniat utilitas quantum hic obtineret totum debitum in causas pias impendens. Cum non agitur de bonis ecclesia-

1 «Condonatio tacita aut praesumpta censetur adesse, quando prudenter iudicari potest creditorem, si convenienti modo rogaretur a debitore vel a confessario nomine debitoris, esse libenter remissurum debitum» (Prümmer, *Th. Mor.*, II, 241, ed. 1928).—Condonatio praesumi potest in furtis minoris momenti (paucorum nummorum, esculentorum) quae domi a filiis familias vel ab uxoribus facta sunt, si res ablatae non iam existant; in esculentis aut rebus minoris momenti quae a famulis consumpta sunt; vel etiam, in materia gravi, cum famulus deprehensus a domino corripitur vel expellitur, nulla petita restitutione; vel quando, in causa criminali, nulla compensatio damni petita est; in parvis rebus quas operarii in silvis, vineis, officinis laborantes quandoque asportant, cum eae sunt quas dominus parum curat aut rogatus facile concederet; in furtis minutis pauperum quae erga diversos dominos fiunt—si erga eundem, partem saltem restituant, ac de cetero emendationem proponant (Vermeersch, *Th. Mor.*, II, 682, ed. 1928).

2 Marc, l. c., n. 1160.

Sticis, S. Paenitentiarum non concedit compositionem, pro foro interno, nisi dominus sit incertus, casus occultus atque debitor pauper \

Casus primus.

- 76 Aegidius rei familiaris copia ditatus, graviter aegrotans, accersit sacerdotem eique in confessione aperit suam conscientiam, nempe se suas facultates maximam partem conflasse dolis atque fallaciis, tum in speculationibus, quae vulgo «giochi di Borsa» vocantur, tum in aliis negotiis. Adicit tamen se non posse nunc damna illata reparare, sive quia ignorat in pluribus casibus cuinam sit restituendum, sive praesertim quia, facta restitutione, uxor et liberi ad summam inopiam redigerentur, atque ipse apud illos et apud plurimos alios maxima infamia afficeretur.

Quid dicendum?

Solutio

- 77 Aegidius fatetur se maximam partem suarum facultatum dolis atque fallaciis adhibitis conflasse; quoad illam ergo *maximam partem* est possessor malae fidei et damnificator formaliter iniustus; tenetur ergo ad restitutionem rei dolose acquisitae, eiusque (si qui sint) fructuum sive naturalium sive civilium, et ad compensationem damni emergentis atque lucri cessantis.

Aegidius dicitur rei familiaris copia ditatus; ergo physice potens est qui restitutionem faciat immediatam. Sed opponit ab immediata restitutione impediri ex triplici capite, nempe quoniam ignorat in pluribus casibus

1 In quibusdam regionibus, ubi viget bulla Cruciatum, parva quaedam compositio obtinetur vi Summarii Compositionis; sed cum agitur maior quantitas recurrendum est ad bullae Commissarium.

cuinam sit restituendum, quia facta immediata restitutione uxor et liberi ad summam inopiam redigerentur, et quod restitutionem faciens immediate ipse apud familiam et apud plurimos afficeretur infamia maxima.

Sed prima ratio non excusat a restitutione immediata creditoribus (paucis) notis. Excusat tamen ab immediata restitutione creditoribus (pluribus) ignotis; quoad hos igitur imponenda est ipsi obligatio inquirendi de creditoribus et de restitutione his vel heredibus facienda cum erunt noti; de restitutione autem facienda pauperibus, quandiu, post debitam inquisitionem, domini manebunt ignoti.

Summa inopia, de qua secunda ratio, videtur dicta 78 per exaggerationem. Quoniam Aegidius ponitur «rei familiaris copia ditatus», nec totam hanc copiam conflavit dolis atque fallaciis, etsi maximam partem eius; aliquid etiam lucratus est personali industria; non ergo apparet quomodo facta immediata restitutione uxor et liberi coniciantur in summam inopiam. Quae de cetero, si vere sit imminens, satis vitari poterit dum, facta nunc restitutione creditoribus paucis notis, et facta inde restitutione creditoribus post inquisitionem detectis relinquat uxori ac liberis id quod foret dandum pauperibus (in quorum numero uxor veniret atque filii) vel id quod sibi permetteretur post compositionem cum S. Sede. Si tamen quae dicitur summa inopia sit dumtaxat deiectio ab statu iniuste acquisito, hoc periculum non eximit Aegidium ab immediata restitutione creditoribus notis et mediata creditoribus post inquisitionem detectis (vel pauperibus, si hi post inquisitionem maneant ignoti).

Sed et periculum infamiae maximae, de qua ratio 79 tertia, imaginarium potius quam reale dixeris. Uxor enim et liberi plane sciunt quibus negotiis vacaverit Aegidius et quibus etiam mediis ad tantam copiam divitiarum pervenerit; potius quam ex restitutione facta, infamia pe-

nes ipsos imminet ex ommissa restitutione. Item quoad periculum infamiae penes plurimos alios. Si tamen periculum infamiae maximae vere immineat, aut vitari potest alio modo, quo in casu restitutio urget immediata, aut vitari nequit nisi restitutio differatur, et tunc differri ad tempus potest, non quidem omnis, sed ea tantum quae, si immediate fiat, infamiam pariat.

Quia tamen dicitur graviter aegrotus, Aegidius saltem urgendus est ut provideat quominus heredes restitutionem, nunc moraliter impossibilem, ipsi faciant statim ac sine famae detrimento possint.

A lii casus.

80 C. II.—Callicinius mutuum mille francorum Honorio dederat; post autem novit Ottonem huic debere tantamdem pecuniam; petiit ergo ab Ottone ut velit sibi reddere quod Honorio redditurus erat. Liberaturne docilis Otto noster a restitutionis debito erga Honorium?

Sol.—Per se et in rigore iuris, affirmative, nam agitur compensatio quaedam seu debiti atque crediti inter se contributio. Per se, inquam, quoniam non liberatur si Honorius adhuc forte cogatur solvere, vel si is creditores privilegiatos aut hypothecarios habeat. In rigore, diximus, iuris, quoniam talis solutio, facta absque causa, illicita erit ob plura incommoda quibus est obnoxia; foret autem sufficiens ratio, si Callicinius pecuniam ab Honorio aliter recuperare nequiret; at in foro externo talis solutio impugnari potest. Ita Mare \

81 C. III.—Eudoxius, ob infelicem rerum eventum, impar factus est qui omnibus creditoribus satisfaceret. His igitur cessit bona cuncta sua. At post decennium magnam copiam pecuniae nactus, confessarium interrogat num

creditoribus illis teneatur debitorum partem reliquam restituere.

Sol.—Bonorum cessio, quam debitor solvendi impar, fecit creditoribus aut fuit voluntaria—libere a creditoribus acceptata—et tunc effectus obtinet de quibus creditores cum debitore simul convenerint; aut fuit iudiciaria—declarata per iudicis sententiam—, et tunc nec continuo lex a restitutione eximit in perpetuum, nec creditores praesumi possunt debiti remisisse partem reliquam.

C. IV.—Cum domum noverit propterea incendio traditam a famulis Nemesii quod hic ipsis dixerat rem sibi gratissimam peracturos, Ischyron famulos dispensavit a damno compensando. Estne igitur Nemesius dispensatus? 82

Sol.—Negative, dispensatis enim exsecutoribus—qui ad totum damnum reparandum tenebantur in solidum condionate—, non ideo dispensatur iubens—cuius est totum damnum reparare absolute—. Dispensato tamen iubente, causa principali, dispensantur quoque instrumentales causae.

C. V.—Ob eius paupertatem et domini ignorantiam Oswaldus habuit a S. Sede compositionis indultum, ea tamen condicione ut in pauperes erogaret decimam partem debiti. Post annos venit in meliorem fortunam atque dominus comparet. Tenenturne ipse, tenenturne pauperes quibus decima pars fuit distributa, ad restitutionem erga certum dominum? 83

Sol.—Negative; non quidem ipse «quia bona fide applicata sunt, et bona fides non patitur ut debitum amplius exigatur. Nec pauperes, quibus distributio facta est, tenentur domino comparent! aliquid reddere, quia iure optimo fuit facta applicatio, ratione cuius pauperes dominium acquisierunt; quem ad modum per praescriptionem dominium acquirit possidens et non tenetur

comparent! domino rem restituere». Ita Salmanticenses l.

84 C. VI.—An paenitens teneatur simpliciter in materia de restitutione stare iudicio confessarii, ita quod si confessarius obliget paenitentem debentem centum aureos ad restituendum statim, hos etsi non possit sine magna iactura statim solvere, teneatur paenitens statim solvere.

Sol.—Ad hunc casum Vitoria: «Respondetur quod simpliciter non tenetur paenitens stare in materia restitutionis iudicio confessoris, quoniam obligatio restituendi est de iure divino, et non potest hoc mutare confessor. Et sic, si alias paenitens non obligatur ad statim solvendum, ex praecepto confessoris non obligatur. Unde in tali casu stat quod paenitens sit peritior confessore. Vel si non, potest consulere alios doctiores sui confessore ad videndum si statim teneatur solvere necne, quia hoc eget magna discussione, et sic non teneretur stare illius iudicio. Verum est quod regulariter standum est iudicio confessoris. Et consultum erit quod paenitens non disputet de hoc cum confessore, nam erit irreverentia magna, quia elegit, ut suppono, peritum confessorem. Secus tamen quando ipse paenitens est peritior confessore, vel consuluit alios peritiores, non tenetur stare illius iudicio» 1

III. OCCULTA COMPENSATIO

Doctrina.

85 Occulta compensatio definitur: Actus quo inscio debitore aliquis id accipit quod est sibi debitum. Differt

1 Salmanticenses Mor., tr. 13, de restitutione, cap. I, n. 217.

2 Vitoria, in II-II. 62. 3. n. 14. ed. Beltrân de Heredia.

ergo a compensatione legali, ubi ex utraque parte est debitum quaque mutua duorum debitorum obligatio extinguitur, nam hic unus tantum est debitor; differt quoque a compensatione iudiciali, quoniam solutio hic non fit auctoritate iudicis, verum propria; differt denique a compensatione, quamvis privata, manifesta, quod clam fit ipsa, seu debitore inscio (75).

Ideo quod praetermittitur ordo qui est iustitiae legalis, seu recursus ad iudicem, lataque via furtis sternatur—cum homines simus valde proclives ut propria tum iura exaggeremus tum servitia magni faciamus (cf. 238), aliena contra parvi aut nihili aestimemus—, occulta compensatio dicitur ut plurimum illicita, raro exercenda et rarius a confessario consulenda l.

Etsi uti in pluribus illicita, occulta compensatio licita 86 pronuntiatur in casibus nonnullis, quasi exceptionaliter et per accidens, si adsunt videlicet (quod continget raro) omnes simul modo signandae condiciones.

Quarum quaedam postulantur iustitia commutativa, quaedam iustitia legali et quaedam caritate.

Commutativa iustitia petit quod: *a*) debitum agatur ex stricta iustitia, non ex fidelitate, gratitudine; *b*) agatur debitum certum, prout dicemus infra; *c*) agatur debitum tunc exigibile cum quis occulte se compensat; *d*) agatur compensatio ex re debitori propria, non ex re quam debitor quidem habet sed ut depositarius, commodatarius, etc.; *e*) agatur compensatio intra, non ultra, terminos debiti. Quandiu huiusmodi condiciones adsunt, compensatio occulta non laedit iustitiam commutativam, neque propterea restitutio urget. Laeditur, e contra, si qua ex illis desit condicionibus et urget restitutio vel

J «Ipsa, quamvis licita in foro conscientiae, non solet agnosci in foro civili, sed tamquam furtum punitur. Confessarius igitur, qui illam consulit, se exponit periculo accipiendi punitionem a tribunali civili propter instigationem ad furtum» (Prümmer, *Th. Mor.*, II, 88, ed. 1928).

totius compensationis vel excessus compensationis ultra debitum.

87 Legalis iustitia petit ut debitum aliter recuperari nequeat, sine gravi videlicet incommodo, puta sine magnis expensis, sine familiaritatis amissione, etc. Haec condicio, quoniam respicit modum compensationis—occultae, potius quam iudicialis—, non vero compensationis substantiam, dicitur a pluribus obligare sub levi; quandiu revera adsit, nec lex nec iudex diceretur rationabiliter invitus.

Caritas demum exigit ut damnum spirituale et corporale, sive debitoris sive tertii, vitetur quantum potest; damnum v. gr. debitoris, si hic perseverat in peccato, aestimans restitutionem adhuc debitam *; aut si propterea cogitur ad iterum solvendum; damnum tertii, v. gr. si debitor, inscius compensationis, suspicaretur famulum de furto, etc. At si sufficiens adesset ratio permittendi damnum huiusmodi, compensatio vacaret a peccato—agitur effectus pravus consequens cum bono effectu intento unum eundemque actum, subreptionem occultam.

88 Ex supradictis altera e condicionibus quas iustitia commutativa petit haec est, agi debitum certum. Porro nonnulli Auctores contenti sunt certitudine facti et probabilitate iuris, sic ut occultam compensationem non prohibeant ubi certum sit factum quo debitum innititur et ex quo tam probabile ius oritur ut iudex possit inde sententiam ferre in creditoris gratiam, possessione debitoris non obstante. En trita exempla: 1) Si immemor debiti quid donasti creditori tuo, probabile est te satisfecisse debito; obligatus ergo ad huius solutionem, posses te occulte compensare; 2) Quis te laesit in fama, quam non

1 Hoc potest creditor vitare monendo debitorem de debiti extinctione, ei v. gr. insinuans se nihil amplius exigere, debitum remittere, etc.— sine mendacio attamen.

reparat; at probabile est famam compensari pecunia; ergo tibi licet hanc a debitore clam subripere; 3) Legatum habuisti in testamento infirmi, sed probabiliter habes ius ad illud; ergo potes te occulte compensare de legato tibi denegato. Ad vitandum tamen alucinationis facile periculum Auctores hi petunt sive confessarii sive alius viri periti benignam creditori sententiam. Verum huiusmodi opinioni ipse Vermeersch¹ probabilitatem concedit mere extrinsecam.

Casus primus.

Quidam pater familias, commercio deditus, viribus debilitatus, petit a filio Marco ut ei auxilium praestet in negotiis gerendis, etiamsi hoc importet interruptionem cursus universitarii studiorum; pro tali sacrificio pater promittit Marco maiorem hereditatis partem prae altero filio Iosepho, qui studiis mediis adhuc incumbit. 89

Marcus, pietate filiali et paterna motus, studia interrumpit, ut totaliter se donet negotiis, quae nova prosperitate florescunt, etsi pater, ex aggravatione morbi, nullas amplius vires in ipsis impendat. Interim frater Iosephus studia universitaria medicinae laurea coronat. Pro dolor! pater moritur et nullum testamentum relinquit. Marcus, suis iuribus, ut putat, frustratus, summam pecuniae sat ingentem clam subtrahit patrimonio hereditario, tum ob promissionem patris in rem non deductam, tum ob praestationes in negotiis gerendis.

At scrupulis affectus, casum exponit confessario Carolo.

Quid Carolus confessarius paenitenti respondebit in casu?

¹ Vermeersch, *Th. Mor.*, II, 648, ed. 1928.

Solutio

90 Ut compensatio occulta sit licita, petimus: *a*) debitum strictum, seu ex commutativa iustitia; *b*) debitum moraliter certum; et *c*) debitum alias non facile recuperabile.

Demus in casu Marci adesse tertiam condicionem: non facile probare potest patris promissionem, frater non facile admittet compositionem amicabilem, etc.

Sed agiturne debitum strictum? Hoc descenderet aut ex parte promissionis in testamentum non deductae, aut ex parte damni quod Marcus sustinuit deserens studia nisus paterna promissione, aut ex parte praestationum quas dedit patri et inde hereditario patrimonio.

Et ex capite quidem promissionis, etsi debitum existeret strictum si agebatur promissio realis—pater promisit Marco potiozem partem hereditatis—et pater se obligaverat ex iustitia, nam tunc Marcus haberet ius ut postulet rem sibi promissam; non tamen existeret si, dum agebatur promissio realis, pater se obligaverat ex liberalitate; a fortiori, si agebatur promissio personalis—pater promisit Marco se conditurum testamentum in eius favorem—, haec enim promissio cessavit morte promittentis.

91 Quid autem ex capite damni quod Marcus sustinuit deserens Universitatem et sacrificans professionem liberalem confisus patris promissioni? Sed unde Marco ius ad illa studia? Nonne pater potuit eius praestationes iam ab initio petere pro gerendis domesticis negotiis? Immo pater modo debilitatus et inde a negotiis gerendis impeditus, eratne in tali condicione oeconomica ut Marcum sustineret in Universitate? Marcus, de reliquo, illis studiis et professioni liberali valedicens, adeptus est notabilem peritiam in negotiis gerendis; valet post mortem

patris negotia prosequi cum pari ac hactenus fortuna; saepe qui negotiis vacant ditiores fiunt medicis, advocatis, etc. Possumus igitur loqui de damno quod Marcus sustinuerit? Sed quodcumque damnum passus fuerit id Marcus acceptavit pietate filiali atque fraterna motus.

i capite demum praestationum. Si Marci praestationes fuerunt extraordinariae, consuetum nempe laborem filiorum excedentes aut rei familiari valde utiles, tunc Marcus poterat exigere mercedem (detractis tamen expensis pro alimentis, quandiu domi paternae mansit), nisi ab initio habuerit expressam intentionem illas praestationes dandi gratis; mercedem tamen quae daretur extraneo pares praestationes exhibenti (detractis expensis pro alimentis, ut supra). At si Marci praestationes fuerunt ordinariae, degentis in domo patris et negotia gerentis patris nomine; si Marcus non exegit salarium seu mercedem quam extraneus exigeret, non posuit conditionem *Nolo negotia gerere nisi pro mercede*, egit ex pietate filiali atque fraterna; tunc Marcus iam habet emolumentum, idque notabile, nam patrimonium amplificavit—alias ob patris inhabilitatem et aegritudinem diluendum—sibi et fratri obventurum—forsitan neque ius civile concedit maiorenni in casu ius ad salarium.

Ius igitur strictum ad maiorem hereditatis partem non est moraliter certum: non enim constat de qualitate praestationum, neque de damno passo, immo nec de natura paternae promissionis, quae probabilius exstitit personalis, ut plurimum realis ex gratitudine seu liberalitate—et quia non fuit firmata iuramento, nec facta ad normam civilis codicis vel coram testibus, et quia non solent patres obligationem iustitiae assumere cum quid filiis promittunt—. Dato, denique, nec concesso patrem se obligasse ex iustitia ad augendam Marci hereditate: promissio fuit summae seu portionis indeterminatae,

dum Marcus clam subtraxit summam pecuniae sat ingentem.

Attamen, cum probabilis sit sententia ad quam maiorennis habet ius ad mercedem pro praestationibus allatis patri (169), paenitens Marcus potuit illam compensationem facere bona fide—putat se suis iuribus frustratus—. Ideoque post factum, non est urgendus ad restitutionem si constat compensationem non excedere id quod lucratus fuisset extraneus cooperator aequae industrius.

- 94 in casu igitur confessarius perpendat aequa lance num ingens illa pecuniae summa superet necne lucrum huiuscemodi (detractis expensis alimentorum, ut supra); si non exsuperat, Marcum non obliget ad restitutionem; si vero exsuperat, obliget ad restitutionem dimidiae partis excessus—cum fratre dividendi—; quae certo restitutio facile fieri potest, puta praetextu donationis gratuita, nam frater, professionem liberalem nactus, non sic pecunia abundat quantum ipse deditus negotiis.

Alii casus.

- 95 *C. II.*—Pacomius negotiator, cum eius res male succederent, mutuam petiit a fratre suo Rufino, ditissimo, summam 2.000.000 libellarum. Rufinus, qui fratrem valde diligebat, libenter eam tradidit, quin immo nullum petiit ex ea legale interesse. Pacomius ea pecunia negotiatur et decem annorum spatio totum suum recuperat patrimonium. Rufinus vero gaudens de prosperis fratris sui rebus, numquam ab ipso petiit mutuatae pecuniae restitutionem. Moritur primum Pacomius, et post annum Rufinus. Rufini filius, heres universalis, a Pacomii filiis expetiit tunc restitutionem dictae pecuniae; ac, cum nihil obtinere potuisset, ad occultam recurrit compensationem, lute aut iniuria?

Sol.— Pacomius quidem, qui petiit et obtinuit mutuum, immo absque interesse sive fenore, obligabatur erga Rufinum ut isti—quantumvis non petenti—totum restitueret capitale; nec liberatus fuit praescriptione, longi etsi temporis, ideo saltem quod mutui conscio non favebat bona fides (101).

Rufini filius, heres universalis, iure potest a Pacomii filiis exigere quod pater poterat a Pacomio expetere dum ambo versabantur intei vivos. Sed probabilius documentum mutui fuit scriptum nullum, neque ideo possibilis ad iudices recursus.

Facile tamen Pacomii filii dici possent in bona fide, aut ignorantes debitum aut existimantes debitum iam solutum; quoad ipsos igitur poterat praescriptio currere in foro etiam conscientiae; sed non videtur haec praescriptio completa (103).

Quo certe in casu, nisi supponamus Rufinum praemorte reddidisse filium certiore de nondum soluto condonatove debito—his namque in adiunctis ageretur debitum omnino certum—, occulta compensatio est ipsi illicita, quoniam licet certum sit mutuationis factum, non est certum ius ad solutionem, nam probabiliter Rufinus summam illam totam aut dono dedit aut postea tacite condonavit, cum, praeterquam ditissimus, valde diligeret Pacomium fratrem et ideo, quamvis noverit hunc iterum in prosperitate constitutum, nec ab eo dum vitam is ageret restitutionem petiit nec a filiis post eius mortem. Si autem debitum fuit condonatum tacite, non amplius subiacet solutioni.

C. III.— Arnaldus pluries et frustra petiit a Mariano 96 aureos decem, sibi debitos. Interim Arnaldi filia excipitur in domum Mariani, ut famuletur, quae rei conscia adit confessarium, petens, an possit de bonis Mariani oc-

culta compensatione satisfacere patris credito. Confessarius respondit, posse. An recte?

Sol.— «Rectius quidem respondisset, non posse. Doctores enim, occultam compensationem permittentes, communiter loquuntur de ipso creditore, non de alio in eam se ingerente. Est enim res periculi plena, cum condiciones pro compensatione sint variae, et earum rationes ab alterius conscientia maxime pendeant. Verum cum agatur de ipsa filia Arnaldi, et de casu non admodum implexo, prout proponitur, si debitum sit vere certum, neque possit aliter obtineri eius solutio, post factum inquietandi non videntur confessarius et Arnaldi filia. Alienum enim ista non usurpavit, sed id quod proprium patris erat, quod patri statim reddendum, ne forte pater ipse iterum se compenset». Sic Bucceroni \

- 91 C. IV.—Titius edocetur ab amico Sempronio patrem suum, antequam viam universae carnis ingrederetur, mutuas dedisse Caio 100.000 Italicarum libellarum, nulla apocha requisita. Defuncto nunc etiam Caio, pecuniam eiusmodi ab eius heredibus Titius repetit; hisque denegantibus, cum actionem suam nullo legali documento fulcire queat, cogitat per occultam compensationem sibi consulere. Potestne licite?

Sol.— «Si Sempronius, testis unicus, sit etiam testis omni exceptione maior, id est cuius testimonio plena possit ac debeat adhiberi fides, et si aliunde certo constet—quod fortasse difficiliter eveniet, nam sicut mutuum concessum est nulla apocha requisita, ita restitui potuit absque testimonio scripto de peracta restitutione—, si aliunde, inquam, certo constet pecuniam creditam solutam non esse a Caio patri Titii antequam uterque viam universae carnis ingrederetur, debitum heredum eiusdem Caii erga Titium est strictum, certum et nunc exigibile.

1 Bucceroni, *Casus Conse.*, I, 86/3, ed. 1913.

Neque timenda est iterata solutio post compensationem, quippe quod dicti heredes omnino recusant debitum illud agnoscere ac solvere. Ergo, sese compensando occulte, Titius non laedet iustitiam commutativam.

Ast neque legalem iustitiam laedet, cum via judicialis ad ius suum recuperandum ei praecludatur, eo quod actionem nullo legali documento fulcire queat.

Satis est igitur ut servet caritatem, cavendo, quantum fieri potest, damnum forte obventurum, ex occulta sua compensatione, vel heredibus Caii, vel alicui tertio. Ut liquet, cavere quoque debet, e caritate erga seipsum, et forsitan e caritate pietateque erga suos, ne, ob praefatam compensationem occultam, furti insimuletur ac damnetur». Sic Hieronymus a Parisiis \

C. V.— Ad Gualterum confessarium accedunt mercatores qui, ad facilius merces vendendas, eas vendunt infra iustum pretium, occulte tamen se compensant minuendo pondus vel mensuram. Licitene agunt? »8

Sol.— «Negative, si ipsi *libere* merces certo pretio vendiderunt, quod postea vilius iudicant: quia etiam venditio est contractus bilateralis, vi cuius id praestari debet quod in pactum deducitur; affirmative vero si *iniuste* coacti sunt infra infimum pretium vendere, vel si *per errorem* infra infimum pretium vendiderunt, vel si solutionem *certi* debiti absque gravi incommodo sibi procurare non possunt; quia tunc revera non agitur contra strictam iustitiam. Numquam tamen licet hoc facere *cum mendacio*, quia mendacium est semper prohibitum; insuper occulta compensatio est facienda cum iisdem emptoribus qui revera plus acceperunt quam debuissent accipere; non cum aliis qui iustam quantitatem mercis semper acceperunt». Sic Fanfani¹

1 Apud Palazzini-De Iorio, *Casus Conse.*, I, 157.

2 Fanfani, *Th. Mor.*, II, 289.

99 C. VI.—Mutuum pecuniae Theobaldo Ursinus dederat post annum absque fenore reddendae; anno tamen nondum elapso valde timet ne Theobaldus impar fiat debitum reddendi definito tempore. Poterit ex nunc sibi met occulte compensare?

Sol.—«Aliqui dicunt non esse locum compensationi nisi debitum sit contractum. Sed immerito, quia etsi debitum non sit contractum de facto, sed brevi tempore contrahendum—si timet tempore solutionis debitum non sibi solvendum—, potest sibi pro tunc compensare pro eo quod nondum est sibi debitum, sed debetur brevi tempore».*

Huc e voluminibus superioribus Casus accedat: Quid liceat civi onerato tributis nimis (I, 401).

IV. PRAESCRIPTIO EXTINGTIVA

Doctrina.

100 Praescriptio definitur: Inductus humana lege—canonica aut civili—modus sive acquirendi iuris—praescriptio acquisitiva vel usucapio—sive extinguendae obligationis—praescriptio liberativa seu extinctiva.

Generatim quidem loquendo, legitima est praescriptio iure civili inducta, valida propterea in ipso interno foro. Potuit enim legislator civilis hunc modum instituere et conferendi ius et liberandi a debito: quoniam favet communi bono litibus finem facere, iura definire ne incerta maneant, cives levare onere servandi usque in aeternum

1 Salmanticensis Mor., tr 13, de restitutione, c. 1. n. 307.

apochas seu testimonia solutionis tutosque ab evictione reddere.

Verum haec generalis regula exceptiones admittit. Quoniam lex, ut obtineat vim, iusta sit oportet. Porro non esset iusta quae faveret iniquitati aut fraudibus, vel quae ferret in culpam, theologicam aut iuridicam, poenam immodicam.

Cogitari potest attamen lex iusta quae, ne nimis fiat difficilis iustitiae administratio, deneget in foro externo actionem ad evincendam rem, quin conferat in foro interno ius vel solvat in conscientia a debito.

At cum ius ex legis procedat statuto, necessarium est in utroque foro condiciones legis impleri.

Prima ex utriusque praescriptioni communibus condicio est ut agatur res praescriptibilis, quae videlicet sub dominio privatorum cadere possit sua natura neque ab hoc dominio excepta sit positivae legis decreto—quoad praescriptionem acquisitivam—, vel agatur debitum praescriptibile sive obligatio capax extinctionis—quoad praescriptionem liberativam. 101

Altera condicio est ut persona sit apta contra quam valeat praescriptio currere.

Tertia, ut tempus expleatur lege pro praescriptione constitutum. Tempus hoc computatur de die in diem, sic tamen ut primus neglegatur et postremus sit dies eiusdem numeri—igitur incoepta die 7 martii praescriptio non completur nisi elapso, pro annua, die 7 martii, vel, pro menstrua, die 7 aprilis—. Praescriptio attamen legitime completa retrorsum valet quoad fructus a prima die perceptos—qui propterea non sunt restituendi.

Postrema condicio, bona fides: bona fides iuridica—quam lex civilis saepius, initio saltem praescriptionis, requirit—et bona, semper, fides theologica, qua quis ex ignorantia non graviter culpabili putat aut rem quam

possidet esse suam aut debitum quod, sponte saltem, habeat solvendum nullum—b. f. positiva—, vel conscius debiti creditorem in exercitio iuris non impediatur—b. f. negativa—; haec autem bona fides theologica oportet perseveret per totum ad praescriptionem requisitum tempus pro acquirenda in foro interno re libertateve a debito.

102 Etsi pro praescriptione acquisitiva requiratur insuper possessio pacifica, publica, continua atque dominativa¹; immo et titulus, isque iustus, si non necessario verus, saltem coloratus, existimatus, vel praesumptus²; duplex huiusmodi condicio pro praescriptione liberativa proditur superflua: possessio quidem, cum libertas in causam veniat a iure quod est alteri; titulus etiam, quoniam contra titulum creditoris agitur.

103 Ratione temporis lege definiti, praescriptio signatur quadruplex a theologis: longissimi temporis seu extraordinaria, quae triginta absolvitur annis; longi temporis seu ordinaria, quae decennio completur; brevis temporis,

¹ Pacifica, non vi capta aut detenta neque turbata lite; publica, quam adversarius advertere queat; continua, neque interrupta videlicet neque suspensa; dominativa, denique, seu non aequivoca, cum animo scilicet dominii vel. si agitur de una praescriptione ususfructus, cum animo ususfructuarii —non instar depositarii, commodatarii, etc.

» Iustus, seu causa de se apta quae transferat dominium, ut venditio, donatio; non necessario verus —nam is dominium transfert absque subsidio praescriptionis—, sed coloratus —qui de se atque ut apparet sufficiens est ut dominium transferat, at occulto vitio laborat, utputa venditio rei ab eo qui specie est dominus, revera tamen usufructuarius, depositarius. fur—, existimatus —qui de se satis ad dominii translationem prudenter ex adiunctis creditur adfuisse nec tamen adfuit, v. gr. successio ex testamento quod putabatur firmum sed erat revocatum—, vel praesumptus —qui de se idoneus ut dominium transferat, ex diuturnitate possessionis lege supponitur adfuisse, quae ideo silet de titulo, ut in praescriptione extraordinaria—; quin sufficiat attamen titulus vitiosus —qui non est de se translatus dominii, sed demonstrat potius dominium permanens. v. gr. locatio vel depositum.

quae quinquennio; et temporis brevissimi, quae minori temporis spatio.

Quoad praescriptionem quidem acquisitivam nostrates iam propendunt in vim illarum legum quae emptori dant dominium rerum mobilium statim ac has in publica apotheca vel venditione acquirit—nam favent istae leges commercii securitati et contractuum stabilitati, neque denegant pristino vero domino congruam compensationem a venditore iniusto—; his igitur legibus in foro quoque interno stare possumus. At gravior difficultas de liberativa praescriptione, num valeant scilicet in conscientia dispositiones, v. gr., codicis italici, vi quarum anni lapsu praescribitur actio magistrorum et mercatorum adversus studentes vel emptores, triennio autem praescribitur actio medicorum, pharmacopolarum, advocatorum contra suos clientes (art. 2955 s.). Harum legum iustitia veniret inde quod interest boni publici vitare ne cumulatione debitorum, solvendorum periodice, redigantur cives ad inopiam et creditorum negligentiam excutere ac punire. Sed haec non sunt exaggeranda.

Ceteroquin leges huiusmodi non intendunt liberare a debito sed dumtaxat denegare actionem; ipse Codex italicus concedit creditori ius ut debitori deferat iuramentum de facta solutione (art. 2960). Nisi agatur igitur de solvendis debitis *si petantur*, ut contingit quoad multas, conscius debiti ab obligatione solvendi non eximitur praescriptione temporis brevissimi, quae non constituit nisi praesumptionem solutionis factae (iure italico dicitur *prescrizione presuntiva*) et est praesumptio impropria.

Casus primus.

Alexius, veteres familiae tabulas inspiciens, casu deprehendit aes alienum cum Armando contractum, quod

iamdiu extinctum fuisse pro certo habebat, neque huic in praesens defuncto, neque eius heredibus umquam redditum fuisse; nunc vero decem et amplius annos ab eo tempore effluxisse. Similiter deprehendit perpetuum censum annum, in quodam suo fundo a maioribus constitutum sibi prorsus ignotum, a viginti duobus annis solutum non fuisse. Item annum legatum vitalicium, sibi impositum cum Laetitia, hac nullatenus reclamante, a sex annis bona fide praestitum non esse novit.

Quaeritur: An Alexius de obligationibus de quibus agitur liber evaserit?

Solutio

- 105 Alexius: *a)* Non tenetur ad aeris solutionem Armando haeredibusve debiti si decem iam efluxerunt anni a tempore quo putavit debitum extinctum (Cod. ital., articulo 2946); at tenebitur forsitan si id computatur tempus ab inito contractu, cum hoc toto tempore non necessaria currat bona fides, nec propterea praescriptio. *b)* Evasit quoque liber ab illo solvendo censu annuo, qui ex ital. codice (art. 2948, 1.^o) iam praescripsit, *c)* Quod demum attinet ad annum legatum vitalicium erga Laetitiam, minus obvia solutio. Forsan enim non currit praescriptionis tempus, nam legibus Italiae, «la prescrizione rimane sospesa tra l'erede e l'eredità accettata con beneficio d'inventario» (art. 2941) et «la prescrizione rimane sospesa contro i minori non emancipati» (art. 2942); agitur hic utervis casus? Nec officit Laetitiam nondum reclamasse legatum, quoniam obligatio solutionis non fuit in testamento condicionata *si petatur*. Denique, ubi praescriptio non manserit suspensa, Alexius iure italico (art. 1948, 1.^o coll, cum art. 1869) non teneretur solvere primum ex bona fide insolutis annuis legatis.

Alii casus.

C. II.—Romualdus nequit sibi persuadere praescriptionis 106
valorem in conscientia. Ait etenim: bona fides est
fundamentum praescriptionis; atqui dum constat, etiam
post praescriptionem, rem fuisse alienam, cessat bona
fides; igitur...

Sol.—«Nego minorem. Praescribens enim potest vere
iudicare rem quae fuit prius aliena, esse modo suam be-
neficio legis; sicque permanet in bona fide. Quod si forte
id sibi non possit persuadere, tenebitur quidem restituere,
sed hoc, per accidens, ratione conscientiae erroneae». Ita
Billuart¹.

C. III.—Titius cognoscens Sempronium ius habere 107
mittendi gregem suum ad pascendum in agro eius, tene-
turne Sempronium admonere quod, nisi interrumpat
praescriptionem, ius illud amittet infra annum?

Sol.—Negative. Titius, ex iustitia saltem, non tenetur
nisi ne Sempronium impediatur, directe aut indirecte, ab
exercitio iuris sui. Igitur «potest Titius tacere, et anno
transacto, tuta conscientia invocare praescriptionem.
Secus praescriptio liberativa ab aliqua servitute num-
quam vel fere numquam locum haberet»².

C. IV.—Similianus hanc regulam, validam pro libera- 108
tione a servitute, contendit applicandam quoque libera-
tioni a debito; et ideo, cum agitur de solvendis servitiis
medicorum vel operariorum, aut de solvendis mercibus
quas habuit a venditoribus, creditores quidem non
impedit a debito exigendo, sed tacet ut gaudeat suo tem-
pore pari privilegio praescriptionis.

¹ Billuart, *Summa S. Thomae*, tr. de iure, etc., diss. 4. a. 3. § 11.

² Fanfani, *Th. Mor.*, II, 205.

Sol— Haec regula posset equidem applicari illis debitis quae solvenda non sunt nisi solutio ipsorum petatur, v. gr., mulctael; at solutio potioris certo debitorum partis urget etsi non petita. «Unde non adest paritas cum servitute passiva: in hoc casu nihil est agendum sed potest praescribens passive se habere; qui vero conscius est debiti, si non solvit sed mere passive se habet, non agit dum aliquid agere debebat» 1

109 C. V.—Marinus domum Robert! vi contractus locationis tenet. Per decem annos, non reclamante locatore, redditus annuos solvere ex incuria omiserat, cum tandem creditor debitum repetit. Ille pergit ad advocatum, qui respondit obligatum esse dumtaxat ad solvendos redditus locationis a quinque ultimis annis, pro tempore autem remotiore posse praescriptionem opponere vi art. 1966 Codicis civilis hispanici.

Sol.— Respondet Ferreres: «Marinus praescriptionem minime opponere potest. Habendus est sicut alius debitor quilibet. Praescriptiones quinque annorum valere quidem possunt, sicut aliae, posita bona fide, si debitor sit in ignorantia invincibili debiti, toto quinquennii tempore; non vero valere possunt pro debitoribus qui ipsimet debitum contraxerunt, siquidem bona fide requisita destituuntur; ergo soli heredes, vel mediati possessores, praescribere possunt per bonam fidem, completo legis tempore» 3.

1 «Usu porro receptum est ut societates bancariae vel industriales, quae exhibentibus schedulas (.coupons), non autem sponte, usuras solvere solent, quinquennali praescriptione se tueantur: quod nemo improbat» (Vermeersch, *Th. Mor.*, II, 404, ed. 1928).

3 Merkelbach, *Th. Mor.*, II, 235, ed. 3.

3 Ferreres. *Casus Conse.*, I, 691, ed. 1926.—«Obi. 1." Lex intendit punire negligentiam creditoris qui non reclamavit. Resp. locaris: ubi est delictum puniendum? Quis est magis reus, an creditor, vel ipse debitor? Culnam est agere? Nonne creditor mere passive se habet? Numquid obligatione aliqua ligatur? Unde probas eum debere esse sollicitum ad recla-

C. VI.—Dominus de Argento propter commoditatem 110
 locatarii muro clausit portam domus suae ex parte in-
 teriore domus, relinquendo in parte exteriori ligneam
 portam. Post decem annos dominus de Argento, eo di-
 scedente locatario, voluit iterum portam aperire. Sed
 dominus vicinae domus se opposuit, asserendo inter-
 ruptam fuisse domini de Argento possessionem, eumque
 iuri portae renuntiasse per factum eam claudendi, muro
 constructo ad huiusmodi effectum.

Sol.— «Non usus iuris rei non est per se argumentum
 illi renuntiandi. Domini enim et iuris hoc proprium est,
 ut quis possit pro libito uti et non uti re sua, prout ipsi
 magis placeat, et non teneatur semper uti. Neque illius
 renunciationis argumentum est diuturnus non usus rei,
 quando vestigia saltem relinquuntur possessionis illius
 rei. Per signum enim retinetur signatum; et quando
 signum appareat, satis manifestatur voluntas ius reti-
 nendi, et usum iuris instaurandi, quando ita velit. Atqui
 occlusio illius ianuae peracta fuerat non facto domini
 vicinae domus, sed libero facto ipsius domini de Argento.
 Relinquendo autem exterioriorem portam ligneam satis do-
 minus de Argento manifestavit voluntatem retinendi
 possessionem illius portae, quae possessio ut in sui ve-
 stigio et signo semper consequenter continuata est et
 numquam interrupta». Sic Bucceroni ad casum \

mandum? Debitor premitur obligatione solvendi, et ad hoc sollicitus esse
 debet...—Obi. 2.º Lex intendit praecavere ne debitor nimis gravetur de-
 bitis cumulatis, et ideo statuit praescriptionem liberativam ultra quin-
 quennium. Resp. Inanis obiectio! Numquid non sufficit, ut finis ille
 obtineatur, quod lex recursum externum deneget, seu reclamationem in
 foro externo non audiat? Nec obstat quod remaneat obligatio in foro
 interno, siquidem impotentia moralis ad tempus debitorem excusat. Ergo
 debitor numquam poterit ultra vires gravari, etiamsi in foro interno ab
 omni obligatione non liberetur» (Id., ib., n. 692).

1 Bucceroni, *Casus Conse.*, I, 69/8, ed. 1913.

V. SUICIDIUM

Doctrina.

III Suicidium est sui ipsius occisio. Occisio nominat actum vel omissionem natam causare mortem.

Quem ad modum occisio in genere, ita et suicidium potest esse directum et indirectum. Directum quidem est quod agens vel omittens expresse vult ut finem vel' ut medium ad finem. Indirectum vero, quod praevidetur ex actione vel omissione directe volita secuturum.

Suicidium directum semper est illicitum, si privata fiat auctoritate; contrariatur enim tum inclinationi naturali tum caritati hominis ad se; contrariatur etiam iustitiae cum erga societatem tum maxime erga Deum, vitae atque mortis dominum¹. Potest attamen Deus

¹ «Notare oportet quod qui alium occidit, aut se mutilat vel occidere conatus est, non committit multiplex peccatum saltem in ordine ad confessionem. Et ratio est, quia ratio malitiae contra caritatem et contra iustitiam in dicto peccato reperta est una alteri intrinseca, ita ut separari non valeat; quando autem malitiae sic sunt connexae, non est opus eas in confessione sigillatim aperire etiam confessario ignoranti» (Salmanticensis Mor., tr. 25. de V Dec. praec., c. 1, n. 115).—In lure Canonico suicidae privantur ecclesiastica sepultura et publicis suffragiis (canon 1240 sq.); suicidium immo attentantes veniunt irregulares ex delicto (can. 985), a legitimis arcendi actibus ecclesiasticis, et, ubi clerici sint, suspendendi ad tempus et a beneficiis atque officiis curam animarum interni vel externi fori habentibus removendi (can. 2350).—«Ceterum nota, quod non defuerunt neque desunt qui dubitant utrum suicidium directum possit unquam esse actio plene deliberata; et malunt illud *dementiae* potius quam malitiae tribuere. Quae quidem sententia, licet factis non satis respondeat et benignior quam verior videatur, nihilominus hoc tamquam moraliter certum retineri potest, quod nonnulli ad suicidium ducuntur quadam *auto-suggestione* vi cuius de propriis miseriis frequenter cogitando, sibi gradatim persuadent nullum aliud esse remedium ad sese extricandum ab his difficultatibus, nisi suicidium perpetrare. Quare maxime dum agitur de privatione sepulturae ecclesiasticae, ad hunc statum pathologicum prudenter attendi potest, ut benignior sit sententia» (Fanfani, *Th. Mor.*, II, 224).

alicui facere potestatem ut se interimat; potest id forsitan et auctoritas publica quoad malefactores iuridice damnatos ad mortem.

Suicidium est propterea illicitum quod quis medium assumeret ut miserias huius vitae evadat, ut vitet iacturam pudicitiae vel muniat se contra peccatum, sive praeteritum instar poenae, sive futurum medicinae instar.

Suicidium attamen indirectum, vel proprio susceptum 112 marte, est quandoque licitum: ubi adsint namque rationes proportionate graves licet, etsi privata auctoritate, permittere effectum pravum qui, ultra effectum immediatum bonum in se volitum, consequitur actum bonum, indifferentem saltem; porro ad permittendam sui ipsius mortem consequentem actum huiusmodi—ultra effectum immediatum bonum, in se volitum—adsunt interdum rationes proportionate graves, nam quandoque agitur de consulendo bono communi—quod praestat bono proprio—, quandoque de procurando bono spirituali, excellentiori corporali commodo.

Sed quoniam ratio dicitur proportionate gravis habito respectu ad pravum effectum, et ideo gravior exigitur quo effectus peior est, actui propinquior vel secuturus probabilius, gravior causa requiritur ubi mors praevideatur imminens quam ubi vitae praevideatur aliqualis abbreviatio, ubi mors praevideatur certo secutura quam si eius sequela nititur dumtaxat, cum maiori tum minori, probabilitate.

Ob bonum publicum imminenti morti licite se exponit

* Hanc facultatem dicit S. Augustinus factam fuisse, latenti sive interiori Inspiratione, nonnullis feminis quae, tempore persecutionis, se occiderunt quarumque memoria celebratur in Ecclesia (cfr. S. Thomam, *Summa Theol.*, II-II, 64, 5, 4m). Alii malunt feminas huiusmodi excusare propter ipsarum bonam fidem seu invincibilem ignorantiam; sed oportet tunc illas laudare, non pro morte, sed pro amore castitatis ex quo elegerunt mortem (cfr. S. Thomam, l. c. q. 110, a. 3, 2m, et a. 4, 4m).

miles qui tempore belli agit excubias ante hostem; licite quoque se exponit abbreviation! vitae missionarius qui, evangelii igitur, regiones incolit insalubres.

Ob bonum quantumcumque privatum licet periculosam subire operationem ad gravissimos cruciatus finiendos, modo adsit fundata spes vitae magis tranquillae; se quoque proicere per fenestram, fervente incendio, cum aliqua spe sese salvandix. Licet pariter ex motivo virtutis non modo inservire peste laborantibus sed et corpus affligere abstinentia, vigiliis, aliisque austeritatibus, quamvis inde, praeter intentionem, vita brevietur et forte aliquoties mors adveniat².

Casus primus.

- 113 Marcus, vir militaris, a confessario quaerit an liceat navis praefecto, cum navis demergatur, spreto quolibet salutis effugio, in navi manere atque cum ipsa perire; item quodnam sit morale iudicium ferendum de nova illa velivolantium quorundam pugnandi ratione qua sese supra hostium navim praecipites deiciunt, certo perituri et simul certo offensuri. Cui confessarius respondet primum illicitum esse, alterum vero dubiae esse honestatis.

Num confessarius recte responderit?

Solutio

- 114 Quod ad navis praefectum habemus casum similem in morte Saulis, qui cum victus et vulneratus fuisset in praelio, dixit ad armigerum suum: Evagina gladium tuum et percute me, ne forte veniant incircumcisi isti et interficiant me illudentes mihi. Noluit autem armiger.

ⁱ Marc, *Inst. Mor.*, I. 754, ed. 1927.

- Billuart, *Summa S. Thomae*, tr. de lure, etc., diss. 10, a. 3.

Tunc Saul arripuit gladium et irruit super eum (2 Reg. 31, 3, sqq.). At Saulem theologi damnarunt de suicidio directo, nam se peremit ad evitandas illusiones Philisteorum, quas ob animi mollitiem non valebat sufferre. Damnandus est pariter, obiective si loquimur, navis praefectus, qui propterea manet in navi quod permanentia quandam habet speciem fortitudinis, desertio, contra, sapit timiditatem in opinione hominum; agit igitur ob famam obtinendam ex permanentia et morte, ob infamiam vitandam ex navis desertione et vitae conservatione consequentem; quapropter mortem eligit uti medium; committit suicidium directum. Quoad hanc igitur partem confessarius recte respondit.

Aliquid etiam proximum velivolantibus de quibus loquitur pars altera narrat S. Scriptura de Samsone (Iud., 16, 27 sqq.). Factum autem Samsonis unanimes Doctores approbarunt, nec illi tantum qui ad permissionem vel inspirationem divinam confugerunt, sed et alii, ad suicidium indirectum recurrentes: «Non enim, ait Vitoria, interfecit se ex intentione, sed voluit hostes opprimere et interficere, ad quod secuta est mors ipsius» \ mors certo compensata clade inimicorum. In casu nostro, pariter, «se praecipites supra hostium navim deicere» habet effectum duplicem: certam velivolantium mortem et certam extenuationem hostium. Sicut de Samsone possumus de istis dicere: «Multo plures interfecit moriens quam ante vivus occiderat» (cf. Iud., 16, 30); adest ergo proportionata causa ut permittant propriam occisionem dum intendunt hostium debellationem (cf. I, 130). Nec effectus bonus sequitur ex malo: non enim hostes debellantur quod ipsi pereunt, sed unam velivoli et navis impactionem sequitur horum mors adversariorumque debi-

¹ Vitoria, rei. *De homicidio*, n. 37, ed. 1765, p. 421.

litatio I. Ad alteram igitur quaestionem confessarius respondere debuit praxim recens inductam licitam esse ob patriae validam defensionem; etsi non propter lucrum, quod heredibus contingat aut propter humanam gloriam obtinendam.

Alii casus.

116 C. II.—In quadam collatione sacerdotum dissensio facta est quoad rationem agendi devotae puellae quae ad vitandum stuprum praecipitem e turri altissima se dedit cum mortis certissimo periculo. Pro nonnullis enim agendi ratio huiusmodi aequipollet directo et semper illicito suicidio. Pro ceteris vero, suicidio dumtaxat indirecto, licito in adiunctis. Quid sentiendum?

Sol.—D. Thomae verbis: «Non licet mulieri seipsam occidere ne ab alio corrumpatur. Quia non debet in se committere crimen maximum, quod est sui ipsius occisio, ut vitet minus crimen alienum» 2. Sed in casu loqui non possumus de suicidio directo. Virgo siquidem in adiunctis non intendit castitatem servare morte, ac si evaderet stuprum quoniam moritur. Virgo apprehendit, e contra, sui praecipitationem uti fugam a stupro—ideo non stupratur quoniam fugit—. Haec quidem fuga, dum removet violationis periculum, inducit quoque vitae discrimen; eligitur a puella ad primum elongandum, quantumque conscia mortis properandae.

III C. III.—Num illicite agant qui ab alimentis necessariis sumendis abstinent (*hunger-strike*) propter sociale commodum, puta patriae liberationem.

* Me omnino latet ratio cur cl. Cappello ad casum hunc scripserit: *Immediate* accidit, per ictum et explosionem inde secutam, internecatio illius qui se praecipitem deilct, et nonnisi *consequenter*, nempe ictu et explosione iam habitis, damnum hostibus infertur» (apud Palazzini-De Iorio, *Casus Conse.* I, 144).

' S. Thomas, l. c., 64, 5, 3m.

Sol.—Affirmative, si obiective loquimur, quoniam directum agitur suicidium susceptum proprio Marte instar medii ad finem. Subjective tamen potest quis excusari a culpa, ob ignorantiam invincibilem, facilem in huiusmodi circumstantiis (cf. I, 319 s.).

C. IV.—Nonnullos habet Septimius paenitentes qui artibus vacant vitae periculosae. Angitur autem utrum debeat eos a talibus arcere. 118

Sol.—Ad rem Merkelbach: «Ad propriam sustentationem vel ad progressum rei industrialis aut mechanicae licitum est operariis vitrum conflare, metalla inaurare, quotidie ignem versare, aliasque artes exercere vitam abbreviantes, quamvis pro posse conandum est ut minus periculosa reddantur opera artificibus commissa» \ Et Fanfani: «Si agatur de artibus minus necessariis ac magis periculosae, e. g. feras domandi, cum tauris periculose ludendi, per funem suspensam cum proximo periculo mortis deambulandi, etc., ab his, in quantum fieri potest, arcendi sunt fideles; licet ad has artes deserendas non sint cogendi, maxime si propter specialem, qua praediti sint, peritiam, periculum non sit adeo proximum; aliunde vix aliter sibi suisque providere valent» a.

C. V.—Cum in aliqua urbe, tempore belli, cives essent decimandi et Pancratius, in quem infausta sors ceciderat, rem ferret atrociter ideo quod plures habebat filios omni prorsus adiutorio orbandos, sacerdos quidam in eius locum se tacitus suffecit. Estne sacerdos damnandus de suicidio? 119

Sol.—Negative. Quoniam directe non procuravit occisionem sui: non enim dixit hostibus: Me occidite, nec

1 Merkelbach, *Th. Mor.*, II, 353, ed. 3.

2 Fanfani, l. c., 225.

hostes induxit ad sui internitionem. Directe procuravit hostes avertere a maiori malo inferendo—mors enim patrisfamilias perniciosior—, propriam permittens mortem si hostes ab hoc malo potiori nollent desistere. Licite ergo poterat hostibus sic alloqui: Si quem vultis occidere, me potius quam Pancratium. At quod tunc diceret expressis verbis id est actu signato, id ipsum in casu nostro dixit actu exercito, locum suscipiens infelicis patrisfamilias insciis quoque hostibus.

120 C. VI.—Duobus existentibus in extrema necessitate, licetne habenti panem, hunc cedere alteri?

Sol.—«Licet multi vertant in dubium an liceat pro privata persona ponere vitam, et plures partem negativam defendant, tamen... puto probabilius hoc esse laudabile, et videtur laudatum a Domino in illo loco: *Maiorem dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, etc. Quare omnino concedo in casu proposito..., quod licet panem alteri cedere cum certa pernicie propriae vitae». Ita Vitoria x.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Aeronauta timens prodere patriam si in terram descendat inimicorum (I, 129-31); Mortem sibi desiderare (I, 276); Miles ignorans malitiam suicidii (I, 318-20); Ignorans malitiam abbreviationis vitae (I, 323); Miles sibi mortem exoptans (II, 222); Ob nimiam velocitatem in competitione automobilistica se morti exponens (II, 260-4); Virgo attrectationem medici prae morte abhorrens (II, 270).

1 Vitoria, l. c., n. 25 sq., p. 415 s.

VI. OCCISIO INNOCENTIS

Doctrina.

Innocentis directa occisio, volita nempe in se, instar 121
 finis vel medii (111), nisi divina accedat auctoritas, omnino illicita pronuntianda est: quoniam unus est dominus vitae hominis, Deus scilicet; in hanc autem vitam nisi per comparationem ad bonum commune auctoritas publica mandatum habet nullum; porro bono communi innocens est innoxius \

Illicitum est ergo occidere furiosos, rabidos, peste laborantes vel contagioso morbo, eo fine nempe ne aliis in futurum noceant; item occidere pueros qui bellum in nos facient cum ad provectam venient aetatem (I, 133); item occidere letaliter vulneratos, senes, aegrotos, moribundos, ne diutius patiantur; vel matrem in extremis positam, ut infans baptizetur (I, 167); item occidere sive destruere fetum ad salvandam famam aut vitam matris (133 ss.). Illicitum quoque proicere puerum ante lupos insequentes, qui secus plures alios essent devoraturi, aut proicere aliquos in mare ad alleviandam scapham secus mergendam (I, 134).

Sed indirecta occisio innocentis, quae praevidetur 122
 nempe secutura ex causa directe volita, potest esse, privata quoque auctoritate, licita; si adsint videlicet ra-

1 aille qui occidit iustum gravius peccat quam ille qui occidit peccatorem. Primo quidem, quia nocet et quem plus debet diligere: et ita magis contra caritatem agit. Secundo, quia iniuriam infert ei qui est minus dignus: et ita magis contra iustitiam agit. Tertio, quia privat communitatem maiori bono. Quarto, quia magis Deum contemnit: secundum illud Luc. 10: *Qui vos spernit, me spernit* (S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II. 64, 6, 2m).

tiones proportionate graves ut quis ponat actum bonum, saltem indifferentem, ex quo, praeter bonum effectum immediatum quem vult, sequitur innocentis occisio quam praevidet et permittit. Porro dicitur proportionate gravis ratio habito respectu ad nexum qui est occisionis praevisae cum actu posito: gravior igitur ratio petitur quo occisio est actui propinquior aut probabilius vel certius secutura. Hinc Vitoria: «Per accidens, etiam scienter, aliquando licet interficere innocentes, puta cum oppugnatur arx aut civitas iuste, in qua tamen constat multos esse innocentes, nec possunt machinae solvi et alia tela, vel ignis subici aedificiis, quin etiam opprimantur innocentes sicut nocentes. Probatur: Quia alias non posset geri bellum contra ipsos nocentes et frustraretur iustitia bellantium»¹

Casus prius.

123 Omnes in aliqua insula degentes pestifera lue placentur atque certae morti destinati apparent.

Alexius, medicus primarius, medico sibi sublecto imperat ut omnes aegrotos dividat in duas classes atque rigurose separatione servata, suppeditet pertinentibus primae classis medicamentum novum, ex quo sanitas obtineri posset, ceteris alterius classis suo fato relictis.

Iulius vero, medicus subalternus, primo anceps manet circa sortem aegrotorum alterius classis ac dein suo Marte medicamentum novum omnibus aegrotis utriusque classis impertitur. Cum vero quidam pauci inter aegrotos

¹ Vitoria, rei. de iure belli, n. 37, ed. 1765, p. 268.—Ipse attamen subdit: «Sed tamen est considerandum, quod paulo ante dictum est, quod oportet cavere ne ex ipso bello sequantur maiora mala, quam vitentur per ipsum bellum: si enim ad summam belli victoriam parum confert expugnare arcem, aut oppidum, ubi est praesidium hostium et sunt multi innocentes, non videtur quod liceat ad expugnandos paucos nocentes, occidere multos innocentes» (ib., p. 269).

sanitatem recuperent, non est possibile scientificè indicare de medicamento et primarius Alexius, qui maximum momentum toti negotio tribuerat, acerbè iulium increpat.

Quaeritur:

1) Num possint aegroti, qui videntur morti certae proxime destinati, considerari materia experimentorum novorum arbitrio medicorum.

2) Quid ad casum.

Solutio

Ad Ium.—Negative. Hoc enim non permittit progressus 124
scientiae medicae, nec permittere potest sive publica
auctoritas sive aegrotus ipsemet.

Quantumcumque enim ad progressum scientiae medicae necessaria veniant experimenta, medicus non habet ius experiendi pro libitu remedia curationis in aegrotis, etsi proxime destinatis morti certae. Finis namque non iustificat media. Porro si medicamenta experire licet in aegrotis quae, dum probabiliter sunt profutura, certo sunt innoxia; medicamenta contra certo aut probabiliter noxia experiatur medicus in animalibus, experiatur in humano cadavere; non tamen in aegrotis hominibus: ordinata siquidem ars medica in auxilium, non oportet promoveatur cum illorum periculo qui quo morti prope- rant proximiori sunt magis indigentes. Non homo ad medicinam, sed haec ad hominem ordinatur. Quae, de cetero, fiducia aegroti—pernecessaria tamen—erga medicum si hunc suspicetur de experimento potius quam de sanitate sollicitum?

Sed neque auctoritati publicae ius est ullum, extra 125
casum iustae punishmentis, in vitam vel integritatem corporalem civium. «Publici magistratus in subditorum membra directam potestatem habent nullam; ipsam

igitur corporis integritatem, ubi nulla intercesserit culpa nullaque adsit cruentae poenae causa, directo laedere et attingere nec eugenicis nec ullis aliis de causis possunt unquam. Idem docet S. Thomas Aquinas...» 1. Etiam cum agitur de certae morti proximis, hi remanent personae, cum omnibus suis iuribus.

126 Nec intercedere potest aegroti validus consensus. Homo enim non habet vitae suae dominium sed usum-fructum et administrationem². Ab aegroto igitur medicus non potest advocari vel admitti nisi ut adiuvet, meliori modo quo noverit, ad sanitatem recuperandam—non ad vitam vel sanitatem amittendam—, ut adhibeat ergo remedium tutius; quapropter ubi adsit remedium certo profuturum, ne adhibeat remedium non certo profuturum; ubi, absente certo profuturo, si remedium adest probabilius profuturum, ne remedium adhibeat minus probabile; ubi remedium adsit probabiliter dumtaxat profuturum, hoc adhibeat si innoxium; si probabiliter quoque noxium, medicus hoc potest adhibere de consensu aegroti—qui non tenetur ad salutem recuperandam mediis extraordinariis nec propterea periculosis—, sed tunc etiam non ad medicinae experimentum, sed pro aegroti

1 Pros XI. enc. *Casti connubii*, Denz. 2246—«L'autorité publique—à qui précisément incombe le souci du bien commun—peut-elle donner au médecin le pouvoir de tenter des essais sur l'individu dans l'intérêt de la science et de la communauté afin d'inventer et d'expérimenter des méthodes et procédés nouveaux...? Il faut remarquer que l'homme dans son être personnel n'est pas ordonné en fin de compte à l'utilité de la société, mais au contraire, la communauté est là pour l'homme» (Pius XII. allocutio 13 sept. 1952; AAS. 44 [1952], p. 785 s.).

' «En ce qui concerne le patient, il n'est pas maître absolu de lui-même, de son corps, de son esprit. Il ne peut donc disposer librement de lui-même, comme il lui plaît. Le motif même, pour lequel il agit, n'est à lui seul, ni suffisant, ni déterminant. Le patient est lié à la téléologie immanente fixée par la nature. Il possède le droit *d'usage*, limité par la finalité naturelle, des facultés et des forces de sa nature humaine. Parce qu'il est usufruitier et non propriétaire, il n'a pas un pouvoir illimité de poser des actes de destruction ou de mutilation de caractère anatomique ou fonctionnel» (Id., 1b., p. 782).

salute. Si huius salus sit desperata, quoniam omnia remedia hucusque nota inefficacia demonstrantur, adsit autem remedium novum non satis comprobatum, quod simul atque magnum periculum offerat quoque probabilitatem boni exitus, medicus eo poterit remedio uti, aegrotto consentiente ¹; hic autem consensus facile praesumitur ob voluntatem vitam servandi (48).

Ad Illum.— Agitur casus in quo de salute aegrotorum desperatur, quippe qui morti certae destinati apparent. Et agitur medicamentum novum, ex quo sanitas obtineri posset. Usus ergo medicamenti quandam affert spem, quae alias superest nulla. 127

Potuit autem praeceptae selectioni favere causa iusta, v. gr., parcitas medicamenti novi, tot languentibus insufficientis.

At selectionem Alexius non praecepit nisi ob aliam, prorsus iniquam, causam, ut novum nempe medicamentum comprobaret, considerans aegrotos ut materiam experimentorum pro suo arbitrio. Hunc enim scopum patefaciunt Casus adiuncta: Alexius etenim increpavit, immo et acerbe, Iulium ob frustratum experimentum, non obstante aegrotorum obtenta sanitate.

Iulius autem, quandiu ei constabat de recto agendi modo medici primarii, tenebatur ei oboedire, et male se gessisset inoboediens; item si dubitabat, cum in dubio praesumptio stet pro superiore. Si tamen Iulius, qui non debet esse praeceps in indicando suum superiorem, certus erat de modo agendi illicito primarii medici: *a*) potuit quidem licite non oboedire; sed *b*) an peccasset oboe- 128

¹ <H peut arriver, dans des cas douteux, quand échouent les moyens déjà connus, qu'une méthode nouvelle, encore insuffisamment éprouvée, offre, à côté d'éléments très dangereux, des chances appréciables de succès. Si le patient donne son accord, l'application du procédé en question est licite. Mais cette manière de faire ne peut être érigée en ligne de conduite pour les cas normaux> (Id., ib., p. 788 s.).

diens, res minus obvia, quoniam agitur cooperatio materialis eaque negativa—*non administrat* medicamentum dubie profuturum, forsitan simul et noxium (cf. II, 452 ss.).

A lii casus.

- 129 C. II.—Licetne transfodere puerum innocentem quem iniustus aggressor ante se ponit ne vulneretur ipsemet?
Sol.—Affirmative, «quia iniusta aggressio redundat in puerum». Sic Merkelbach ¹
- 130 C. III.—Durante bello dux occidit iniuste adversi ducis filium quem habebat obsidem. Facti conscius hic dux adversus damnavit capite illius ducis infantem qui habitabat regionem sibi subditam.
Sol.—Illicita prorsus haec sententia. Ideo peccavit graviter dux ille adversus contra iustitiam commutativam. Ad nullam tamen restitutionem obligatur: non quidem erga patrem infantis, quandiu hic, qui primus iniuriam intulit, non sibi restituat; nec erga infantem, qui nullis suffragiis iuvari potest—nam, si baptizatus, est in caelo; si non baptizatus, in limbo.
- 131 C. IV.—Si rex turearum invadens regna Christianorum, promittat quod nullum interficiet si hi occidant innocentem praedicatorem, qui praedicavit contra saracenos, an id liceat ad liberandum regnum vel civitatem?
Sol.—«Ad hoc absolute respondeo, quod nullo modo licet innocentem occidere, nec invitum nec volentem. Sed contra, quia vita huius innocentis est necessaria ad salutem reipublicae. Nego illud, quia illud est ex malitia alterius, scilicet tureae. Secundo dico, dato quod conce-

¹ Merkelbach, *Th. Mor.*, II, 360. ed. 3. Ci. supra, n. 122.

damus quod sit necessaria vita illius, tamen non licet illum interficere..., quia de se est malum; et non sunt facienda mala ut inde veniant bona». Sic Vitoria¹.

C. V.—Fit tamen instantia: Pro salute totius corporis, 132 non solum licet scindere membrum putridum, sed etiam membrum sanum; sic etiam pro liberatione totius reipublicae licebit, non solum nocentem, sed etiam innocentem occidere. Comparatur enim quilibet homo de republica ad totam rempublicam sicut membrum ad totum corpus, et ut dicit Aristoteles, homo quidquid est, est reipublicae, et plus reipublicae quam sui ipsius.

Sol.—Respondet pariter Vitoria: «Non est simile, quia membrum non potest pati iniuriam, cum non habeat bonum proprium ad quod habeat ius. Sed homo potest pati iniuriam, habet enim homo bonum proprium ad quod habet ius. Et sic dico quod bene licet abscindere manum, quia illa de se non patitur, sed homo, et quia illa est membrum et bonum dumtaxat hominis, et non suiipsius. Sed innocens est bonum suiipsius et ipse dumtaxat patitur, et ideo non licet illum occidere»².

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Equitans ferocem equum atque puerum conculcans (I, 121); Traditio innocentis tyranno alias minanti excidium civitatis (I, 132); Occisio debiliū ex maiidato auctoritatis publicae (I, 132); Occisio sive contagioso morbo laborantium, sive parvulorum ad cautelam (I, 133); Proiectio pueri lupis insequentibus vel q̄Lorundam in mare ad alleviandam scapham (i, 134); De montium ascensione periculosa (I, 162-6).

¹ Vitoria, in *II-II*, 64, 6, n. 2, ed. Beltrân de Heredia.

³ Id., ib. Cf. infra, n. 160.

VII. EMBRYOTOMIA

Doctrina.

133 Embryotomia, generali nomine, designat chirurgicas operationes omnes quibus fetus in matris utero reducitur aut dividitur ut hinc eici vel saltem extrahi queat

In his operationibus numerantur: *Craniotomia*, qua craneum perforatur et ab eo massa cerebri extrahitur ut inde, ob contractiones uterinas, volumen capitis minuatur; *Cephalotripsia*, qua caput comprimitur donec massa cerebri et sanguinis vincunt ossium et pellis capitis resistantiam; *Cephalotomia*, qua dividitur caput, sensu longitudinis, in duas partes; *Spheroitripsia*, qua perforatur, in pluribus locis, basis capitis; *Embryulcia*, qua aut separatur caput a trunco (decollatio) aut scinditur pectus vel columna vertebralis per aptos forcipes (detruncatio, embryothlasis); *Evisceratio*, qua, post perforationem abdominis aut pectoris infantis, extrahuntur viscera ventris et thoracis, et dein, per apta instrumenta, flectitur columna vertebralis l.

134 Dubio proposito: «An tuto doceri possit in scholis catholicis licitam esse operationem chirurgicam, quam craniotomiam appellant, quando scilicet, ea omnia, mater et infans perituri sint, ea e contra admissa, salvanda sit mater, infante pereunto, S. Officium respondi (28 maii 1884): «Tuto doceri non posse» (Denz. 1889). Proposito postea dubio de operationibus craniotomiae affi-

» Merkelbach, QQ *de embryologia et de ministracione baptismatis*, ed 1927, p. 30 s., ex Antonelli, *Afedic. Past.*, II, p. 58 s., ed. 5.—«Huc etiam spectat ille modus agendi quo *fluxus electricus* trans uterum deducitur ad foetum occidendum» (Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I, 581, ed. 1939).

nibus, ipsum S. Officium (19 augusti 1889) respondit: «In scholis catholicis tuto doceri non posse licitam esse operationem chirurgicam, quam *craniotomiam* appellant, sicut declaratum fuit die 28 mail 1884 et quancumque chirurgicam operationem directe occisivam fetus vel matris gestantis»

Recentius autem Pius XI: «Quod vero attinet ad *indicationem medicam et therapeuticam*— ut eorum verbis utamur¹—, iam diximus, Venerabiles Fratres, quantopere Nos misereat matris, cui ex naturae officio gravia imminent sanitatis, immo ipsius vitae pericula: at quae possit umquam causa valere ad ullo modo excusandam directam innocentis necem? De hac enim hoc loco agitur. Sive ea matri infertur sive proli, contra Dei praeceptum est vocemque naturae: *Non occides!* Res enim aequae sacra utriusque vita, cuius opprimendae nulla esse unquam poterit ne publicae quidem auctoritati facultas. Ineptissime autem haec contra innocentes repetitur e iure gladii, quod in solos reos valet; neque ullum viget hic cruentae defensionis ius contra iniustum aggressorem (nam quis innocentem parvulum iniustum aggressorem vocet?); neque ullum adest *extremae necessitatis ius* quod vocant, quodque usque ad innocentis directam occisionem pervenire possit. In utraque igitur et matris et prolis vita tuenda ac servanda probi expertique medici cum laude enituntur; contra, nobili medicorum nomine et laude indignissimos se ii probarent, quotquot alterutri, per speciem medicandi, vel falsa misericordia moti, ad mortem insidiarentur... Quae autem afferuntur *pro sociali et eugenica indicatione*, licitis honestisque mediis et intra debitos limites, earum quidem rerum ratio haberi potest et debet; at necessitatibus, quibus eae in-

¹ Bucceroni, *Enchiridion Morale*, n. 745. ed. 1905, p. 39.

* Dicitur indicatio medica et terapeutica occisio fetus ad salvandam matrem, cum mater alias salvari nequit, aut non ita facile.

nituntur, per occisionem innocentium providere velle absonum est praeceptoque divino contrarium, apostolicis etiam verbis promulgato: *Non esse facienda mala ut eveniant bona*»

- 135 Hinc principium: Embryotomia et omnis operatio directe occisiva infantis est intrinsece mala et iniusta, ita ut nullo in casu, etiam indicationis medicae vel necessitatis, possit esse licita¹. Dicimus autem directe occisivam operationem quae immediate occisiva est et non nisi occisione infantis ponit matrem extra periculum³.

Casus primus.

- 136 Fabius medicus catholicus novit sane embryotomiam illicitam esse neque infitatur honestas esse operationes quibus et matris et fetus vitae insimul facilius consumitur; at casus nonnumquam incidere in quibus ad matris vitam servandam embryotomia necessaria sit idem incunctanter asserit. Quae dum confessario exponit, simul narrat se in huiusmodi adiunctis ut et suae conscientiae et vitae matris consuleret, tempus observasse, ad embryotomiam peragendam, quo fetus cordis pulsus haud amplius percipiebantur, ita ut prudenter praesumi posset ipsum vita excedisse, quin tamen id certo accidisse conicere liceret. Hinc confessarium sciscitatur num recte egerit.

Quid confessarius?

¹ Pius XI. enc. *Casti connubii*, 31 dec. 1930 (Denz. 2243 sq.).—Etiam post encyclicam defenderunt quidam licitatem operationis cuius finis esset salvare matrem a gravissimo periculo, quod etiam secum traheret mortem Infantis. Sed immerito (Merkelbach, *QQ. de embryologia et de sterilisatione*, ed. 1937, p. 16 s.).

* Merkelbach, l. c., p. 17.

³ Id., lb., p. 19 ss.

Solutio

Casus hic fuit propositus a Vermeersch instar dubii 137
 Qui adiunxit: «Profecto, si casus moram toleraret, diutius expectandum foret. Sed in casu praesenti dilatio esset pro matre letalis. Rursus *nulla positiva probabilitas* adest qua de tali infante dicere possimus: *probabiliter vivit**»

His in adiunctis, Vermeersch meminit affirmativae responsionis a Ferreres et a Prümmer datae. Ferreres quidem in *Th. Mor.*, I, 501, ed. 1932—hunc enim locum Vermeersch invocat—haec habet: «Quid si fetus probabiliter vel probabilius iam sit mortuus..., et mors matris instet, nisi fetus extrahatur? Tunc videtur ius certum matris praefendum esse iuri dubio ipsius fetus. Ita etiam Prümmer, vol. II, η. 136». Sed ipsemet Ferreres in *Casus Conse.* I, 470, ed. 1926, maiori cum fiducia loquitur: «Licitum erit (tumorem simulantem praegnationem extirpare), cum nec illa consueta signa¹ (praegnationis probabilia) appareant, aut ex aliis signis constet fetum probabiliter aut probabilius esse iam mortuum, et mors matris imminere videatur, nisi adhibeatur ista operatio». Et iterum (n. 487), quoad extirpationem tumoris in placenta, ad dubium: An illicita sit haec operatio, seu utrum debeat medicus ab ea operatione abstinere eo quod raro

¹ Vermeersch, *Th. Mor.*, II. 620, ed., 1928.

« Id., ib.

• «Nemine, tum ex veteribus, tum ex modernioribus diffitente, a primis etiam temporibus praegnantia cognosci universim potest per signa quaedam probabilia (puta menstruorum cessationem, ventri et mamillarum tumefactionem, etc.), quae si adsunt, amplior certitudo, tunc natura nihil aliud docente, exigi nequit. A quinto autem mense, recentioribus praesto est Instrumentum, stethoscopium nuncupant, culus ope apud foetum pulsationes cordis medicus periti auris percipit. Et haec de ectopicis, non secus ac de uterinis conceptionibus tenenda sunt» (Eschbach, *Disputationes physiologico-theologicae*, ed. 1901, p. 455).

admodum aliquando tamen fetus certo quidem moriturus adhuc vivit..., vel e contra debeat matri subvenire medicus non obstante periculo parum probabili sed possibili necandi fetum vivum, respondet: «Fieri nequit si constat fetum adhuc vivere, etsi ob omissam operationem mors matris superveniat... Fieri potest, si moraliter constet fetum iam mortuum esse, quin sufficiat scire eum certo moriturum».

- 138 Prümmer autem, ab utroque invocatus, haec scripsit: «Si in partu difficili fetus iam certo est mortuus in utero matris, tunc profecto potest dissecari, ut facilius extrahatur. Sin autem fetus non certo, sed probabilius est mortuus, tunc etiam complures auctores recte docent licitam esse craniotomiam ad salvandam matrem, quia mater vivens non debet dare vitam suam pro fetu probabilius iam mortuo» x.

Quid ipse Vermeersch sentiat non clare apparet. Ad citata namque verba Prümmer adiecit: «Potius tamen quam de vita danda pro fetu, agitur in casu de vita propria conservanda cum nece prolis si haec vivat, ut est satis probabile», quamvis pridem scripserit: «Nulla positiva probabilitas adest qua de tali infante dicere possimus: probabiliter vivit».

- 139 Praemittamus igitur Casum duo simul exprimere: prudenter praesumi posse fetum vita excedisse, verum id contigisse non constare certo.

His in adiunctis posset quis cogitare de collisione iurium, iuris videlicet certi, quod est matris ut propriam salvet vitam, et iuris incerti, quod est fetus (quippe qui dubie vivit). Porro, si ad doctrinam communiter receptam ius certum vincit incertum in iurium collisione, ad communem quoque doctrinam quando conflictus agitur praecepti negativi (Non occides) et praecepti affirmativi

(Salva vitam propriam), negativum vincit affirmativum. Quin immo in casu neque praeceptum affirmativum intercedit, non enim quaeritur utrum mater et medicus teneantur consulere saluti matris, sed utrum ipsis liceat.

Cum agitur igitur conflictus inter ius certum et ius dubium, distinguamus dubium facti atque dubium iuris. Nam cum vertitur dubium facti in materia iustitiae et iniustitiae oportet semper sequi tutiorem partem; venator qui suspicatur animal quod configere intendit esse hominem, nequit suspicionem contemnere, quantumcumque contrarium sit longe probabilius; aliter, sagittam mittens, se voluntarie exponeret periculo homicidii \ At in casu praesenti dubium facti vertitur, num videlicet fetus sit vivus, quoniam, si affirmative, ius esset ipsi certum ne occidatur. Facere propterea operationem chirurgicam quae occideret fetum idem est ac se exponere periculo occidendi infantem.

Probanda est igitur sententia Merkelbach: «Embryotomia illicita manet, etiam si probabile tantum sit quod foetus adhuc vivat, quia nec licitum est se exponere periculo mere probabili occidendi innocentem» 13 Ad eam propterea aptet confessarius responsum.

Alii casus.

C. II.—Eventius chirurgus non abhorret a craniotomia tunc temporis peragenda cum consulitur indicatione medica, uti aiunt; quod existimet fetum in adiunctis aggressorem iniustum vitae matris et huic propterea ius sit se, cum eius etiam occisione, defendendi.

Sol.—«Infans nullo modo dici potest aggressor et

1 Hoc ipsum Vermeersch iam vidimus (I, 159n) dixisse, ad aliud quantumlibet propositum.

3 Merkelbach, *QQ. de embryologia et de seterilisatione*, p. 23.—«Etiam in dubio de praesentia foetus viventis embryotomiam peragere non licet, quamdiu probabile est adesse foetum viventem» (Aertnys-Damen, l. c.).

multo minus iniustus. Ipse enim non ponit actionem obiective iniustam; immo passive se habet in loco non a se, sed a natura sibi assignato, utens iure suo. Quod si in hac similitudine aggressoris insistere placet, cum difficultates partus, ordinarie, potius sint ex parte matris (ob angustiam pelvis et ob alias causas), ipsa dicenda esset aggressor, non infans». Sic cl. Moretti \ Sed dato quoque infantem aggressorem esse, oporteret demonstrare ipsum iniuste aggredi matris vitam seu ius illius ad vitam vinci matris ad vitam iure, cui propterea cedere teneatur; porro iura individuorum sunt aequalia nec ideo tenetur infans se pro matre sacrificare. Illud, de cetero, Eventii opinamentum improbatum fuit supra (134) a Pio XI.

142 C. III.— Saltem fetus ectopici seu extrauterini, Eventius urget, habendi sunt uti matris vitae aggressores iniusti materialiter.

Sol.— Respondet Merkelbach: «Foetus ectopicus non est iniustus aggressor. Non aggressor, nec materialis, ad modum hominis in amentia alterum invadentis: iste enim actum ponit qui tamen ipsi imputari nequit defectu libertatis, e contra foetus proprie non agit, sed potius a matre agitur et a viribus naturalibus; unde potius mater dici posset eum aggredi, cum ob defectum matris et ob naturalem concursum circumstantiarum impediatur esse in loco normali et naturali. Mediantibus involucris quidem producit vilositates, quae corpori materno se inserere conantur et nutrimentum eo sumere, sed quia locus naturalis, scii, uterus, ipsi non offertur, et necessarium est ipsi ad vitam evolvendam et conservandam; at hic est conatus mere instinctivus vitae vegetativae. Adhaerentia matri scii, est naturalis evolutionis; proinde non actio materialiter iniusta. Et ipsum intrinsecum exerci-

1 Apud Palazzini-De Iorio, *Casus Conse.*, I. 138.

tium propriae vitae eiusque conservatio est ius, et nequit dici aggressio, cum non sit actio quae habeat solam matrem immediatum terminum. Non iniustus, quia trames iuris non praetergreditur, nec necessariis ad vitam renuntiare debet»

C. IV.—Apollo, medicus, petit a theologo num in praegnatione extrauterina, propter positionem abnormalem matri nocivam, saccus foetalis nequeat aequiparari organo corrupto aut tumori lethali qui auferri potest. 143

Sol.—Negative. Id enim «si verum esset, fere semper licitum foret ita excidere, quod cum responsis romanis non congruit. Nec saccus foetalis haberi potest ut tumor vel organum aegrotum matris, sed est aliquid foetus. Unde id solummodo ut licitum defendi potest, si alii sint veri tumores lethales cum foetu coniuncti, aut verus tumor qui a foetu non proveniret sed in quo foetus forte inveniretur cum involucris suis» 1

C. V.—Austregisilus, pariter medicus, a parocho sciscitatur quare, si non sit medium ad solvendum dubium num agatur de tumore num de fetu, invocari nequeat notum illud principium: ius certum matris praevalet iuri probabili infantis. 144

Sol.—Imprimis, quia theologo qui hoc ipsum principium pro liceitate invocaverunt³, deinceps retractarunt insuper, quod non agitur de iure mere probabili

1 Merkelbach, l. c., p. 52.

2 *Id.*, *QQ*, de embryotomia et de ministracione bay., p. 49.

3 Ita Genicot in primis editionibus, Antonelli, et etiam aliquatenus Noldin (Merkelbach, *QQ*, de embryologia et de sterilisatione, p. 53).

* «Id in nova editione operis Noldin deletum fuit; similiter P. Salsmans in ultimis editionibus operis Genicot id emendavit» (*Id.*, *ib.*).—«Antonelli, II, 112, recedens in ed. 1909 a benigniore sententia quam prius propugnabat, iam permittere non audet ut in extremo discrimine, ubi mater cum fetu moritura sit propter Imminentem cystis scissionem, fetus immaturus extrahatur» (Vermeersch, l. c., n. 628).

fetus, sed de iure certo fetus probabilis; agitur, aliis verbis, prout in Casu I (140) dubium facti, in quo applicari nequit principium probabilismi, sed oportet sequi tutiorem partem

145 C. VI.—Sisenandus, sacerdos, interrogat theologum quid parochus vel confessario agendum sit si medicus suadeat embryotomiam.

Sol.—«Medicus qui in casu particulari embryotomiam est facturus non est monendus a sacerdote, si non speretur fructus; at, etiam non sperato fructu, monendus est si frequenter ita agat et scandalum sit fidelium, aut si non sit in bona fide, ut si sacerdotem de hoc interrogat, aut quando silentium sacerdotis aequivaleret approbationi. Mater, si sit in bona fide, ex prudentia *hic et nunc* non moneatur de gravitate suae obligationis ne, consensum negando, moriatur in statu peccati». Ita Merkelbach 13

1 Merkelbach, l. c.—«Principium invocatum: ius certum matris praevalere iuri probabili infantis, recte applicatur quando certa conservatio vitae in matre et probabile periculum vitae pro infante aequae immediate, ut duplex effectus, oriuntur ex eadem actione seu positione eiusdem causae; in praesenti non valet, quia periculum inductum vitae probabili infantis esset medium servandi vitam matris, id quo mediante matri consuleretur» (Id., ib.); aliis verbis in primo casu adesset ratio proportionate gravis ad permittendum pravum effectum consequens; in altero agitur de pravo effectu antecedente (Cfr. I, 159).

3 Id., QQ. de *embryologia et ministracione bapt.*, p. 34.—«Accedit, quod medici se exponunt urgenti periculo cum punitionis a legibus paenalibus inflictae, tum oblocutionum sinistrarum, si in extrema necessitate omittant cranlotomiam ad matrem salvandam. Prudentis igitur confessarii est iudicare, num praestet relinquere medicum in bona fide, dummodo tamen baptismus conferatur proli moriturae. Sic enim salus aeterna infantis procuratur et matris vita salvatur» (Prümmer, *Th. Mor.*, II, 136, ed. 1928).—«Si chirurgus quid liceat petat, respondeat: nescio quomodo vita fetus tolli absque culpa queat. Si mater petat quid sibi faciendum sit, videtur dicendum oportere chirurgum orare ut vitae fetus omni qua possit ratione consulat» (Vermeersch, l. c., n. 621, ex Kenrick).

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Abortus ad vitandam infamiam (I, 167); Declaratio pontificia de quarundam operationum chirurgicarum illicite- tate (I, 350).

VIII. SUI IPSIUS DEFENSIO

Doctrina.

Defendit quis seipsum. dum alius eum aggreditur: 146
ante aggressionem etenim inceptam, pariter ac post ag-
gressionem consummatam nullus est defensionis locus,
cum illata vis quae vi repellatur nondum sit vel non ex-
stet amplius \ Aggressor autem aliquando est iustus et
aliquando iniustus: iustus dicitur cui officium adest vel ius
ut aggrediatur aliquem; iniustus, ex adverso, cui aggres-
sionis favet ius vel officium nullum. Quia de sui defen-
sione contra aggressorem iustum sermo infra (241), nunc
agitur de defensione in aggressorem iniustum.

Porro aggressor iniustus distinguitur formalis et ma-
terialis: formalis ille est qui se carere novit aggressionis
titulo legitimo, seu qui conscius est se iniuste vim infer-
re; materialis, e contra, qui ignorat se aggredi illegitime
seu iniuste agere—amens, puta, aut ebrius.

Et licet quidem cuique defendere propriam vitam, in- 147
tegritatem atque magna temporalia bona cum occisione

1 Aggressor intellegitur «qui actu vim infert, aut saltem aliquo modo cepit opus et moraliter iam est invadens, ut si signa imminentis aggres- sionis (ensem stringendo, sclopetum arripiendo, etc.) exhibeat, aut aggre- di omnino determinaverit et occasionem aggressionis iam nunc quaerat et hoc ex quodam praesenti indicio constet; in dubio autem esset locus cautioni aut interpellationi, non defensionis» (Merkelbach, *Th. Mor.*, II. 361, ed. 3).

aggressoris, etsi materialiter, iniusti: nam ius est cui libet ut pro viribus defendat quae sua sunt, nec desunt in memoratis casibus rationes ut plurimum proportionate graves ad permittendam aggressoris mortem ex defensiva actione secuturam.*

Nemini tamen licet honorem suum defendere cum occisione aggressoris, etiam formaliter iniusti: nam valet quisque aliter sibi melius consulere—v. gr., habito recursum ad iudicem—, nec satis fieret bono communi et paci societatis—innumeris enim caedibus pateret aditus—. Ideo haec fuit proscripta propositio: «Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit» (Denz. 1180).

148 Sed cum tota ratio occisionis sit iusta defensio, occisio redditur proculdubio illicita quae non sit necessaria. Quapropter si cognoscerem hunc qui magna temporalia bona capere a me nititur et in iudicio possem illa recuperare, nefas est eum occidere. Inde commune effatum: «Vim vi repellere licet cum moderamine inculpatae tutelae». Dicimus tamen *licet*, quia ad defensionem cruentam nemo tenetur, cum vitae conservandae extraordinarium medium agatur. Immo ille laudandus est qui ne aggressor, v. gr., in mortali decedat, defensionis huiusmodi renuntiat constitutus in gratia; filius pariter qui sineret se occidi potius quam cruentem se defendere contra invasorem patrem.

Quoniam tenemur proximum diligere sicut nos ipsos,

1 Quia causa permissiva mortis aggressoris debet esse proportionate gravis, non licet defensionem sui eo usque exercere pro conservatione unius aurei (Denz. 1181) aut rei parvi momenti; immo nec pro magnis tutandis temporalibus quae in spe dumtaxat possidemus (Denz. 1182), longe cum dignitate vita praestet quam aggressor possidet actu.

- «Nota tamen quod si quis in *subita aggressionem* videatur excessisse in sui defensione, non de facili erit damnandus, cum valde difficile sit hic et nunc iudicare quid necessarium sit ad sese efficaciter defendendum» (Fanfani, *Th. Mor.*, II, 231).

quae nobis defensio licet circa nostra, eadem licita quoad aliena. Ius ergo est cuilibet defendere vitam, integritatem atque magna temporalia proximorum bona cum occisione illius qui iniuste proximum aggreditur. Nemini tamen hoc incumbit officium—cum vel vitae conservationis medium agatur extraordinarium—, nisi forsan ex suscepto munere—v. gr., custodibus—vel titulo pietatis—v. gr., erga propinquos—aut caritatis—v. gr., si invasus fuerit ebrius vel in statu peccati.

Casus primus.

Cominunisticae revolutionis exordio confugerunt plures in diversorium publicum seu cauponam (hotel). In his sacerdos. Cuius praesentiam cum putarent ceteri periculosam omnibus, a domino diversorii petierunt ut eum expelleret. Domino diversorii renuente, ipsimet e diversorio illum vi eiecerunt. 149

luste aut iniuste?

Solutio

Agitur de diversorio publico seu loco aperto omnibus confugientibus, nemini horum proprio; agitur de sacerdote quem ad mortem communistae insequuntur in odium fidei; de sacerdote qui simul cum aliis diversorium petiit, quemque non nisi postea hi ceteri sacerdotem esse comperiunt (cf. I, 134); de sacerdote igitur qui propterea in diversorium se recepit ibique vult manere quod sic spes effulgeat evadendi vitae periculum. Ne casum difficultatibus implicemus, nemo e ceteris confugientibus vimque inferentibus est specialis momenti pro republica. Tota autem ratio cur hi omnes sacerdotem e diversorio eiciunt est periculum vitae quod una simul cum sacerdote ipsi incurrerent eum nisi a propria 150

societate expellerent. Hoc porro periculum supponitur remotius quam periculum quod sacerdos incurreret expulsus.

Porro sacerdos, de quo agitur, non est aggressor iniustus quandiu ius quod habet ad vitam subsistat non obstante ceterorum ad vitam iure; si proprium scilicet eius ius non vincitur, cui debeat cedere, iure aliorum. At non vincitur ratione *qualitatis* horum, ut supponimus; non enim agitur de bono communitatis, quod quis ex iustitia legali teneatur praeferre proprio bono. Utrum ratione *quantitatis*, sive numeri, id est quia ceteri sunt plures? Sed tunc singulorum iuria sunt paria, nec unus tenetur renuntiare proprio (141).

151 Sacerdos ergo in casu retinet ius ad vitam; manens in diversorio, suum ius prosequitur atque nemini facit iniuriam. Periculum, si quod imminet ceteris, non ex mansione sacerdotis sed ex una venit persequentium malitia. Ceteri propterea nequeunt se ab huiusmodi periculo defendere attentantes contra ius quod sacerdoti adest. Hic quidem permanens, illorum periculum permittit, sed ponit actum certo non malum—prosequens suum ius in diversorio remanens—cuius primus et intentus effectus bonus est—se a periculo eripere—. Contra, qui sacerdotem exire vi compellunt, etsi intendunt dumtaxat se eripere a periculo, medio malo utuntur, seu ponunt actum pravum, aggressionem videlicet iniustam in sacerdotem cui est ius manendi—non nisi aggressionem huiusmodi media propriam securitatem attingunt.

De reliquo si ob solam praesentiam sacerdotis mors imminet ceteris qui in diversorium confugerunt, exeant hi omnes diversorium et permittant sine pari eorum damno ut sacerdos sibi a maiori caveat.

Alii casus.

C. II.—Licetne mulieri invasorem pudicitiae occidere, 152
deficientibus aliis mediis eum repellendi?

Sol.—Si iniustus aggressor velit copulam carnalem extorquere, affirmative, ad communem sententiam; non tamen post copulam vi extortam—tunc non esset defensio, sed vindicta illicita—. «Sin autem agatur, non de ipsa copula carnali, sed de aliis actibus impudicis, qui non tam magnum damnum aut roborem causant, e. gr. de osculis aut tactibus, licet quidem verberare sed non occidere iniustum aggressorem». Ita Prümmer \

C. III.—Iudith, fortis et patiens uxor Rustici, pessimi 153
viri, qui eam continuis vexationibus subicit, omnem impendit operam ut eundem ad meliora consilia revocet; sed frustra, immo quo mitiorem studet Iudith se exhibere, eo asperioribus modis utitur Rusticus, qui tandem eo usque pervenit ut mortem uxori non tantum minatus sit, sed semel quoque inferre tentaverit, licet sine effectu. Nihilominus Iudith a viro discedere noluit. Verum quadam nocte, dum uterque somnum capturus est, Iudith conspicit Rusticum pugionem sub pulvinari abscondentem ad ipsam sane in somno occidendam. Cubiculum a reliquis habitationibus valde remotum est, ostium obseratum eiusque elavem reperire impossibile est. Cum nullum aliud praesto sit medium mortem evadendi, Iudith, vix ac maritus somno sopitur, maxima dexteritate eum confodit.

Sol.—«Iudith egit illicite, praeveniendo aggressionem mariti et illum occidendo. Etenim vel durante somno viri subripuit pugionem sub pulvinari absconditum et cum eo occidit maritum, vel aliis armis usa est ad illum oc-

1 Prümmer, *Th. Mor.*, II, 122, ed. 1928.

cidendum. Si primum, non erat ipsi licitum interficere virum suum, qui privatus pugione, remanebat inermis, nec poterat amplius aggredi uxorem suam et eam vita privare. Non erat igitur mulier ista in casu quo licet occidere iniustum aggressorem. Debebat proicere pugionem per fenestram, aut eum taliter abscondere ut non posset reperiri a marito; non vero eo uti ad interficiendum coniugem. Si vero secundum, non poterat ludith licite praevenire aggressionem, sed debebat eam expectare; nam deerat una e condicionibus requisitis ut hoc fuisset licitum, nempe impossibilitas vitandi mortem tempore aggressionis. Poterat enim haec mulier, utpote armata, repellere vim a marito inferendam, et sic impedire ne ab eo trucidaretur». Ita Paban l.

154 C. IV.—Arnobius, nemorum custos, ita confitetur: «Pater, grassantur in regione mea plurimi et audacissimi feripetae; quos omnes novi determinatos esse ad occidendos custodes a quibus forte deprehendantur, prout lugenda experientia didicere plures e sociis meis. Quare firmiter proposui, quotiescumque aliquem feripetam deprehendo, nisi statim aufugeret, in eum explodere; si enim eius oppugnationem exspectarem, iam nimis sero conarer me servare incolumem. Ita nuper contigit mihi aliquem ex huiusmodi nebulonibus graviter vulnerasse».

Sol.—Ad hunc casum Genicot: «Nimis incerta est conclusio, e quibusdam feripetarum facinoribus deducta, ut propterea liceat quamlibet physicam aggressionem morte vel gravi vulneratione praevenire: id enim licitum non esset nisi certo constaret parari aggressionem neque aliud medium vitandi periculi daretur. Attamen si custos e quolibet indicio colligeret hunc determinatum feripetam, quem obvium habet, ipsius vitae insidiari, licite

eum praeveniret, ne ius propriae vitae tuendae inane fieret» x.

C. V.—An liceat occidere ebrium vel amentem aggressorem? 155

Sol.—«Affirmative, si desunt alia media se defendendi. Et ratio est, quia ebrietas et amentia eximunt quidem aggressorem a formali peccato, sed non privant invasum iure vitam suam tuendi. Excipe, forsan, si invasus sit in gratia Dei et invasor certo in peccato mortali; tunc enim, si aliqua certa spes effulgeat invasorem postea salutem aeternam consecuturum, caritas exigere posset ab invaso potius mortem subire quam aggressorem occidere. In praxi tamen raro hoc accidere potest, maxime propter difficultatem cognoscendi an revera adsit spes salutis pro aggressore». Ita Fanfani¹.

C. VI.—An aliquando sit obligatio defendendi proximum contra iniustum aggressorem? 156

Sol.—Respondent Aentnys-Damen: «I.^o Generatim loquendo, quisque tenetur ex lege caritatis succurrere proximo vim iniustam patienti et auxilio indigenti, si

¹ Genicot, *Casus Conse.*, 150, ed. 1928.—Ad quaestionem: Si ego essem homo pauper et non haberem unde emerem satellites et commilitones, et inimicus meus esset nobilis vir vel dives, et scio quod ipse parat satellites et commilitones ad interficiendum me, liceretne mihi praevenire et interficere illum? sic Vitoria (in *II-II*, 64, 7, n. 8, ed. Beltran de Heredia): «Respondetur ad hoc. Primo, quod certe est periculosum universaliter sic loqui et daretur nimia licentia hominibus ad passim occidendum homines inimicos. Unde oportet cum moderamine et cautela loqui ne insurgant scandala, et ideo hoc nullatenus debet praedicari. Secundo dico, quod si iste habet medium aliquod ad defendendam vitam suam, scilicet fugiendo ad aliam civitatem, sine magno detrimento rei suae ubi erit tutus ab inimico suo, illud debet facere et non praevenire inimicum... Tertio dico, quod si nullum aliud medium sit ut defendat vitam suam nisi praevenire interficiendo illum..., tunc licet praevenire et occidere».

² Fanfani, l. c.

sine gravi incommodo opem ferre possit. Quodsi accedat officii vel pietatis ratio, crescit obligatio, ita ut etiam cum gravi incommodo auxilium praestandum sit; sic tenentur milites et custodes, qui ad hoc conducti sunt; sic quoque propinqua cognatione coniuncti. 2.^o Loquendo de defensione mortifera: a) nemo tenetur alterius vitam tueri cum propriae vitae periculo; nisi vita Principis invaderetur, a quo pendeat boni communis conservatio.

Secluso propriae vitae periculo, neque exstat obligatio caritatis vitam proximi defendendi cum caede aggressoris; quia caritas non obligat cum tanto onere, inquinandi nempe manus suas humano sanguine, et subeundi gravia incommoda, puta inimicitias, publicam iustitiam, quae ex homicidio etiam licito oriri solent. Dixi obligatio caritatis: quia ex officio tenentur milites et custodes ad securitatem civium conducti; imo, cum agitur de bono communi, si nempe latrones insectandi sint, tenentur etiam cum periculo vitae. Deinde ex pietate tenentur cognati in primo gradu, puta si invasus esset parens, filius, uxor, frater aut soror» \

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Fuga per arctam viam cum periculo conculcandi parvulum (I, 134); Defensio cruenta vitae et bonorum (I, 169); Num iniusto aggressori parcere teneamur ne in peccato decedat (II, 285).

IX. MUTILATIO

Doctrina.

Mutilatio est abscissio membri vel operatio qua membri usus vel organica functio supprimitur. 157

Distinguitur directa et indirecta, prout est volita in se—instar finis vel medii—aut tantum in causa (cf. 111).

Directe mutilare quempiam, nisi divina accedat inspiratio sive praeceptum, non nisi in poenam licet auctoritati publicae (125) aut in salutem corporis hominibus privatis. Si enim Deus mutilationem iubeat vel permittat, nullus est de liceitate ambigendi locus \ Prout culpa autem gravissima valet ab auctoritate publica puniri occisione, culpa minus gravis mutilationem reddit illi licitam. Membrum, denique, ordinatur in salutem corporis; si ex conservatione membri igitur vita periclitetur hominis, ius amputandi membrum iis omnibus adest quibus cura incumbit de salute, parentibus respectu filii, superioribus religiosis respectu subditi, et interdum, ex caritate, cuilibet respectu proximi.

Indirecta mutilatio proximi licita vel privato existit in defensionem propriam: in propriam siquidem eamque moderatam defensionem potest quis id agere unde proximi sequeatur mutilatio, praevisa atque permissa ob causas proportionate graves; nam et id licet agere unde et mors sequitur (cf. 146 ss.).

Indirecta quoque mutilatio sui licita est pronuntianda 158

1 Ad obiectionem: Ex historia ecclesiastica, S. Marcus sibi pollicem amputavit, ne fieret sacerdos; in vita S. Pauli eremitaie apud S. Hieron. legitur quendam iuvenem ligatum in molli lecto, sibi abscindisse linguam et expuisse in faciem meretricis ipsum ad turpia excitantis, Billuart respondet: «Hos et alios similes id fecisse vel ex ignorantia invincibili, vel ex inspiratione divina; alias non sunt excusandi» (*Summa S. Thomae*, tr. de iure, etc., diss. 10, a. 9, 5 1). Cf. supra, 11In.

ubi adsint rationes proportionate graves; graves enim rationes reddunt licitum suicidium indirectum (cf. 112).

Sed directa mutilatio sui, nisi necessaria sit ad vitam vel sanitatem conservandam, privata auctoritate licet nemini. Homo namque non est dominus membrorum aut vitae, sed usufructuarius dumtaxat atque custos; illicite ergo quis se privaret membro aut organo absque concessione Dei, saltem rationabiliter praesumpta; haec autem rationabiliter praesumitur cum ad salutem corporis venit mutilatio necessaria: pars etenim existit propter totum. Hinc Pius XI: «Quod ipsi privati homines in sui corporis membra dominatum alium non habeant, quam qui ad eorum naturales fines pertineat, nec possint ea destruere aut mutilare aut alia via ad naturales functiones se ineptos reddere, nisi quando bono totius corporis aliter provideri nequeat, id Christiana doctrina statuit atque ex ipso humanae rationis lumine omnino constat» \

Casus primus.

159 Acriter pugnat Atticus pro mutilationis liceitate cum agitur de transplantando rene vel cornua oculi ab homine qui pergeret vivere atque videre sine his in hominem qui alias viver(e vel videre non potest. Si in bonum enim, inquit, totius corporis physici licitum est cuique mutilare se, a fortiori id licebit in bonum totius corporis socialis, cuius omnes omnino sumus membra 1

1 Pius XI, enc. *Casti connubii*, Denz. 2246.

2 «Les membres de l'individu seraient considérés ici comme parties et membres de l'organisme total que constitue *l'humanité*, de la même manière—ou presque—qu'ils sont parties de l'organisme individuel de l'homme. On argumente alors en disant que, s'il est permis, en cas de nécessité, de sacrifier un membre particulier (main, pied, oeil, oreille, rein, glande sexuelle) à l'organisme de *l'homme*, il serait également permis de sacrifier tel membre particulier à l'organisme *humanité* (dans la personne d'un de ses membres malade et souffrant» (Pius XII, alloc. 14 mai 1956: AAS, 48 [1956], p. 461).

Solutio

Respondet Merkelbach: «Comparatio claudicat. Verum est quod, sicut in corpore omnia membra procurant bonum totius corporis, ita in societate omnes individui concurrere debent ad bonum totius societatis. At multae sunt differentiae. Membra sunt propter solum bonum corporis; individui non propter solam societatem, nec in omnibus societati subiciuntur, nam *homo non ordinatur ad communitatem politicam secundum se totum, et secundum omnia sua* (S. Thomas, *Summa Theol.*, I-II, 21, 4, 3m). Membra corporis non sunt personae cum iuribus; individui sunt personae habentes iura quae Status servare debet. 160

Corpus totum est unum per se intrinsecum, in quo omnes partes non existunt nisi ad bonum totius; tantummodo totum est independens et habet individualitatem. Societas est totum extrinsecum, unum per accidens: non est unum ens, sed ex multis sociis constans qui conservant individualitatem propriam et independentiam, sed in quibus est unitas ordinis. Hinc organa corporis habent functionem specialem, sed non vivunt nisi per unum corpus et in uno corpore; non habent existentiam separatam, et ideo totaliter subordinantur bono totius: pars scii, corporis non habet finem proprium. E contra personae sunt individui qui, habentes finem proprium, existunt propter se et non solum propter societatem. Persona ut talis est inviolabilis quantum ad finem, et nulli subordinatur nisi soli Deo; ideo non potest societas disponere de personis et de eorum integritate et iuribus naturalibus, nisi sint malefactores seu criminosi» *

1 Merkelbach, *QQ. de embryotomia et de sterilisatione*, p. 78. ed. 1937. «On néglige ici la différence essentielle entre un organisme physique et un organisme moral, ainsi que la différence qualitative essentielle en-

A lii casus.

161 C. II.—Domitius narrat confessario se nonnumquam vocari ad peragendam amputationem membri quod, etsi noceat corpori, nulla laborat aegritudine sed omnino est sanum; hucusque amputationem facere non est ausus, novit autem plures alios chirurgos, probos etiam, his amputationibus indulgere.

Sol.—Non est cur Domitius ab amputatione membri sani absteat, nocivi tamen corpori. Fieri enim potest quod membrum sanum normali sua functione exerceat super organum aegrotum ita noxium influxum quod aggravet huius aegritudinem et maleficam operam in totum corpus. Fieri quoque potest quod extirpatio, v. gr., organi sani atque suspensio normalis activitatis eius auferat puta cancro evolutionis locum, aut modifcet essentialiter eius vitales condiciones '.

tre les relations des parties avec le tout dans ces deux types d'organismes. L'organisme physique de l'*homme* est un tout quant à l'être; les membres sont des parties unies et reliées entre elles quant à l'être physique même; ils sont tellement absorbés par le tout, qu'ils ne possèdent aucune indépendance, ils n'existent que pour l'organisme total et n'ont d'autre fin que la sienne. Il en va tout autrement pour l'organisme moral qu'est l'humanité. Celui-ci ne constitue un tout que quant à l'agir et à la finalité; les individus, en tant que membres de cet organisme ne sont que des parties fonctionnelles; le *tout* ne peut donc poser à leur égard que des exigences concernant l'ordre de l'action. Quant à leur être physique les individus ne sont en aucune façon dépendants les uns des autres ni de l'humanité; l'évidence immédiate et le bon sens démontrent la fausseté de l'assertion contraire. Pour cette raison l'organisme total, qu'est l'humanité, n'a aucun droit de poser aux individus des exigences dans le domaine de l'être physique, en vertu du droit de nature qu'a le *tout* de disposer des parties» (Pius XII, l. c.). Cfr. supra, n. 132.

1 «Le point décisif ici n'est pas que l'organe amputé ou rendu incapable de fonctionner soit malade lui-même; mais que son maintien ou son fonctionnement entraîne directement ou indirectement pour tout le corps une menace sérieuse. Il est très possible que, par son fonctionnement normal, un organe sain exerce sur un organe malade une action nocive de nature à aggraver le mal et ses répercussions sur tout le

C. III.—Quid autem, Domitius instat, si membrum 162
sanum non nocet corpori nisi ob causam extrinsecam?

SoZ.—Si agitur de causa extrinseca non libera, Auctores unanimiter permittunt membri mutilationem; v. gr., si constrictus pede vel brachio quis comburendus sit vel a fera discerendus nisi pedem vel manum amputet ut inde fugiat. At si de causa extrinseca atque libera sermo sit, v. gr., si tyrannus cui minaretur mortem nisi manum abscindat, vel maritus dicat deprehenso in adulterio; nisi te castres, te occido, Auctores plures vetant, ideo quod mutilatio aequipolleret cooperationi proximae peccato alterius.

C. IV.—Continuo cum agitur luxuriae stimulis, 163
Phocas petit a confessario num ad conservandam castitatem et superandas tentationes castratio sit permessa; salus enim animae, dicit, praeferenda est corporis saluti; si ergo ad salutem corporis licet se mutilare, a fortiori propter salutem animae.

Sol.—Respondet D. Thomas: «Membrum non est praecidendum propter corporalem salutem totius nisi quando aliter toti subveniri non potest. Saluti autem spirituali semper potest aliter subveniri quam per membri praecissionem: quia peccatum subiacet voluntati. Et ideo in nullo casu licet membrum praecidere propter quodcumque peccatum vitandum» x.

C. V.—Eleutherius medicus petit a theologo num viro 164
abnormiter et pathologice erotico licita sit sterilisatio ut sanetur?

corps. Il peut se faire aussi que l'ablation d'un organe sain et l'arrêt de son fonctionnement normal enlève au mal, au cancer par exemple, son terrain de croissance ou, en tous cas, altère essentiellement ses conditions d'existence. Si l'on ne dispose d'aucun autre moyen, l'intervention chirurgicale sur l'organe sain est permise dans les deux cas» (Pius XII, alloc. 8 octobris 1953; AAS, 45 [1953], p. 674).

x S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 65, 1, 3m.

Sol.— Respondet Merkelbach: «Quidam affirmant vasectomiam esse remedium erethismi, satyriasis, nymphomaniae vel abnormalis inclinationis in masturbationem. Hinc plures in casu eam probabiliter licitam dixerunt, quia immediate est in bonum totius corporis seu systematis nervei, si revera bonus effectus inde obtineri possit, nec aliter obtineri valeat. Sed hoc de die in diem magis fit dubium, cum praedicti defectus sint ordinis non physici quidem sed psychici—etiam dato quod effectus obtineatur, operatio potius est ad bonum spirituale, quam ad salutem corporis—; insuper videtur effectus non esse immediatus, sed potius obtineri mediante malo. Quare, iuxta Antonelli, non esset licitum nisi verificata duplici condicione: 1.º ut omnia media therapeutica adhibita fuerint et absque ullo felici exitu; 2.º ut certum sit, non sedato erethismo, inde secuturam mortem aut aliquam gravem infirmitatem. Quae duae condiciones numquam vel saltem rarissime aderunt. Dicunt quidem bonum effectum esse immediatum, cum sanitas procedat ex modificatione organismi. Sed potius dicendum est provenire ex modificatione organismi ut impeditiva generationis. *In praxi*, quamdiu non constet sterilisationem esse medium curationis, eamque in casu determinato esse solum medium, illicitum est eam causa curationis adhibere»¹.

165 C. VI.—Num sit licitum cedere indigenti portionem sanguinis vel cutis?

Sol.—Affirmative; nam, praeterquam non agitur mutilatio, «huiusmodi ablationes vel alterationes de facili a natura ipsa reparantur» ¹

Huc e superioribus voluminibus Casus accedat: *Sterilizationis legem circumveniens* (I, 392-5).

¹ Merkelbach, l. c., p. 73 s.

¹ Fanfani, *Th. Mor.*, II, 226.

X. DOMINIUM FILIORUM FAMILIAS

Doctrina.

Iure Romano bona filiorum familias distinguebantur 166
 in *castrensia*, quae filiis obveniebant e militia; *quasi-castrensia*, quae obveniebant ex officio civili, v. gr. advocati, iudicis, medici, clerici; *projectitia*, quae obveniebant a patre, intuitu patris, instar lucri quaesiti de bonis patris; et *adventitia*, quae aliunde utcumque obveniebant, v. gr., a matre, hereditate, donatione (non intuitu patris), singulari industria vel labore. Et in bona quidem castrensia atque quasi-castrensia filius habebat dominium plenum et administrationem; in profectitia, administrationem, sed dominium nullum; in adventitia, dominium directum, non tamen usumfructum neque administrationem.

Sed quoniam, uti Prümmer¹ animadvertit, casus hodierni solvendi sunt ad vigentia lura, ideo:

Codicibus modernis filii familias habent proprietatem 167
 in bona quae ipsis contingunt iusto titulo—sunt enim homines, domini ergo capaces, et, post rationis usum, exercitii! eius—. Quia tamen minores (ante completum annum 21um, iure canonico et italico) non praesumuntur sufficientes qui prudenter curent de bonis suis, nondum emancipati (per matrimonium aut post annum 18um, completum, iure italico), servant insuper ad parentes nonnulla munia, hinc quod bonorum quae obveniunt filiis sive legitimis sive legitimatis adhuc sub parentali custodia constitutis ususfructus atque administratio ad patrem (eoque mortuo vel impotente, ad matrem, iure italico) prorsus pertinent, nisi legibus aliud caveatur.

¹ Prümmer, *Th. Mor.*, II, 28, ed. 1928

Sic ad leges italicas pater non habet usumfructum bonorum filiis obvenientium: *a)* hac condicione ut pater eo careat, vel in hunc finem ut filius artem professionemque addiscat; *b)* ex militiae, officiorum, liberalium artium exercitio; *c)* ex labore aut industria ab industria patris separata; *d)* ex donatione, hereditate, legatis acceptatis contra patris consensum, forma tamen legali. Pater insuper amittit usumfructum in bona cetera, non modo cum filii maiorenitatem vel emancipationem assequuntur, sed et cum ipse transit ad novas nuptias et cum sententia iudicis eo privatur.

168 In bona quae parentes filio concedunt hic obtinet dominium ad illorum intentionem explicitam; plenum, in absolute data; limitatum, in data definito consilio, puta ad libros emendos vel pensionem solvendam.* Si intentio expressa desit, ex rei natura atque circumstantiis colligenda est; absolutum, igitur, in bona primo usu consumptibilia; in cetera, utile dumtaxat.

169 Quod ad ea quae in paterna domo lucentur, filii:
A) Possunt facere proprium totum lucrum si a) sint

1 «Si illi (parentes) intenderunt dominium illarum rerum *absolute* in filios transferre, iniuncto tamen mandato ut eas in talem usum honestum adhibeant filii, hi (eas convertentes in usus vanos et inutiles) peccant tantum contra oboedientiam. Si vero intenderunt parentes tales res *unice ad certum finem* seu ad usum determinatum concedere, neque ampliorem facultatem filiis facere, isti peccant etiam contra iustitiam. Haec posterior hypothesis plerumque verificatur de pecunia, libris, vestibus» (Genicot, *Th. Mor.*, I, 472, ed. 1931).—Mitius Fanfani (*Th. Mor.*, II, 180): «Aut data fuerunt talia bona *ad usum determinatum*, e. g. ad libros comparandos, ad studia peragenda, etc.; et tunc illicite certo agit filius qui acceptam pecuniam in alios usus impendit, etsi honestos; at potius quam contra iustitiam, videtur quod contra oboedientiam peccet: in his enim et similibus casibus modus se gerendi filiorum parentibus displicere videtur potius propter transgressionem suorum praeceptorum, quam propter appropriationem et dissipationem pecuniae».

maiorenes vel emancipati; aut *b*) non teneantur ex propria condicione laborare 1;

B) possunt facere propriam partem lucri si *a*; laborent industria non separata—e rebus patris et circa res patris—uti patris socii—obtento patris consensu et inito vero societatis contractu—, aut *b*) laborent excessu extraordinario prae aliis fratribus². Quod si non laborantes ut socii patris, laborent prae aliis fratribus notabiliter, non tamen excessu extraordinario, partiale ipsummet lucrum eis denegat sententia probabilior;

C) nequeunt proprium facere lucrum si *a*) labor ipsorum necessarius sit ad parentum vitam sustentandam, aut *b*) lucrum sit adeo exiguum ut vix adaequet expensas quas pro ipsis parentes sustinent—prout iunioribus opificibus contingit—, aut *c*) laborent ut mandatarii patris, prout fit communis. Sed utrum in hoc postremo casu sit filio ius ad stipendium quod extraneo daretur, deductis attamen expensis victus, vestitus, habitaculi, et cetera, et deductis quoque proventibus speratis ex hereditate, res est apud veteres et modernos Auctores controversa 3.

1 Cauto tamen ut laborent industria separata—id est vel apud extraneos nomine proprio, vel in domo paterna sed non circa res neque ex rebus patris—atque solvant, quandiu domi paternae degunt, quas imponunt parentibus expensas.

2 Ibi habent ius ad lucrum pro rata parte sibi ex contractu societatis debita; hic vero ad lucrum pro rato excessu.

3 Plures equidem id concedunt maioreni pro labore ordinario, quippe qui est sui iuris nec deterius conditionis quam operarius extraneus—nisi tamen ei labor compensetur alias, puta per testamentum: aut stipendio renuntiaverit, quod nec explicite nec implicite petiit; aut non plus laboret quam fratres ceteri laborant nunc vel successive laborant; aut pater sine eius et sine stipendiati famuli adiutorio par opus perfecisset—. Denegant, e contra, minoreni—nisi pro labore extraordinario—, tum quoniam hic tenetur parentibus et expensas compensare pro educatione factas et oboedire si laborem urgent pro re familiari conservanda et augenda, sustentatione domestica contentus. Nisi ergo constet patrem iniuste praecipere laborem minorennibus, illud ius (theoretice et extrinsece probabilie) practice recusandum.

Casus primus.

470 Arnulphus, filius familias, cum litterarum studia neglexeret, plurimam pecuniam ipsi a parentibus traditam in ludos atque oblectamenta consumpsit. Tandem studiis relictis, patrem in commercio adiuvare coepit, in quo ei contigit ut sua industria magnam familiae utilitatem afferret.

Arnulphus in paterna domo degens omnia vitae necessaria abundanter quidem habebat; pro voluptariis expensis a patre, septimo quoque die, tria millia libellarum recipiebat. Quibus tamen haud contentus, ob patris tamen auctoritatem veritus quandam compensationem pro diurnis suis laboribus expetere, singulis fere hebdomadibus alia tria vel quattuor millia libellarum clam suscipit ac frequenter merces ex patris officina subtrahit easque in Camillae officinam, quacum matrimonium inire percupit, transfert, eo magis quia perpendit reliquos fratres, separata industria, sibi consuluisse ac nuptias contraxisse. Ita per quinque annos se gerit; mercium, quas subtraxit, pretium tercenta millia libellarum ascendit.

Moritur deinde intestatus pater et Arnulphus incipit de sua agendi ratione dubitare.

Quaeritur: An Arnulphus recte se gesserit?

Solutio

171 Arnulphus, imprimis, non se gessit recte dum, neglens studia, plurimam pecuniam acceptam a parentibus in ludos atque oblectamenta consumpsit. Peccavit proculdubio contra oboedientiam; probabilius etiam contra iustitiam, nam pecunia sibi data praesumitur ad usum sive finem determinatum. Quin sit propterea urgenda

restitutio, nam parentes hanc condonant subinde filiis caris poscentibus atque censentur condonare iis qui non audent poscere, maxime Arnulpho nostro, post negligentiam in studiis, valde industrio familiae.

Verum quoad duplicem compensationem operis patri praestiti oportet praemittamus Arnulphum in paterna domo degentem omnia vitae necessaria habere et abundanter; immo et tria millia libellarum pro expensis voluptariis septimo quoque die. Amplioremne reciperet mercedem opifex extraneus?

Id etiam demus. Sed ad licitam compensationem occultam adsit oportet primo debitum certum simul ac strictum, desit insuper medium aliud recuperandi illud (86 s.). Sed difficile conferre minorenni debitum strictum; nec facile attingit certitudinem qui operam propriam aestimat, frequens cum sit in hac aestimatione deceptio. At concedamus utrumque Arnulpho; hoc sibi debitum non poterat alio modo redimere? Poterat, dices, patrem rogans, sed ob patris auctoritatem non est ausus rogare. Hoc attamen non erat medium unicum: a patre qui tam abundanter providebat de necessariis et de superfluis, Arnulphus iure sperat aut sperare debet retributionem suae operae condignam, sive cum matrimonio, quod percupit, iniet—in socium utputa cooptatus—, sive cum pater testamentum condet—in ipsum saltem transferens officinam, eius quoque labore celebrem simul ac celebratam.

Se excusat Arnulphus quod fratres reliqui, industria 172
separata, iam sibi consuluerunt ac nuptias contraxerunt. Excusatio liquido nihil valeret ubi fratres, maiores natu, W. I
laborassent quoque cum patre (industria non separata) pari ac ipse tempore parilique industria. Sensus est igitur quod fratres non laboraverunt cum patre tanto tempore. Inde tamen se accusat potius, cum propterea quod,

ceteris a patre recedentibus, ipse patri adhaesit, ceterisque sibi consulentibus, ipse curavit nihil praeter domus paternae utilitatem, condignae mercedis expectatio erat ipsi nutrienda et roboranda.

Verum spes frustratur quoniam pater intestatus moritur et hereditas dividitur inter omnes fratres aequaliter; estne urgendus Arnulphus ut restituat, pariter dividendam, pecuniam clam susceptam atque pretium quod habebant ex officina patris merces subtractae? Ipsi patroni rigidioris sententiae, qui denegant Arnulpho ius strictum ad stipendium, nec ideo compensationem occultam ei concedunt, docent tamen post factum—ob probabilitatem sententiae benignioris—restitutionem non esse urgendam quandiu constet illam pecuniae summam una atque mercium pretium signatum non exsuperare—computatis quoque expensis et necessariis et voluptariis, quibus pater providit—id quod lucratus fuisset cooperator extraneus aequè industrius.

Alii casus.

- 173 *c. II.*—Quiricus pecunia negociatus quam a patre furatus erat lucrum percepit; licitene hoc lucrum retineret?

Sol.—Affirmative, nam quamvis teneatur pecuniam sublatam patri restituere et damnum fortasse allatum compensare (229), Quiricus egit nomine proprio, et illud quodcumque lucrum est fructus industrialis.

- 174 *C. III.*—Quid autem si negociatus fuisset cum pecunia patris, inscio tamen patre?

Sol.—Si nomine patris egit, totum lucrum pertinet ad patrem—detracto pro se stipendio quod extraneus in casu percepisset—; si proprio nomine, dimidiam partem lucri

retinere potest—agitur tunc negotium societatis, ad quod pater pecuniam, filius industriam contulit. Sic Fanfani

C. IV.—Hesychius operarius, ubi tempore Paschali ad 175
confitendum accedit, exponit confessario sibi iugem cum parentibus suis disputationem esse de salario quod in typographia civitatis laborans lucratur. Parentes enim eum urgent ut mercedem hanc integram ipsis tribuat; ille vero non nisi dimidiam partem tribuere vult, ut aliquid sibi seponat in tempus quo matrimonium initurus est. Confessarius paenitentem nihil interrogatum iubet parentibus tribuere quicquid lucrari soleat.

Sol.—Ad hunc casum Genicot: Hesychius interrogandus erat num salarium quod lucratur maius sit quam expensae quas parentes in eo alendo faciunt. Si has superat, ille, salva iustitia, potest servare differentiam, etiam parentibus invitis. Nondum autem constat an salvetur pietas; nam si parentes, fratres vel sorores urgentem patiantur necessitatem, tenetur saltem aliquod subsidium eis tribuere; quamquam aliquam partem minime servare prohibeatur pro matrimonio contrahendo, nam pietas non cogit ut sibimet ipsi in re moraliter necessaria non provideat².

C. V.—Ferdinandus filiusfamilias, dyscolus et bibulus, 176
magnas fecit expensas In ludo et potationibus. Virginia, eius soror, puella modesta, laboriosa et parentibus obsequentissima, adstat sedulo in officina, ad negotia commercii peragenda. Lugens vero cernit rem familiarem deperire, nedum proficere. Hinc ad sibi providendum et aliquatenus pro futuro compensandum, paulatim pecuniam, insciis parentibus, seponit. Iam penes duo franco-

¹ Fanfani, l. c., n. 182.

² Genicot, *Casus Conse.*, 270, ed. 1928.

rum millia tenet. Sed anxia confessariuni interrogat, ut sciat an tuta conscientia esse possit.

Sol.— Nulla iniuria, imprimis, Virginia afficitur a fratre Ferdinando, quippe qui dilapidat bona parentum, non eius bona; parentes videant num expensas filii tolerare velint.

Quod ad parentes attinet, Bucceroniⁱ adversatur Gury. Hic damnat Virginiam de mortali, quoniam furtum in materia gravi commisit erga parentes rationabiliter invitos; nec dicatur, adicit, filios familias, iuxta plures Auctores, mercedem in casi simili mereri debitam famulis extraneis, nam haec doctrina est plena periculis nec facile in praxi toleranda.

Ad quae ille: Praecise in casu nostro negari potest parentes esse reitionabiliter invitos, nam si in simili casu maritus non censetur, ab ipso quoque Gury, rationabiliter invitus quoad furta uxoris, cur parentes in casu quoad furta filiae? Sed et doctrinam quam Auctorum plurium nunc Gury damnat, ipse pridem dixerat sat probabilem. Non ergo imponat confessarius obligationem certam quae obiective manet incerta. Potius quam liceitatis, quaestio prudentiae agitur, ob halucinationis periculum.

XI. UXORUM DOMINIUM

Doctrina.

- 17' Iure naturae uterque coniux manet domini capax. Uxor insuper habet strictum ius ad eam sustentationem quae feminis eiusdem condicionis conceditur, ipsamet quamvis bonorum materialium nihil attulerit. Si id adi

ⁱ Bucceroni, *Casus Conse.*, I, 54/3, ed. 1913.

quod habet ius fortasse agat inconsulto vel invito marito, non peccat contra iustitiam; etsi in praxi nullatenus expediat ut invito marito de bonis communibus disponat.

Iure romano bona distinguebantur: *a)* dotalia, quae uxor, aliusve pro ea, marito attulit (praesentia vel futura) ad ferenda matrimonii onera; *b)* paraphernalia, quae uxor aut allata servavit sibi aut durante matrimonio labore proprio, saltem extraordinario, sibi comparavit—cura familiae nullatenus neglecta—, aut obvenerunt ipsi ex donis, hereditate, legato, negotiatione proprio nomine exercita; denique quae, parcius vivens, sibi seponit ex iis quae a viro sunt ipsi debita; *et c)* communia, quae pacto aut lege sunt utriusque coniugis. In bona dotalia vir habebat administrationem et usumfructum; uxor vero, dominium directum seu proprietatem. Nisi ageretur dos aestimata, in bonis fungibilibus vel pecunia, quoniam tunc vir habebat dominium plenum, uxor autem ius ad devolutionem valoris sive pretii ex bonis viri quando societas coniugalis dissolvebatur. In bona paraphernalia uxor habebat dominium plenum et administrationem; indigebat tamen viri consensu pro contractibus circa illa. In bona communia vir habebat usumfructum et administrationem; proprietas autem erat utriusque ita ut dissoluta societate tum bona tum onera dividerentur inter utrumque coniugem aequaliter.

Iure italico: *a)* in bona dotalia vir habet administrationem et usumfructum; immo et dominium, si dos constituta sit in pecunia vel mobilibus pretio aestimatis, nec aliud cautum fuerit—pretium autem uxori debet—; *b)* in bona paraphernalia dominium, administratio et ususfructus remanent uxori. Si de mandato, expresso aut tacito, uxoris haec bona maritus administrat, is tenetur ad omnia ad quae ordinarius procurator, et cessante mandato, debet restituere fructus exstantes. Si maritus

sibi usurparet administrationem, contradicente uxore, tunc teneretur restituere fructus non modo exstantes verum etiam consumptos; c) in bona communia, vir habet administrationem, dominium autem seu condominium uterque coniux.

Casus primus.

179 Gervasius, rem familiarem male gerens, mutuum petiit pecuniam a Parillo, ut commercium quod ipse exercebat continuare valeret. Qua de causa instanter Lu-
elam, uxorem suam, expetiit ut debitum secum subscriberet. Renuit Lucia, ne res male succedat pertimens; sed viri precibus pressa, demum debitum absque ulla sollemnitate subscribit.

Mortuo autem paulo post Gervasio, aere alieno adhuc gravato, Parilius solutionem plenam debiti a Lucia ex-
poposcit ex eiusdem bonis dotalibus. Hinc tota Luciae familia gravissimae exponeretur miseriae, cum agatur de ingenti pecuniae summa: qua de re Lucia consuluit Ivonem advocatum, qui statim declarat eam ad nihil teneri, iuxta patriae leges, cum eius privata subscriptio a lege non admittatur.

Lucia, scrupulis exagitata, a suo confessario petit, an tuta conscientia consilio advocati Ivonis stare possit.

Solutio

180 Obligatio quam una cum marito Lucia sibi assumpsit non potest impugnari ex capite vis—quae nulla constat—nec ex capite metus—qui esset, ad summum, reverentialis, de quo tamen Cod. civ. ital.¹: «Il solo timore reveren-

¹ Quia casus erat solvendus prae anno 1942. affero Codicem tunc vigentem; cui concordat hodiernus taa. 1437. 1428. 187>. ubi expresse dicitur (a. 190) contractus rescindibilis.

ziale, senza che sia intervenuta violenza, non basta per annullare il contratto» (art. 1114).

Neque ex parte ignorantiae vel erroris, cum ipsa Lucia, ob timorem ne res male succederet, renuisset pridem subscribere; huncque timorem retinet dum subscribit viri precibus pressa. De cetero ex eodem Codice ital.: «L'errore di fatto non produce la nullità del contratto, se non quando cade sopra la sostanza della cosa che ne forma l'oggetto» (art. 1110).

Difficultas tota in hoc est quod obligavit bona sua dotalia sine sollemnitatibus petitis lege patria. At defuerimtne revera sollemnitates lege italica necessariae? Legimus enim: «La dote può essere alienata o ipotecata, se nel contratto di matrimonio ne è stata permessa l'alienazione o l'ipoteca» (art. 1404). Insuper: «Fuori del caso indicato nel precedente articolo, non si possono durante il matrimonio alienare od obbligare a favore di chicchessia la dote ne le ragioni dotali della moglie, e non si possono neppure ridurre o restringere le ragioni medesime, se non coi consenso del marito e della moglie, e mediante decreto del tribunale che può darne l'autorizzazione nei soli casi di necessità od utilità evidente» (art. 1405). Denique: «E' nulla l'alienazione o l'obbligazione della dote, quantunque vi acconsentano ambedue i coniugi, se non è stata permessa nel contratto del matrimonio, o non si adempiano le condizioni sopra stabilite» (art. 1407).

Si ergo alienatio vel obligatio dotis fuit iam permessa 181
in pactionibus ad matrimonium, privata subscriptio officit nullatenus. Ideoque praepropere Ivo advocatus egit dum *statim* declaravit Luciam ad nihil teneri.

Si autem huiusmodi obligatio non erat in pactionibus matrimonio praeviis permessa, tunc quidem defecerunt sollemnitates patria, seu italica, lege necessariae. Et tunc, quamvis contractus non agnoscat validus in foro

externo, quod advocatum attinet, quaeritur num valeat necne in foro interno sive conscientiae—quod attinet confessarium rogatum a Lucia.

- 182 Porro cum iure naturali nihil desideretur ad validitatem obligationis, quaestio tota est de ambitu legis civilis huiusmodi sollemnitates definientis ut contractui essentielles. Civilis enim legislator potest certo contractus hos informes irritare ita ut, etiam prae iudicis sententia, vim nullam habeant. Non tamen constat legislatorem italum hoc in citatis articulis fecisse; alias nec Gervasius premeret Luciam ad privatam subscriptionem, nec Parilius contentus esset subscriptione coniugum; sed et ipsi legisperiti de intentione legislatoris disputant. Ideo Aertnys-Damen: «Practice pro plerisque regionibus dici posse videtur actum a lege civile irritatum, si iure naturae validus sit, generatim efficaciam sed infirmam habere et retinere, donec sententia iudicis irritus declaratus fuerit; ast post sententiam iudicis in utroque foro irritum esse. Ita hodiedum theologi communiter» \ Et Mare: «Communior et probabilior sententia tenet eos (contractus) non pleno iure ante sententiam iudicis invalidos, sed tantum rescindibiles esse habendos» 2.

Lucia igitur, quae forsitan ob gravissimas miseras familiae consequentibus excusatur (ad tempus saltem) a plena solutione (74), potest uti privilegio legis atque petere a indicé rescissionem vel irritationem suae satisfactionis super bona dotalia et ita sese liberare a Parilli postulatione.

Alii casus.

- 183 C. II.—Valeria petit a confessario num agat contra iustitiam si, inconsulto vel invito marito, quaedam e

1 Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I, 163, ed. 1939.

3 Marc, *Inst. Mor.*, I, 1054, ed. 1927.

communibus bonis sumat pro honesta sui recreatione, pro parvis muneribus et eleemosynis largiendis.

Sol.—Negative, dummodo se contineat intra consuetudinem ceterarum mulierum loci et condicionis suae. «Attamen in praxi non expedit, ut uxor invito marito ita disponat de bonis communibus (aliter res se habet, si uxor disponit de bonis suis peculiaribus) nisi vera necessitate saltem morali flagitante; quia secus magni abusus et plurimae lites inter coniuges facile oriri possunt. Quod quidem praecipue valet, si agitur de eleemosynis et donis; melius est enim abstinere ab istis quam discordiam procurare» *

C. III.—Timens Christeta ne post mortem mariti desint sibi vitae necessaria secundum suam condicionem, cogitat de parte bonorum communium subducenda. Anxia attamen confessarium interrogat num sic agens peccet contra iustitiam. 184

Sol.—Negative, nisi lex satis iamiam providerit. «Necessaria sustentatio pro condicione sua etiam uxori superstiti ex pietate debetur. Quare, ubi coniux superstes inter haeredes legales non numeratur, siquando praevideat se a marito neglectum iri, eamque sustentationem aliunde non habituram, potest, propter mutui adiutorii officium, clam sibi providere pro tempore futuro. Attamen, quantum fieri potest, curare debet ut post mortem suam summa, quae residua erit, ad haeredes mariti redeat» 2.

C. IV.—Habet Paulina parentes in gravi necessitate constitutos; habet et filios e priore matrimonio susceptos graviter indigentes; habet et fratres atque sorores valde 185

1 Prümmer, *Th. Mor.*, II, 16, ed. 1928.

3 Aertnys-Damen, l. c., I, n. 659.

pauperes; eritne ipsi licitum ex bonis communibus eis succurrere, si vir necessaria suppeditare nolit?

Sol.—Certo, quoad parentes et filios ex priori natos matrimonio, si nequeat eis succurrere ex bonis propriis, modo id quod tribuit ipsis non sit multum notabile. Probabiliter quoque quoad fratres et sorores valde pauperes, eisdem condicionibus. «In praxi adhortandae sunt uxores ut maritum prius certiozem reddant de extraordinariis eleemosynis faciendis; quod si fieri nequit, tunc uxores inducendae sunt, ut singulari industria vel labore extraordinario sibi comparent quaedam bona, ex quibus licite eleemosynas dare possunt; vel etiam ex eis quae ipsis a marito conceduntur pro vestitu, oblectationibus, etc., comparcant pecuniam ad has eleemosynas dandas»¹.

186 C. V.—An maritus, communia bona dissipans sed intra legis concessionem, teneatur ad restitutionem erga uxorem?

Sol.—Ad huiusmodi dubium Merkelbach: «Multi affirmant: 1) quia uxor habet condominium (et ideo ius strictum) saltem dimidiae partis; 2) quia concessio legis non est positiva, sed solum negativa, quatenus via legali nihil potest a marito exigi propter malam et prodigam administrationem; 3) quia concessio legis debet esse in commodum, non in detrimentum, familiae. Alii negant tamen, respondententes: a) concessio legis est absoluta, cum dicat maritum habere bonorum administrationem et usumfructum, solumque ponat quasdam parvas restrictiones; b) condominium uxoris a lege expressum consistit in eo tantum quod dissoluta communitate, uxor habet ius ad 1/2 partem bonorum tunc exstantium; pars autem viri in bonis communibus est potior tum ratione bonorum in communi positorum, tum ratione administrationis; c) concessio legis est in commodum familiae,

» Prümmer, l. c.

non tamen ita quod vir non possit disponere de bonis communitatis nisi directe et immediate in utilitatem familiae, sed secundum generales conventiones; alioquin concessio legis esset vana et inanis. Ergo praeter ea quae iure statuta sunt, maritus habet perfectam administrationem, nec de ea tenetur rationem reddere» \

C. VI.— Quid si maritus, inconsulta uxore, alienet bona dotalia aut male impendat horum bonorum fructus? 187

Sol.— «Maritus qui, inconsulta uxore, alienat bona dotalia quoad ipsum capitale, et a fortiori si dissipat illa, peccat contra strictam iustitiam; si vero male impendat fructus illorum bonorum, tunc peccare utique potest contra caritatem seu pietatem uxori et filiis debitam, minime vero peccat contra strictam iustitiam». Sic Fanfani 3.

XII. OCCUPATIO

Doctrina.

Occupatio est apprehensio rei quae nullius est, animo eam faciendi suam. Ideo requiritur: *a)* res nullius; *b)* capax domini privati; *c)* eius apprehensio, physica aut moralis; et *d)* animus, externe manifestatus, eam sibi appropriandi. Cum naturali iure res vere nullius sit primi capientis, occupatio, nisi lex positiva obstet, est modus legitimus dominium acquirendi. Obstant autem moderni Codices, ut plurimum, quoad res immobiles, v. gr. agrum. 188

Acquiri ergo occupatione possunt res quae nullius sunt neque a privato dominio exemptae. Potius ergo

1 Merkelbach, *Th. Mor.*, II, 182, nota, ed. 3.

1 Fanfani, *Th. Mor.*, II, 185.

quam distinguere cum Mare 1 occupationem triplicem: bellicam, animalium, rerum inventarum—quod bellica occupatio non sit necessario rerum nullius—, distingua-
mus cum Aertnys-Damen 2 occupationem duplicem, aliam animalium, seu venationem—sub qua vel piscatio—et aliam rerum inanimatarum, seu inventionem.

189 Animalium quaedam sunt fera, quae naturali libertate fruuntur, vel efferata, quae naturalem libertatem prorsus recuperarunt; quaedam sunt mansuefacta seu circumcurata, quae hominum arte vel industria privantur innata libertate sic ut domum redire soleant quoties exeunt; quaedam, denique, mansueta seu domestica, quae propria indole societati hominum assuefacta usibus domesticis inserviunt.

Et fera quidem nullius sunt; occupantur autem cum sic hominis dominio subiciuntur ut hoc evadere moraliter non valeant. Efferata quoque sunt nullius; at dicuntur libertatem recuperasse prorsus si post evasionem aut domino spes probabilis ipsa recuperandi est nulla, aut dominus ipsa recuperare non prosequitur neque prosequi intendit—sibiipsis derelinquens ea—. Mansuefacta non sunt nullius, nisi quando custodiam evaserunt et revertendi consuetudinem amiserunt—quandonam custodiam dicantur evasisse definitur communiter in Codice civili—. Domestica numquam fiunt nullius, nisi dominus ipsa abiecerit veluti derelicta.

190 In rebus inventis numerantur thesaurus, fodinae, bona recens amissa (quamvis non sint nullius), bona derelicta et bona vacantia. Sed de thesauro dicemus speciatim (199 ss.); quoad fodinas standum est legibus civilibus—ob defectum perspicui iuris naturalis—; bona

» Marc, *Inst. Mor.*, I. 878. ed. 1927.

• Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I, 665, ed. 1939.

vacantia, denique—relicta scilicet ab intestato cui aut nullus succedit, ad leges patriae, heres aut nullus vult succedere—, si quidem iure naturali essent nullius, ex lege civili obveniunt fisco.

Casus primus.

Dum urbs A. aereorum hostili incursione premebatur, 191
Georgius civis pauperrimus, aufugiens, palatium cuiusdam divitis, flammis in immensum crescentibus, incendi videt; dominos quoque adspicit ac domesticos, de extinctione incendii omnino desperantes, aufugere.

Tunc Georgius domum latenter ingressus est, ibique quasdam pretiosas res, necnon picturam magni pretii abstulit, evasitque protinus de felici sua sorte laetus. Praedictas autem res, absque ullo scrupulo, retinet, utpote fructum suae extraordinariae et audacis industriae, qua, in illo discrimine, res revera nullius effectas (ita Georgius), occupavit. A matre tamen increpatus, ad confessarium pergit, an sibi liceret praefatas res retinere expetens.

Quaeritur:

1) Cuinam cedant res mox periturae ab extremo periculo ereptae.

2) Quid ad casum.

Solutio

Ad Ium.— Quaestioni «An bona naufragantium quae 192
in littore vel intra mare reperiuntur habeantur pro derelictis?» iam Salmanticenses responsum dederunt negativum, «quia dominus non sponte et voluntarie ea a se proicit, sed coactus a tempestate, et vellet, quantum fieri potest, apud se retinere; et hoc licet absque intentione

ea recuperandi a naufrago proiciantur, quia quod non habeat intentionem recuperandi non ex voluntate, sed ex impotentia apprehensa provenit. Tunc enim pro derelictis habentur bona, quando dominus illa a se abicit quia nihili ducit inter sua bona computare; quod non accidit in praesenti» \ Et subiunxerunt: «Eadem quae diximus de bonis naufragantium intellegenda sunt de bonis quae incendio, aliove periculo proiciuntur; quod habenda non sunt pro derelictis, sed suo domino reservanda...; deducto pretio tui—salvatoris, nempe—periculi, industriae et laboris. Nec in hac parte (animadvertunt) laxandae sunt habenae, quia esset afflictionem addere afflictis et affectis maximo damno modicum eripere quod illis adversa fortuna induisit» 1

193 *Ad Illum.*— Igitur, nisi palatii dominos, desperantes de extinctione incendii et aufugientes, ponamus cedere res periclitantes ei qui periculo ipsasmet salvandi se committat, omnia quae Georgius ab igne vindicavit oportet reddat palatii dominis. Porro in adiunctis dominos non cecisse res periclitantes salvatori inde facile liquet quod Georgius domum *latenter* est ingressus.

Sed tenenturne domini palatii, eis cum rerum restitutio fiet, remunerationem sive praemium aliquod Georgio nostro conferre? Pro periculo cui se commisit aut pro liberatione rerum illarum ab incendio, negative, quia non egit in utilitatem dominorum, sed in commodum proprium.

Alii casus.

194 *C. II.*— Apium examen fugiens, cuius est domini?
Sol.— Iure naturae atque civili manet sub potestate

1 Salmanticenses *MOR.*, tr. 12, de iustitia et iure, c. 2. n. 78.

* *Id.*, *ib.*, n. 79.

hucusque domini quandiu hic non desinit illas sequi vel repetere; si cessaverit, est primi occupantis; hoc deficiente, eius qui proprietatem vel usum habet loci in quo examen resedit. Ita lex belgica. Domino non prosequente, iure germanico censetur res nullius et fiunt primi occupantis; e contra iure gallico pertinet ad dominum fundi; iure helvetico manet domino, nisi coniunxerit se alterius alveario; iure italico et hispanico, nisi intra duos dies dominus illud fuerit prosecutus, fit possessoris fundi capientis et retinentis. Sic Merkelbach l.

C. III.—Aquilinus columbarium alit; graviter ideo 195
conqueritur quod quasdam columbas nonnulli sibi appropriant quod in eorum sese columbarium recipiunt, quasdam nonnulli occidunt quod ipsorum agris nocent.

Sol.—Respondet Lârraga: «Columbae solent gravia damna causare agris tempore sementis atque messium; ideo possunt occidi ab agri damnificat! domino. Si artificio alliciuntur in aliud columbarium, pergunt esse pristini domini; at si sponte in columbarium alienum se recipiunt ibique manent, transeunt in huius domini proprietatem. Sic codices Hisp., Arg., Coi., Chii., Aequat., Nicar., S. Salvat., Venet. et Philipp.» 1

C. IV.—Cauponam verrens, cui magnus hospitem, 196
peregrinorum quoque, advenerat concursus, Obdulia, famula, plures aureos invenit papyro involutos. Horum cum non repererit dominum, interrogavit tres sacerdotes quid sit ipsi agendum. Prior dixit pecuniam dandam esse domino cauponae; alter, pauperibus erogandam; tertius, posse Obduliam retinere sibi.

Sol.—Obdulia non tenetur aureos illos tradere domino cauponae, a quo certo pecunia non fuit amissa: agitur

1 Merkelbach, *Th. Mor.*, II. 206, ed. 3.

2 Larraga-Lumbreras, *Prontuario de Tool. Mor.*, I, 632.

enim pecunia amissa, non proprie thesaurus (cf. 199). Laudabiliter quidem illos Obdulia impenderet in usus pios; at obligatio demonstrari nequit, eo vel maxime quod civiles leges altum de re silentium teneant. Ergo si illorum dominus inveniri nequeat, eos potest Obdulia sibi retinere; excepto casu quo ex civili lege tradendi sint, v. gr., praefecto municipii ut inventionem publicare faciat, quoniam tunc legi standum est nec res amissae fiunt inventoris ante finitum tempus statutum ut dominus compareat.

197 C. V.—Cum torquem auream secus viam invenisset Gabinius, illam emendam statim obtulit probo argentario, qui, ea diligenter observata, certo cognovit esse Leontii amici sui; nec minime dubitavit quin furto ad alienas manus devenisset. Hinc censuit se rem gratam Leontio facturum si data dimidia parte pretii torquem redimeret eidem restituendam, ratus illum tantundem esse sibi libenter compensaturum. At contra accidit: nam Leontius, recepta ex argentarii manibus torque, negavit se quidpiam soluturum pro re quae iam esset sua et a se nullo peculiari affectu dilecta.

Sol.—«Gabinius restituere tenetur torquem auream inventam; cum enim formam a lege praescriptam non servaverit ad rei inventae dominum inquirendum, sed illam emendam statim obtulerit argentario, nullo modo potest eam sibi adscribere, quia lex rei inventae dominium non transfert nisi sub praedicta condicione; quin immo inventor dolosus rei alienae detentor reputatur. Argentarius praevidens rem fuisse Leontio prorsus perituram, ius acquisivit obtinendi compensationem pretii, quo torquem redemerat Leontio reddendam; quia cum rem

i «Si nulla est omnino spes quod dominus inveniri possit, cessat quaevis obligatio inquirendi: nullus enim tenetur ad faciendam rem Inutilem» (Fanfani, *Th. Mor.*, II, 198).

domini utiliter gesserit, aequum non est ut damnum ex beneficio patiatur». Ita cl. Palazzini¹.

C. VI.—Titius syngrapham, qua ius dabatur ad praemium in sortitione loteriae, possidebat. Cum vero existimasset sortem ipsi non obtigisse, syngrapham scidit, et fragmenta proiecit in via publica. Caius, curiositate motus, fragmenta collegit eaque inter se aptavit; et non sine admiratione vidit huic syngraphae praemium deberi. Ergo administratori loteriae syngrapham ostendit et praemium retulit. Dubius tamen nunc est an possit necne acceptam pecuniam sibi servare. 198

Sol.—«Praemium debetur Titio, domino syngraphae, non Caio. Ratio est, quia Caius non potuit dominium syngraphae acquirere nisi haec veluti res derelicta haberetur, quatenus Titius voluit se tali dominio spoliare dum syngrapham scidit et fragmenta proiecit. Atqui in casu Titius egit errore substantiali. Ergo consensus ipsius in abdicatione domini fuit nullus, non secus ac in contractibus in quibus intercedat error substantialis; sicut esset nullus si volens quispiam proicere monetam cupream, auream proiecisset. Ergo dominium syngraphae retinet Titius. Ergo ipsi, etsi non reclamanti, debetur praemium». Ita Ferreres².

XIII. THESAURUS

Doctrina.

Thesaurus venit: res mobilis pretiosa, olim abdita (abscondita vel infossa), quam nemo probare potest esse suam. 199

¹ Palazzini-De Ionio, *Casus Conse.*, I, 120.

² Ferreres, *Casus Conse.*, I, 679, cd. 1926.

Dicitur <olim abdita>; si recens etenim, exstaret vel dominus vel heres¹; «abdita (abscondita vel infossa)», sive per homines sive per alias, naturales, causas, puta per terremotum, vulcanis eruptionem; sit abdita in terra, aut in parietibus, aut in arca, aut (probabiliter) in scriniis²; «quam nemo...», quoniam si notus fuerit quis rem absconderit, non agitur thesaurus; quin tamen referat an notitia habeatur vel haberi possit de maioribus puta pecuniam abscondentibus: toto enim temporis spatio quo pecunia iacuit abscondita mansit sine domino—eam cum nemo, ignorans, occuparet—. Non tamen addimus in definitione «quae casu invenitur», nam haec verba non sunt de essentia thesauri; quantumvis lex civilis, ut videbimus, fortuito invento faveat.

Et thesaurus quidem *inventus* intellegitur, si ipsum homo visibilem efficiat; nam si res pretiosa visibilis reddatur, v. gr., tempestate, erit quidem primi occupantis, verum non est thesaurus³. Rem visibilem reddens, sive per se sive per operarios ad ipsam detegendam conductos, hic est inventor—non ergo qui iam patefactam primus videt vel primus apprehendit, utputa manu—; si tamen inventor iure, quod ei dabimus, non utatur, thesaurus ab alio apprehendi potest, cum pergat nullius esse⁴.

200 Iure quidem naturae thesaurus, utpote res nullius, cedit primo occupanti, id est inventori; ergo si quis con-

¹ «Itaque si recens depositata est ita ut dominum habere probabiliter appareat, hic quaerendus est, ut infra de rebus amissis dicetur. V. gr. si in dividenda patru hereditate tibi contigit bibliotheca, et casu librum veterem evolvens reperis pecuniam, haec (nisi aliud manifeste appareat) censetur pars hereditatis, quae propterea, utpote nondum divisa, inter coheredes dividenda est» (Pisceta-Gennaro, *Th. Mor.*, III. 128. ed. 2).

« Id., ib.

² Merkelbach, *Th. Mor.*, II, 215, ed. 3.

* Noldin, *Th. Mor.*, II, 389, ed. 1932.

ducat operarium ad effodiendum puteum et operarius effodiens puteum thesaurum detegat, hic, iure naturae, est operarii—is etenim non fuit conductus ad thesaurum detegendum, quem propterea conductor non detegit per illum.

Hodiernae leges civiles, uti plurimum, *a)* totum thesaurum adiudicant inventori ipsum detegenti in fundo proprio; *b)* thesauri detecti in fundo alieno partem dimidiam inventori fortuito atque dimidiam domino fundi; *c)* totum autem domino fundi in quo quis, in scio domino, thesaurum detegit ex industria—si domino sciente et consentiente, standum est contractui inter dominum et inventorem inito.

Et lex quidem civilis adiudicans domino fundi dimidium thesauri habetur communius uti in conscientia obligans, igitur prae sententia; contra, quae adiudicat domino totum thesaurum inventum ex industria, communius dicitur lex poenalis, non obligans—ultra dimidium—nisi post sententiam iudicis. Communius quoque habetur lex pure poenalis quae adiudicat fisco aliquid thesauri inventi in fundo sub privato dominio constituto.

In modernis Statibus quidam thesauri cedunt, ex lege positiva, ipsi Statui exclusive; sic Ius anglicum omnes adiudicat thesauros regi seu reipublicae; Ius italicum Statui vindicat thesauros habentes valorem artisticum, historicum, archeologicum, ethnographicum. At leges huiusmodi esse mere poenales communius creditur.

Casus primus.

Agabus, opifex structor, in aliqua antiqua domo laborans, quae pluries empta ac vendita fuerat ab eius do-

201

1 Dominus est qui habet dominium radicale; non autem qui dominium dumtaxat utile—nisi, ad leges ital. et hlsp., agatur de bono emphyteutico.

minis, necnon a pluribus inhabitata fuerat, ingentem invenit aureae pecuniae summam saeculi XVI intra duos vicinos muros absconditam, qui unus apparebat murus.

Dimidiam huiusmodi pecuniae partem abscondit et sibi exclusive retinet; alteram dimidiam domus domino cedit, cum quo rursus summam partitur. Uterque de alto silentio servando paciscuntur, ac unusquisque pecuniae partem sibi assumit, postquam modicam pecuniam in eleemosynam erogaverant.

Quid dicendum?

Solutio

802 Agabus, ex dictis, thesaurum invenit in fundo alieno et invenit casu, non industria. Nisi Status sibi vindicet monopolium illius pecuniae aureae, ob valorem puta numismaticum, Agabus habet ius ad dimidiam partem; habet etiam officium tradendi domino fundi partem aliam dimidiam. Egit ergo contra iustitiam et ad restitutionem, communius, obligatur dum sibi sumit quartam partem, quae domino debetur.

Quid si Status monopolium vindicet? Res agitur de obligatione talis legis. Si lex est mere poenalis, possunt Agabus atque dominus fundi servare altum silentium, ne cogantur thesaurum in Statum transferre. Difficultas practica erit, num adsit probabilitas quod res deveniat in notitiam Status, cum agatur pecuniae saec. XVI ingens summa, a quo inde puniantur; nam tunc possent teneri caritate ad hanc poenam vitandam. Si vero lex obligat ante sententiam iudicis, tunc non potuerunt pacisci de huiusmodi silentio et tenentur de invento thesauro Statum reddere certiore.

Eleemosyna erogata nihil omnino efficit; etsi enim posset in quibusdam adiunctis ipsamet tamquam pars computari quae debetur fisco—cui etiam est cura de

pauperibus—, hic agitur modica eleemosyna, quae illam certo partem non adaequat.

Alii casus.

C. II.— Inscio domino fundi, Audomarus effodit agrum 203
alienum quaerens quem suspicatus est thesaurum ibi absconditum. Thesauro invento conscientia anxiatum quod lex civilis totum thesaurum vindicat domino fundi.

Sol.— Sic equidem lex gallica et belgica, italica, hispanica, neerlandica. Haec tamen dispositio est poena inflicta in delictum effosionis industriosaes absque consensu domini; et ideo non obligat in conscientia nisi post sententiam iudicis. Ita Merkelbach¹. Prae iudicis sententia, Audomarus potest sibi dimidium retinere.

C. III.— Sciens thesaurum latere in agro Cyri, Orestes 204
agrum emit pretio ad communem aestimationem iusto. Inde thesaurum fodit et inventum in agro proprio sibi servat. Estne Orestes carpendus?

Sol.— In casu, negative; ad communem enim aestimationem sumitur rerum pretium, non ad ipsarum utilitatem vel praestantiam intrinsecam; neque thesaurus auget pretium fundi, cum non sit fructus eius nec de eiusdem substantia; neque ante inventionem vel apprehensionem pertinet ad dominum, sed est res nullius. Carpendus esset, contra, si thesaurum inventum et apprehensum in agro alieno, recondat iterum et postea hunc agrum emens communi pretio, totum thesaurum servaret sibi: nam medietas thesauri inventi et apprehensi pertinet ad dominum fundi in quo fuit repertus. Ita Billuart

¹ Merkelbach, l. c., n. 214.

³ Billuart, *Summa S. Thomae*, tr. de iure, etc., diss. 4, a. 2, § 5.— «Neque dicatur illum, qui scit latere thesaurum in agro, iam invenisse eum, et proinde proprietario agri statim ius ad dimidiam partem the-

205 C. IV.—Blondina, famula, pisces emit. Illos exseriterans invenit in uno veterem aureum, in alio gemmam pretiosam. Potestne totum retinere sibi, aut debet potius partem saltem tradere domino, cuius nomine atque pecunia pisces emit, vel piscatori a quo pisces mercata est?

Sol.—Nihil debet piscatori, qui, cum ignoraret aureum et gemmam in piscibus illis latere, ea non occupavit nec fecit sua. Nihil debet domino suo, nam aureus et gemma in piscibus inclusa non habent rationem thesauri, non fuerunt enim abdita. Totum ergo Blondina sibi retinere potest titulo simplicis inventionis et occupationis rei, quae est nullius. Sic Bucceronil.

206 C. V.—Petronilla eiusque tres sorores vestimenta materterae defunctae, perinde ac reliquam hereditatem, inter se partitae sunt. Ubi autem vestem sibi tributam induit, Petronilla advertit in ea insutum esse fasciculum obligationum 5.000 fr. valorem excedentium. Cum igitur interrogasset confessarium num hanc summam sibi servare posset, '«Omnino, filia mea, respondit ille; thesaurus est eius qui eum detexit».

Sol.—«Perperam casum solvit confessarius. Fasciculus enim ille nequaquam dicendus est thesaurus in eo sensu speciali quem definit C. C. (belg.) a. 716; huic enim essenziale est ut nulla ratione agnosci possit illius rei absconditae dominus, dum in casu manifestum est obligationes illas pertinuisse ad materteram ac proinde aequaliter dividendas esse inter eius heredes». Ita Genicot 2.

sauri enasci. Ad quod respondetur: Thesaurus est per se nullius et sub dominium cadit non per simplicem inventionem, sed per occupationem. Atqui in casu nostro thesaurus nondum fuit occupatus. Ergo remansit nullius et proinde non auxit pretium agri venditi» (Prümmer, *Th. Mor.*, II, 46. ed. 1928).

i Bucceroni, *Casus Conse.*, I. 68/6. ed. 1913.

» Genicot, *Casus Conse.*, 277, ed. 1928.

C. VI.—Hercules fundum arenae extrahendae causa 207
 ab Arduino conduxit cum obligatione tradendi domino
 fundi quaslibet res alicuius pretii, quae in effodiendo
 forte invenirentur. Reipsa quaedam res pretiosae ita
 detectae sunt. Hercules tamen eas minime Arduino tra-
 didit, sed, eo prorsus inscio, Conrado vendidit, qui bona
 fide res ipsas apud se retinet. Post paucos menses, loca-
 tionis contractu soluto, Hercules alio pergit; Arduinus
 autem quid factum fuerit rescians, res ab Hercule in-
 ventas a Conrado repetit.

Sol.— «Cum praevium intercesserit pactum inter Her-
 culem et Arduinum de obligatione tradendi Arduino do-
 mino fundi quaslibet res alicuius pretii, quae in ef-
 fodiendo forte invenirentur, videri potest quod rerum,
 quas Hercules detexit, dominium acquisierit Arduinus, et
 proinde ipsi competat ius apud quemcumque detentorem,
 non excepto Conrado, easdem vindicandi, iuxta effatum:
 res clamat ad dominum. Verum id absolute affirmare
 non possumus.

Attendendum est enim praescriptum a. 1153 (c. ita!),
 qui disponit: «Colui al quale sono alienati beni mobili
 da parte di chi non è proprietario, ne acquista la pro-
 prietà mediante il possesso, purchè sia in buona fede al
 momento della consegna e sussista un titolo idoneo al
 trasferimento della proprietà». Sicut verificatur in casu
 Conradi, qui bona fide res ab Hercule emptas apud se
 retinet, fides adest enim bona et titulus aptus ad pro-
 prietatem transferendam, nempe emptio». Sic Beschin l.

1 Apud Palazzini-De Iorio, *Casus Conse.*, I, 119.

XIV. ACCESSIO

Doctrina.

208 Accessio est ius quo dominus rei principalis fit dominus accessoriae, ideoque modus acquirendi dominium rei accessoriae ob huius unionem ad principalem cuius summus domini.

Distinguitur duplex: *a*) naturalis, si res accessoria principali unitur sola natura, absque ullo (vel fere ullo) labore humano; et *b*) industrialis, si res accessoria principali unitur hominis industria—sola aut cum naturae cooperatione \

Accessio naturalis fit tum per nativitatem et fructificationem, quarum illa locum habet in animalibus, haec in agrorum arborumque fructibus, tum etiam per alluvionem, cum vi motive aquarum aliquod incrementum paulatim¹ cuiusdam praedio accedit.

209 Accessio industrialis potest contingere in rebus mobilibus et immobilibus. In immobilibus fit tum per aedificationem, cum quis aedificat aut in fundo proprio ex materiis alienis aut in fundo alieno ex materiis propriis, tum per plantationem et sationem, cum quis tradit aut fundo proprio plantas vel semina aliena, aut fundo alieno plantas vel semina propria. In mobilibus fit primo quidem per adiunctionem, cum res diversorum dominorum sic iunguntur ut constituent aliquod totum nec separari valeant absque damno totius notabili, v. gr., lapis pretiosus annulo aureo insertus, imago artistica depicta

¹ Quidam, si fit hominis industria cum naturae cooperatione, accessionem nominant mixtam; sed quoniam hanc agnoscunt maxime in plantatione atque satione, quae subiciuntur eisdem regulis ac aedificatio—quae ab omnibus dicitur industrialis accessio—, ideo superflua, practice, tertia species.

¹ Si repente potius, habemus *avulsionem*.

in tela aliena¹; ulterius, per specificationem, cum ex aliena nempe materia fit res nova, v. gr., cum ex uvis alienis vinum, ex aliena tela vestis; denique, per commixtionem seu confusionem, quando res—ibi solidae, hic autem liquidae—ad diversos dominos pertinentes sic invicem uniuntur ut separari nequeant, v. gr., triticus cum tritico, vinum cum vino.

Et quoad accessionem quidem naturalem, si per nati- 210
vitatem vel fructificationem, regula haec est «partus sequitur ventrem» seu fetus pertinet ad dominum feminae, licet conceptus ex alieno mare; pariter fructus naturales agri pertinent ad dominum agri, fructusque naturales arborum ad arborum dominum; si vero per alluvionem, quidquid praedio adicitur pertinet ad dominum praedii².

Circa accessionem industrialem in rebus immobilibus, regula generalis est: totum est domini fundi; ex regulis tamen particularibus: a) qui aedificavit, plantavit, sevit in fundo proprio ex alienis materiis, plantis vel seminibus, si id fecit bona fide, solvet pretium materiae, plantarum, seminum; si vero mala fide atque inscio materiae domino, solvet pretium materiae, planta-

¹ Imago expressa in tela aliena ponitur a quibusdam exemplum specificationis; adiunctionis, ab aliis.

* Si flumen mutaret alveum, alveum derelictum nonnulli concedunt dominis ripae adiacentis. ad cuiusque ripae mensuram; alii tribuunt, instar compensationis, dominis praediorum a flumine nunc occupatorum, pro rata damni ex novo alveo. Forsitan utrumque stare potest optime, primum dum agitur alluvio; alterum dum avulsio agitur; nam quod per avulsionem praedio alieno adiungitur remanet penes pristinum dominum avulsae partis, hanc si (ex codicibus modernis) ipse repetit intra tempus utile.

Insulae efformatae in parvis fluviis, accumulatione relictis, acquiruntur dominis ripae vicinioris; si in medio positae, dividendae sunt inter dominos utriusque ripae, ad fluminis lineam mediam. Quae autem efformantur in fluminibus maioribus seu navigabilibus pertinent, secundum plures Codices, ad Statum; item quae efformantur in mari adiacenti ripae hispanicae, iuxta hispanum codicem.

rum, seminum, et compensabit damna; *b*) qui aedificavit, plantavit, sevit in fundo alieno ex materiis, plantis, seminibusve propriis, si quidem bona fide, dominus fundi poterit totum retinere, facta compensatione; si vero mala fide et inscio fundi domino, dominus fundi potest ab illo exigere ut fundus reddat, eius expensis, ad statum pristinum—quod si dominus fundi retinere velit aedificium, plantas vel semina, ad quosdam (non ad omnes) Codices, compensationem debet aedificanti, plantanti vel satori.

- 211 Circa accessionem industrialem in rebus mobilibus, generalis quoque regula est ut, posita bona fide, totum quod exurgit ex adiunctione sit domini rei principalis seu maioris valoris; quod resultat autem ex specificatione sit domini materiae, hanc nisi opus artis longe pretio exsuperet; quod resultat, denique, ex commixtione vel confusione—nisi vendatur et pretium dividatur—, sit domini rei principalis seu potioris; facta semper indemnizatione alteri parti. Si quis autem egerit mala fide, hic potest, ad quosdam e modernis Codicibus, non modo privari parte sua verum et cogi ad damna reparanda quae passus est dominus alterius partis.

Attamen, quoniam circa materiam accessionis vigent in singulis nationibus leges particulares, quae determinant indeterminata naturali iure, quaeque, nisi iniustae demonstrantur, obligant in conscientia, ideo, ubi res ex aequo et bono inter partes componi nequeat, confessarius invitet litigantes ut adeant iudicem.

Casus primus.

- 212 Ianuarius partem fundi, ab Augusto ante possessam, quadam lege civili innixus, sibi in iudicio vindicat atque obtinet, frustra adversario renitente. Post occupationem Ianuarius pulchram aedem, quam sumptibus non parvis

Augustus in eadem fundi parte, quam suam putabat, exstruxerat, sibi retinet, solutis tantum nummis qui auctum fundi pretium exaequant, non autem impensis certe amplioribus quas Augustus egerat.

Paulo post tamen Augustus apud Ianuarius conqueritur quod, in pretio ea quantitate solvendo, lege iniusta usus sit, ab eoque petit ut congruam sibi compensationem exhibeat.

Quaeritur:

1) Quid de legibus italicis in hac re latis iuxta codicem civilem a. 1942.

2) An Ianuarius iure accessionis uti valuerit adversus Augustum.

Solutio

Ad Ium.— Hae leges habentur in sectione II capitis III 213 libri III: «Dell'accessione, della specificazione, dell'unione e della commistione» (art. 934-947).

Quod ad casum attinet: «Qualunque piantagione, costruzione od opera esistente sopra o sotto il suolo appartiene al proprietario di questo...» (a. 934); «Quando le piantagioni, costruzioni od opere sono state fatte da un terzo con suoi materiali, il proprietario del fondo ha diritto di ritenerle o di obbligare colui che le ha fatte a levarle. Se il proprietario preferisce di ritenerle, deve pagare a sua scelta il valore dei materiali e il prezzo della mano d'opera oppure l'aumento di valore recato al fondo. Se il proprietario del fondo domanda che siano tolte, esse devono togliersi a spese di colui che le ha fatte. Questi può inoltre essere condannato al risarcimento dei danni. Il proprietario non può obbligare il terzo a togliere le piantagioni, costruzioni od opere, quando sono state fatte a sua scienza e senza opposizione o quando sono state fatte dal terzo in buona fede» (a. 936).

214 Quaestio quae theologi pulsat animum haec est: an lex huiusmodi iusta sit dum relinquit optioni- seu electioni domini fundi duplicem mensuram compensationis faciendae aedificatori bonae fidei, pretium nempe pecuniae et operis, atque valorem quo inde fundus adauctus est. Quoniam fieri optime potest quod *mille* sint expensa et quod valor fundi auctus sit dumtaxat *septingentis*; sicut, e contra, quod expensa sint *septingenta* et valor fundi auctus sit usque *mille*. Verum haec optio non permittitur absque ratione. «Ratio vero cur septingenta solum refundere debeat in priori hypothesisi est quia solum septingentis evasit ditior; in posteriore est quia, quamquam mille lucratus est, septingentis solummodo *ex re aliena* evasit ditior; alia tercenta debentur non rei alienae (quae non potest gignere effectum maiorem ipsa), sed bonae fortunae aliisve adiunctis»¹.

215 *Ad Illum.*—Negative. Nam priusquam Ianuarius illam partem fundi, lege civili (quam iustam praesumimus) innixus, sibi in iudicio vindicaret et obtineret, ipse non erat dominus illius partis; ad hoc autem quod aedificium per accessionem pertineat ad dominum fundi, opus est ut hic proprietatem habeat fundi iam dum aedificium excitatur in fundo; porro dum aedificium ab Augusto excitatum fuit, fundus non pertinebat ad Ianuarium sed ad Augustum².

Non ergo ad art. 936 legis italicae sed potius ad art. 1150 lis est componenda. Ad hunc etenim locum: «Il possessore, anche se di mala fede..., ha anche diritto a indennità per i miglioramenti recati alla cosa, purchè sussistano al tempo della restituzione. L'indennità si deve corrispondere nella misura dell'aumento di valore conseguito dalla cosa per effetto dei miglioramenti, se il

¹ Piscetta-Gennaro, *Th. Mor.*, III. 144, ed. 2.

² lia Ferrkpes, *Casus Conse.*, I, 702, ed. 1926.

possessore è di buona fede; se il possessore è di mala fede, nella minor somma tra l'importo della spesa e l'aumento di valore... Per le addizioni fatte dal possessore sulla cosa si applica il disposto del art. 936. Tuttavia, se le addizioni costituiscono miglioramento e il possessore è di buona fede, è dovuta un'indennità nella misura dell'aumento di valore conseguito dalla cosa».

Etsi aliud igitur caput compensationis sit, lanuarius 216 non tenetur ex iustitia ad aliquid ulterius dandum Augusta. Quoniam si iure naturali nemo debet ex alieno ditescere, de facto lanuarius non ditatur nisi pro quanto auctus est valor fundi: hoc autem pretium solvit. Lege quoque italica Augustus, possessor bonae fidei, non habet ius nisi ad pretium sic adaucti valoris; si autem foret possessor malae fidei, tunc esset lanuario concessa optio ut solvat pretium minimum—sit hoc pretium valoris aucti, aut pretium expensarum—; porro, etsi pretium expensarum maius fuerit, Augusto teste, pretium valoris aucti est minus, Augusto consentiente. Nec lex est iniqua (214).

Alii casus.

C. II.— Arbor exstat in fundo Andreae consita, sed ramos in vineam Petri protendens, in quam plures fructus delcit. Hos Petrus, invito Andrea, accessionis titulo sibi competere contendit, nisi Andreas arborem exstirpare velit. 217

Sol.— «Arboris fructus Petrus acquirit ex lege positiva nisi aliud ferat legitima locorum consuetudo (a. 896); potest autem ipse per se recidere radices quas arbor in proprium fundum porrexerit; et arboris dominum cogere, iudicis interventu, ad ramos amputandos qui proprio fundo impendunt». Sic B. Lopez *

1 Apud Palazzini-De Iorio, *Casus Conse.*, I, 121.

218 C. III.—Duplex Simeon aedificium construxit, aliud in fundo proprio ex materiis alienis, aliud in fundo alieno ex materiis propriis. Anxius postea confessarium interrogat.

Sol.—«Qui aedificavit in fundo proprio ex materiis alienis, si quidem bona fide egit, solvere tenetur materiae pretium; si vero mala fide atque inscio materiae domino, tenetur hoc ipsum pretium solvere (duplicatum, iuxta codicem peruanum) et damna compensare. Qui autem aedificavit in fundo alieno ex propriis materiis, si egit bona fide, dominus fundi potest aedificium sibi retinere, materiae atque laboris pretium compensans; si mala fide, contra, et fundi domino nescio, ius habet nullum (iuxta cod. hisp., guatem., mexic., peruv. et philippinum) ad compensationem qualemcumque, immo fundi dominus potest exigere ut hic restituatur in statum pristinum, aedificatoris expensis; at si dominus fundi vult sibi retinere aedificium, compensare debet (iuxta cod. colomb., chilen., aequator., nicar. et urug.) valorem materiae, quin (ad cod. argent., bol., costar., peruv. et venet.) etiam laboris». Sic Lârraga x.

219 C. IV.—Diocletius, pictor insignis, pulcherrimam imaginem confinxit in tela Anesii. Uterque exinde proprietatem imaginis sibi vindicat: ille, quod est auctor imaginis; hic, quod est telae dominus.

Sol.—Generatim loquendo, opus ad artificem pertinet, soluto tamen pretio pro materia adhibita. Si tamen artifex operam suam locavit in commodum possessoris materiae, tunc artifex quidem habet ius ad mercedem labori congruentem, sed quidquid suo labore produxit est domini eum locantis. Ita Fanfani¹

¹ Lârraga-Lumbreras, *Prontuario de Teol. Mor.*, I, 639.

² Fanfani, *Th. Mor.*, II, 201.

C. V.—Silverius, vir improbae conscientiae: 1.^o lanam 220
alienam furatus est, qua curavit fieri pannum; 2.^o aliena
frumenta et pecuniam surripuit et ea statim suis mi-
scuit. Num per operam suam specificationis et commix-
tionis factus sit Silverius dominus panni, frumenti et
pecuniae?

Sol.—Ad hunc casum Ferreres: < iure romano,
bol., cost, et ven., Silverius factus est dominus panni
propter specificationem, et frumenti atque pecuniae
propter commixtionem, supposita re furis in maiori quan-
titate, ut verisimile est; sed tenetur ad adaequatam com-
pensationem, seu iniuriae reparationem. 2.^o Ex iure hisp.
et reliq. Cod. civ. Americae latinae: a) dominus lanae
pannum repetere potest, nulla Silverio data compensa-
tione, vel ab eo exigere lanae pretium (duplex ex per.),
et in utroque casu ius habet ad damnorum reparatio-
nem; b) Silverius amittit etiam suam pecuniam et triti-
cum, et ulterius tenetur damna, si quae sunt, reparare > l.

XV. FURTUM

Doctrina.

Furtum, generice sumptum, definiebatur ab antiquis: 221
acceptio rei alienae, invito domino. Si acceptio fit oc-
culte, dicebatur furtum specificè, ut contradistinctum a
rapina, quae violentam nominat acceptionem.

Cum sit contra iustitiam, utpote violans ius strictum
proprietas rerum, furtum est peccatum mortale ex suo
genere 2; admittit ergo materiae parvitatem. Rapina su-

1 Ferreres, l. c., n. 705.

3 «Inter omnia peccata quae sunt contra praecepta decalogi, mini-
mum peccatum omnium est furtum. Probat. Quia peccata contra prae-
cepta decalogi: vel sunt contra Deum; et haec clarum est quod ex ge-
nere suo sunt graviora quam furtum... Vel sunt peccata quae fiunt con-

peraddit Iniuriam personalem super furti realem iniuriam.

Unus est casus in quo furtum habebatur licitum, in extrema necessitate nempe, in qua, cum omnia fiant communia, dominus vel abnuens vel resistens, esset iniuste invitus acceptioni.

Hinc hodie communiter furtum acceptionem rei alienae sonat domino rationabiliter invito, nec amplius furem vocamus eum qui in extrema necessitate constitutus alienam (hucusque) rem sibi appropriât fraude aut vi.

222 Quoniam fur est possessor malae fidei, si rem detinet, aut iniustus damnificator, si rem destruit (61 ss.), eum restitutio gravat rei vel aequivalentis atque simul plena compensatio damni emergentis — depretiationis quam sustinuit dominus in rebus acquisitis—atque lucri cessantis—fructuum, utputa, quos dominus percepturus erat ex rebus quibus iniuria fuit spoliatus.

Et quoniam, ad S. Augustini notam sententiam, «non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum»ⁱ, ideo D. Thomas nos admonet ad furtum cavendum *ex periculi gravitate*. «Nullum enim peccatum est ita periculosum, nullum enim peccatum remittitur sine satisfactione et paenitentia. De omnibus cito paenitet quis, sicut patet de

ira proximum; et talia quaedam sunt contra bona corporis naturalia, ut homicidium, percussio, etc.; vel sunt contra bona animae, ut detractio, et murmuratio, etc. Et haec omnia sunt graviora peccata quam furtum, quia furtum solum est contra bona fortunae... Gravius peccatum est simplex fornicatio quam furtum, quia est contra caritatem et contra maius bonum in quo proximus laeditur. Nam fornicatio est contra finem naturalem concubitus, scilicet contra bonum prolis... Sed contra, quia contrarium existimant omnes homines, quia vituperabilius reputant furtum quam fornicationem. Sed ad hoc dico quod non est mirandum, quia ipsi non advertunt an furtum sit minus vel maius peccatum, sed solum quod est maioris dedecoris. Dico ergo quod homines reputant furtum magis dedecorosum, sed non gravius peccatum» (Victoria, *in II-II*, 66, 6, n. 2 sq., ed. Beltrân de Heredia).

ⁱ S. Augustinus, *epist.* 153, n. 20 ad Maced., PL 33, 662.

homicidio cessante ira, ita et de fornicatione cessante passione concupiscentiae, et sic de aliis. De hoc autem peccato licet aliquando paeniteat quis, non tamen de facili satisfacit, et maxime cum non solum teneatur id quod accepit, sed etiam de damno quod facit patrono ex hoc, et cum hoc etiam teneatur facere paenitentiam de peccato»

Casus primus.

Accedens ad confessarium Titius haec pandit: Furatus sum syngrapham loteriae, cuius pretium erat mille libellarum; sed inde praemium sortitus sum millia milium. Cui et quanti restitutio urget? 223

Solutio

Tria sunt praeprimis a Titio explananda: *a)* syngrapham a quo furatus est, a venditore aut ab emptore? 224
b) paenituit necne de furto prae praemii sortitione? et quatenus affirmative, *c)* statuitne syngrapham servare sibi aut potius venditori vel emptori?

Quoniam si syngrapham furatus est a venditore, aut *a)* ante sortitionem, paenitens, statuit syngrapham servare venditori et tunc praemium est restituendum venditori (qui de facto pretium syngraphae solvit societati loteriae), aut restituendum est huic societati (si ei venditor non solvit pretium syngraphae); aut *b)* ante sortitionem, paenitens, statuit syngrapham servare sibi et pretium reddere venditori, et tunc dandum est venditori pretium syngraphae, sed praemium cedit Titio (voluit enim emere syngrapham et aderat venditori voluntas eam vendendi); aut *c)* ante sortitionem non paenituit,

' 3. Thomas, opusc. *De praeceptis caritatis*, etc., de septimo praec.

et tunc praemium est restituendum venditori (si hic pretium solvit) vel (alias) societati loteriae

225 Si autem syngrapham furatus est ab emptore, aut
a) ante sortitionem, paenitens, statuit syngrapham servare emptori, et tunc praemium restituendum est emptori (nam res fructificat domino); aut *b)* ante sortitionem, paenitens, statuit syngrapham servare sibi atque pretium emptori reddere (vincat necne), et tunc, per se quidem loquendo, praemium restituendum est emptori—nam translatio domini non fit ex sola voluntate unius, in casu, Titii; oportet et concurrat voluntas alterius, in casu, emptoris; emptor igitur ius habet recuperandi syngrapham et ideo potest exigere ut syngrapha ei reddatur, id est praemium—; per accidens tamen sufficit si emptori reddat pretium syngraphae—nam voluntas emptoris, ad translationem domini requisita, potest in aliquo casu rationabiliter praesumi; v. gr., si fur, priusquam de furto paeniteret, iam distribuit syngraphae portiones—dans vel vendens uni decimam partem, alteri aliam decimam, etc.—neque potest propterea reddere syngrapham; his enim in adiunctis recte praesumitur voluntas sive consensus domini idest emptoris pro domini syngraphae translatione; satis est igitur si emptori alia syngrapha sive pretium syngraphae tradatur ante sortitionem, et quatenus ista compensatio fieri nequeat prae sortitione, satis erit si prae sortitione fur statuatur compensationem illam facere subsequent! tempore, vincat necne; aut *c)* ante sortitionem non paenituit, et tunc syngrapha manet prorsus sub dominio emptoris, cui totum

1 Sic etiam in *L'Ami du clergé*, 14 avril 1938, p. 228; melius quam in Ferreres, *Casus Conse.*, I, 776, ed. 1926, ubi fur non cogitur nisi ad solvendum pretium numeri. Quaestio enim non fit: venditor, aut est, aut non est numeri dominus—si est, habet ius ad praemium, non ad pretium; si non est, habet ius ad pretium, non ad praemium—. Sed quaestio est: Quo titulo fur sibi appropriavit numerum?

praemium est restituendum, si contingat; pretium vero, alias.

Alii casus.

C. II.—Sabas, instituti nummularii (vulgo *Bank*) custos, ingentem quam alienam pecuniam custodiebat tradidit praedoni, qui ipsi minabatur mortem si tradere abnueret. Postea tamen dubitat num recte egerit. 226

Sol.—Recte prorsus. «Ratio est, quia *a)* vitam suam pluris aestimare potest quam pecuniam sibi commissam: *b)* quia id quoque permittere solent leges civiles» \

C. III.—Hermolaus, cui latrones mortem minitantur nisi magnas pecunias solvat, has petit a Primitivo et tradit. Postea autem theologum interrogat num pecuniam sibi creditam debeat Primitivo solvere, cum audierit in extrema necessitate omnia communia fieri. 227

Sol.—Ad haec D. Thomas: «Tunc in necessitate fiunt omnia communia cum homo non potest sibi de suo subvenire; ridiculum enim esset, si quis famem patiens nollet accipere panem quem haberet in arca, et diceret se accipere panem alienum quasi communem» 1. Quapropter si Hermolaus pecuniam suam habebat, etsi non ibi ubi latronibus opprimitur, tenetur, absque dubio, creditam solvere Primitivo; non enim indiguit eleemosyna sed dumtaxat mutuo (cf. II, 329).

C. IV.—Hermagoras, cum pateretur gravem necessitatem, pecuniam qua indigebat furatus est a divite, ea ratione ductus quod dives tenebatur ipsi pecuniam dare nec volebat, ergo licebat ei sibi consulere. 228

Sol.—Fallitur Hermagoras. Primo quia non constat divitem teneri ad eleemosynam ei faciendam, quia for-

1 Prümmer, *Th. Mor.*, II, 87, ed. 1928.

2 θ. Thomas, *Quodl.* 5, a. 17, 1m.

san sunt alii magis indigentes et forsan dives ille, ideo puta quod multos habet filios et filias, non habet pecuniam illam superfluum. Sed etiam dato quod ipse sit magis pauper et quod dives superfluum habeat, hic non tenetur ex iustitia subvenire indigenti, sed dumtaxat ex caritate; immo nec ex caritate subvenire huic potius quam ex indigentibus cuilibet alteri (cf. n, 319). Ideo damnata fuit ab Inn. XI propositio: «Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi» (Denz. 1186).

229 C. V.—Cyrinus furatus est summam pecuniae ingentem, cuius partem dominus destinaverat domui quanto-cius reparandae, partem vero mercaturae exercendae. Post annum Cyrinus, sincere paenitens, confessarium interrogat num restitutionis officium expleat tantam pecuniam reddens quantam abstulit.

Sol.—Negative. Quoniam dominus laesus faciendus est prorsus indemnis. Porro pecunia quae pridem sufficiebat reparationi domus, invenitur modo deficiens ob adauctum pretium tum materiae tum operae; ergo dominus incurreret damnum si privatus pecunia sufficienti, abundantiore non recipiat qua satis habeat. Pecunia quoque negotiationi adhibita, qua iniuste fuit privatus, dominus lucrum faceret; tenetur igitur Cyrinus vel lucrum hoc cessans compensare—ad arbitrium equidem boni viri, pro lucri cessantis probabilitate potiori aut tenuiori.

230 C. VI.—Abercius dum colendo agro proprio impiger incumbibat aratrum duxit per adiacentem Ruffilli agrum, volens sibi prodesse non facile tangibili accessione. Postquam ipse per annos potitus est pacifice amplificato agro, remorsu nunc angitur et furtum in confessione pandit. At confessarius eum arguit de peccato

gravi, quoniam, inquit, etsi pars furto ablata minima quidem sit nec valoris notabilis, attentis tamen fructibus quos in perpetuum offert, materiam certo gravem constituat.

Sol.—Non recte confessarius. Ager enim nullum valorem habet nisi ut frugifer—alias deberet distingui valor agri a valore fructuum, cum tamen ager in hoc sit totus quod est frugifer—; ergo si valor portionis quam illicite Abercius occupavit non attingebat tunc materiam furti gravem, nec quantitatem huiusmodi nunc attingit propter fructus sive obtentos sive obtinendos. Quisnam risum teneret si Ruffillus volens vendere illam agri portiunculam, pretium peteret non dumtaxat centum, ad communem aestimationem, sed potius centum millia, ad fructuum aestimationem quos laturus ager est in saeculorum saecula?

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: An liceat sub metu mortis cooperari ad furtum (I, 60); Furtum in necessitate tum extrema tum gravi (I, 136); Communiste putans iniustam possessionem privatam (I, 185 s); Furtum per partes; rem furatam retinens per annum (I, 227); Pater qui furto gravi dat occasionem filio patrando furtum leve (II, 390); Cooperans sub metu mortis furto vel incendio (II, 461); Cooperans ad devastandos agros ne dominus occidatur (II, 462).

XVI. FAMULORUM ET FAMULARUM FURTA

Doctrina.

Emptionem agens nomine domini seu dominae, a quibus mercede conducuntur, famulus et famula tenentur illam diligentiam communem adhibere quam adhiberent 231

ementes proprio nomine; nec propterea habent ius ad beneficii partem. Si tamen impenderent laborem extraordinarium vel incurrerent onus superadditum ut emant minori pretio, possunt se ex differentia pretii compensare pro illo labore aut onere.

Possunt quoque servare sibi quod sibi datur in ipsorum gratiam; illam etiam participationem in beneficio quam domini, rei conscii, ratam habent. At venditor tunc censetur pretium minuere in gratiam famuli vel famulae, non cum ipse hoc praedicat—praedicat enim omnibus ementibus, famulis et dominis—, sed cum cariori pretio vendit aliis famulis vel famulabus aut venderet dominis—venditor autem facit iniuriam dominis si, propter diminutionem pretii, merces praebet aut deterioris conditionis aut minoris ponderis—. Domini autem praesumuntur ratam habere participationem in beneficio si haec communiter viget; maxime si, ob communem hunc usum, stipendium minuunt in famulatus contractu.

Immo, si ut minori pretio emat famulus vel famula se obligat, pro sua scilicet facultate, ut semper eundem venditorem conveniat, licite sibi retinet differentiam cuius digna aestimatur abdicatio libertatis propriae—cauto tamen ne venditorem conveniat cuius pretia superant consueta.

- 232 Est attamen dolendum quod frequenter venditores hanc inducant praxim, quae periculis plena est: periculo, nempe, ne venditor substituat deteriores merces aut inferius pondus ut se compenset de concessa famulis differentia (98); periculo ne famuli taceant et cooperentur fraudi vendentium; periculo ne domini conducant famulos stipendio minori debito, illius participationis plane conscii; periculo ne propterea famuli se compensent occulte, idque supra mensuram uti plurimum; periculo, denique, ne venditores ipsi ad occultam compensationem

recurrant quia coguntur pretium deminuere si retinere cupiunt famulos et famulas clientes.

Multiplici huiusmodi periculo obviare deberet lex civilis, prohibens ne inducatur vel sustineatur vendentium ad mandatarios haec ratio agendi.

Casus primus.

Paula, matrona ditissima, in Italia, iubet Olympiae ancillae ut lintea omnia domus Lutetiam Parisiorum mittat, ad ea accuratius abstergenda, mundanda atque reficienda. Simulat Olympia se adamussim dominae obtemperare. Verum lintea tradit mundanda et reficienda sorori suae, quae tam accurate ac exquisite omnia mundat ac reficit quam si Parisiis fieret. Hinc Olympia sibi servat excessum pecuniae quam expendere debuerat. 233

Itemque quotidianas expensas absolvens, cum mandatum habeat res optimas, quocumque pretio, semper acquirere, medias quandoque emit; quandoque autem, fortiter instans apud mercatores, pretii imminutionem obtinet ac semper excessum sibi reservat.

Scrupulis tandem deprehensa, confessarium adiit, casuum suorum solutionem quaerens.

Solutio

Quoad excessum pecuniae ex linteorum mundatione et refectione domestica. Olympia hunc excessum retinere nequit, nisi pretium sit deminutum in eius gratiam seu ratione personae; si scilicet mundatio atque refectio veneunt in civitate itala prouti veneunt Parisiis atque deminutio pretii facta fuit a sorore, non in gratiam matronae—puta ob gratitudinem erga hanc, vel ad captandam huius, etiamsi pro Olympia, benevolentiam—, sed in gra- 234

tiam Olympiae. Extra hunc casum, Olympia egit nomine matronae, cui propterea cedit deminutio pretii. Liquet ipsam non adhibuisse laborem extraordinarium, non satis compensatum famulatus mercede.

Quoad excessum pecuniae in emptione rerum mediarum loco optimarum. Olympia, praeterquam facit iniuriam matronae emens medias res atque teneri potest de damno sive matronae sive familiae consequenti—puta de medicinis quae necessariae veniant ad compensandas vires non satis refertas—, illum excessum retinere nequit: emit namque matronae nomine et sicut venditor furaretur praebens pro illo pretio merces deteriores, sic furatur ipsamet afferens merces deteriores pro pretio mercium optimarum.

235 Quoad excessum, denique, pecuniae ob eius fortes instantias ad mercatores. Neque hunc excessum potest Olympia retinere sibi. Non enim agitur quae ab Auctoribus dicitur extraordinaria industria seu specialis—quasi iret ad emendum in locum dissitum—. Profecto non tenebatur fortiter instare; si fecit attamen, meruit matronae gratitudinem, forsitan et temporale obsequium; sed, non ideo quod habeat ius ad gratitudinis obsequium pecuniarium, habet pariter ius ad occulte se compensandum (cf. 86).

Urgeat propterea confessarius onus restitutionis. Quae non erit, practice, difficilis; Olympia etenim potest in famulatu industriam vel laborem extraordinarium ponere, et potest quoque deminuere matronae expensas, solvens ipsamet partem pretii expensarum futurarum.

Alii casus.

236 c. II.—Symphorosa, famula, eundem semper venditorem convenit pro his mercibus emendis quae quotidie occurrunt in usum domesticum. Obtinet siquidem apud

illum «ratione personae», prouti venditor protestatur, deminutionem pretii; differentiam ideo sibi retinet.

Sol.—Si nihil minuens de qualitate vel mensura, venditor minuit pretium in gratiam Symphorosae, vel in gratiam famularum communiter, infra pretium nempe quod exigere solet a dominis, Symphorosa licite retinet differentiam. Item si ut minori pretio merces emat, famula horis sibi liberis pergat ad longinquum aliquem venditorem, licite sibi retinet partem differentiae labori supererogatorio debitam. Denique, si Symphorosa se obligavit ad semper conveniendum illum venditorem—cauto quod eius pretia non superent consueta—, licite sibi servat id quod aequivalet abdicationi libertatis propriae. Ubi confessarius, omnibus scilicet perpensis, detegat Symphorosam iniuste egisse, restitutionem urgeat; si quidem quod iniuste sibi servavit adhuc retinet, res in futurum emat melioris qualitatis solvens ipsa pretii differentiam; si id, contra, iam expendit, compenset medio labore vel diligentia extraordinaria.

C. III.—Claudia famula non a Marco, iuxta domini 237
mandatum, quae ad victum sunt necessaria, sed ab alio eiusdem oppidi mercatore pretio minore emit, quam fuerat a domino praefinitum. Aliquando pariter emendi causa civitatem petens, eadem cibaria pretio etiam magis tenui comparat. Residuum vero pecuniae ad emptionem a domino traditae, nec impensae, sibi retinet.

Sol.—«Secluso peculiari aliquo pacto Claudiae noto, quod dominum inter atque Marcum intercessisset, Claudia ad nihil tenetur erga Marcum, cum nullum ius violaverit. Pecuniam, cui pepercit Claudia emens ab alio eiusdem oppidi mercatore, restituere tenetur; quia ratione officii atque stipendii tenetur domini sui utilitatem procurare. Neque refert a domino pretium fuisse determinatum, quia id fecisse censetur ne supra, non vero in-

fra emeret. Cum non nomine proprio emerit Claudia in civitate quam petiit, sed nomine heri sui, minime potest residuum pecuniae non impensae sibi retinere». Ita Eula

238 C. IV.—Ad Photium confessarium famulae accedunt atque famuli qui, putantes non recipere salarium iustum, occulte (uti dicunt) se compensant, bona dominorum subripiunt. Photius vehementer angitur num agatur de licita compensatione occulta, aut de furto potius.

Sol.—Iure Photius vehementer agitur, quoniam saepe condiciones desunt superius recensitae (86 ss.) pro licita compensatione occulta; deest quinimmo, ut plurimum, debitum strictum idque certum. Quapropter fuit damnata ab Inn. XI propositio: «Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario quod recipiunt» (Denz. 1187). Facile enim pluris a nobis aestimatur quod praestamus servitium neque satis perpendimus emolumenta extra salarium nobis dari solita tum ab ipsis dominis tum a dominorum familiaribus et amicis. «At licite famuli possunt se compensare: a) si cogantur ad labores in contractu non stipulatos; b) si cogantur ad salarium prorsus insufficiens et iniustum; c) si cogantur ad reparationem damni quod sine culpa causaverunt, e. gr. frangendo sine culpa aliquod vas pretiosum (nisi tamen in contractu etiam haec reparatio stipulata sit)» 2.

289 C. V.—Calimeius, famulus, surripit ab hero esculenta atque poculenta, et sensim sine sensu pertingit usque ad notabilem quantitatem. Peccatne graviter?

Sol.—Respondet Lârraga: «Si esculenta et poculenta

» Eula, *Collectio casuum*, I, p. 28 s., ed. 1885.

' Prümmer, *Th. Mot.*, II, 90, ed. 1928.

surripit quae ipsemet manducet vel bibat, et agatur de rebus ordinariis, quibus nempe famuli solent uti, non erit peccatum grave, ut plurimum: quia domini non sunt inviti quoad substantiam, sed quoad modum, et ideo si peterentur, concederentur. At si illamet surripiat quae domo efferat vel vendat quibusve se inebriet, tunc mortaliter peccat et ad restitutionem obligatur: quia dominus est invitus quoad substantiam. Idem dicendum si esculenta sint extraordinaria et delicata, quae non veniunt in usum famulorum sed dominorum quaeque domini sibi servant. Si tamen famulus surripit ab hero alias res, quae non sunt esculenta vel poculenta, v. gr. pecunias, pretiosam suppellectilem, etc., tunc peccat peccato furti, quod certo pertinet ad mortale si talem quantitatem accipiat quae in extraneis sufficiens esset ad mortale» x.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedat: Formula vacans furtulis (I, 309-11).

xvii. OBLIGATIONES IUDICIS, REI AC TESTIUM

Doctrina.

Iudex (causae, prout hodie dicitur) venit persona publica, per legitimam auctoritatem constituta, ut secundum leges iustitiam vindicet et in delinquentes poenas decernat. 240

In eo requiritur propterea: iurisdictio seu competentia (quoad rem atque personas iudicandas); scientia idonea seu sufficiens ad munus suum implendum (cognitio igitur legum quas applicare debet ad casum); et

1 LAr raga-Lumbreras, *Prontuario de Teol. Mor.*, I, 800.

integritas ut leges applicet secundum aequitatem seu sine acceptione personarum (non victus amore aut odio, precibus vel minis, beneficiis vel incommodis).

Et sententiam quidem debet ad leges iustas ferre (ipse cum non sit legislator), necessariam adhibens diligentiam ut casum scrutetur et perpendat num subiciatur legi (sententia etenim est conclusio syllogismi practici, cuius praemissa maior lex, minor autem casus qui nunc agitur).

Iniustam si tulerit sententiam, iudex tenetur damnum reparare cuius fuit causa efficax, cum gravi etiam incommodo si culpabilis, absque gravi tamen incommodo si ex humana fragilitate seu inadvertentia—sententiam revocans vel appellationem suggerens parti laesae.

241 Reus ille venit qui in iudicium vocatur, a quo et res petitur. Hodiernis moribus defensor in causa contentiosa, accusatus in criminali nominatur.

Et prae sententia quidem, reus tenetur veritatem dicere si iuridice interrogetur—alias uti potest mentali restrictione—; sed non interrogatur legitime quando interrogatur vel a non habente iurisdictionem in eum, vel cum non praecesserit infamia aut expressa indicia, vel quando interrogatur de crimine ab ipsomet commisso. Interdum potest quoque revelare occulta crimina sive accusatoris sive testium ut eorum testimonium infirmet (257).

Post sententiam vero, iuste damnatus ad agere—v. gr. ad solvendam mulctam—nequit vel pacifice se defendere. iuste damnatus ad pati—v. gr. ad mortem, carcerem, exsilium—potest se defendere pacifice, non tamen violenter.

242 Testis est qui in iudicio testimonium fert, sive spontaneum sive petitum. Spontaneum tenetur quis ferre ex caritate, si facile potest avertere malum imminens pro-

ximo, aut ex iustitia legali si potest avertere malum imminens societati, aut ex iustitia commutativa, si quis habet officium accusandi. Petitum autem, nempe legitime, tenetur quis ferre ex oboedientia—debita iudici—; ex iustitia legali, quivis civis; ex iustitia commutativa, ii quibus hoc officium incumbit. At legitime non petitur si iudex sit incompetens vel non servet formam statutam legibus, aut delictum sit omnino occultum vel semiplene nondum probatum, et nullum ex reticentia damnum immineat, privatum vel commune.

Falsum testimonium existit, ut in pluribus, peccatum grave: praeter mendacium etenim, fortasse grave, innuit saepe periurium, si praecesserit de veritate aperienda iuramentum, simul ac iniustitiam, gravem ex genere.

Post sententiam, qui falsum testatus est vel occultanda aperuit, tenetur ad reparationem damni cuius fuit causa efficax. Qui vero, non excusatus, tacuit vel falso dixit se nihil scire, peccavit graviter contra oboedientiam iudici debitam et contra iustitiam legalem, et contra religionem (ob periurium); sed probabiliter non peccavit contra iustitiam commutativam, quoniam mere negative se habuit—nisi ei incumberit, ex iustitia commutativa, officium denuntiandi reum.

Casus primus.

Agitur causa Livii, qui graviter vexavit nonnullos concives /tempore quo natio fuit sub hostium dominatione constituta. Livius constanter et audacter negat crimina quae sibi opponuntur; testes, sive quia beneficiis a reo affecti sunt, sive quia Livius minatus est se eorum occulta crimina revelaturum si contra se deponant, negant etiam iureiurando adiecto se quidquam de Livii criminibus cognoscere.

Index, quamvis scientia privata pro certo habeat Livium in noxa esse et testes possit falsi testimonii coarguere, cum nihil de Livii crimine ex allegatis et probatis apparet, eum absolvit.

Quid dicendum?

Solutio

244 Livius quidem, cum agatur causa criminalis contra eum, non tenetur crimina sua fateri¹; eius igitur negatio, quamvis constans et audax, licite fieri potest cum restrictione late mentali—negat se commisisse crimina quae fateri teneatur: non enim sunt probata.

Testes, negantes etiam cum iuramento, se quidquam de Livii cognoscere criminibus, peccant profecto contra oboedientiam et religionem quando sic agunt ex sola gratitudine; at forsitan non peccant quandiu agunt ex timore vindictae: pensandum est etenim malum quod ex testimonio veridico sibi imminet—tunc eorum negatio potest, instar mentalis restrictionis, hoc unum significare «se nihil cognoscere quod manifestare iudici teneantur».

Quod ad iudicem attinet. Quandiu ex allatis et probatis non constet de criminibus Livii, iudex Livium non modo absolvit licite sed et absolvere tenetur. At debuitne saltem testes coarguere falsi testimonii? Si argumentum falsi testimonii habebat ex actis in iudicio, affirmative;

¹ Ipsamet lex eximit interdum accusatum a veritatis manifestatione. Ita C. I. C.: «Iudici legitime interroganti partes respondere tenentur et fateri veritatem, nisi agatur de delicto ab ipsis commisso» (canon 1743, § 1); «Iusiurandum de veritate dicenda in causis criminalibus nequit iudex accusato deferre» (can. 1744). Nec obstat can. 1646: «Reus legitime conventus respondere debet», cuius sensus est quod per se vel per alium debet *sistere* iudici, negando vel excipiendo actoris petitionem (Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I, 1242, ed. 1939). Recentiores quoque codices civiles non imponunt reo obligationem fatendi proprium crimen nec ab illo exigunt iuramentum.

si ex privata tantum scientia, negative. Sic ad doctrinam D. Thomae, quam sequimur; eo vel magis quod agitur de criminibus praeteritis, non de damno praesenti vel futuro.

Alii casus.

C. II.—Num iudex teneatur sententiam ferre ad ea 245
quae in iudicio acta fuerunt atque probata, non obstante privata scientia.

Sol.—Certo non licet iudici illum condemnare quem allegationes et probationes ostendunt innocentem, ipsum quamvis privata scientia cognoscat reum. Ei licet attamen condemnare illum quem, etsi privata scientia noverit innocentem, allegationes et probationes constituunt reum: fungitur enim persona publica, nec ideo peccat si ad publica instrumenta, testimonia et scripta quae in iudicio allegantur, fert sententiam. Ita D. Thomas expresse: «Iudex, si scit aliquem esse innocentem qui falsis testibus convincitur, debet diligentius examinare testes, ut inveniat occasionem liberandi innoxium, sicut Daniel fecit. Si autem hoc non potest, debet eum ad superiorem remittere iudicandum. Si autem nec hoc potest, non peccat secundum allegata sententiam ferens: quia non ipse occidit innocentem, sed illi qui eum asserunt nocentem» l. Quae quidem Angelici doctrina, a pluribus etsi recepta, fuit ab aliis temporum decursu derelicta. Hodierno autem iure, introductis iuratis, uti dicitur, nullius facta est practici negotii controversia: ipsi enim iudicium ferunt de existentia facti et rei culpabilitate, iudicium, inquam, sibi creditum—de quo non tenentur rationem reddere—secundum quomodolibet obtentam innocentiae vel culpae certitudinem.

1 S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 64, 6, 3m.

246 C. III.—Sententiam D. Thomae (245) Evaristus propterea impugnat quod iudex, damnans ad mortem illum quem privatim novit innocentem, ageret contra propriam conscientiam; quod sane licet numquam.

Sol.—Ad hoc Vitoria: «Licet faciat contra scientiam damnando innocentem, non tamen facit contra conscientiam, quia secundum conscientiam tenetur iudicare secundum allegata et probata. Bene verum est quod si haberet hanc conscientiam: iste est liberandus a me, non liceret facere contra illam. Sed non habet talem conscientiam, sed solum habet quod iste est innocens, quae est propositio speculativa et non practica. Unde dico quod non habet hoc iudicium practicum: iste innocens est liberandus a me, vel aliud simile; quia si sic haberet, non ei liceret facere contra talem conscientiam. Sed dico quod habet solum hoc iudicium speculativum: iste est innocens. Et ideo iudicando illum non facit contra conscientiam»¹.

247 C. IV.—Utrum iuste damnatus ut fame pereat teneatur cibum sumere clam sibi oblatum.

Sol.—Id quidem asserunt gravissimi theologi, quoniam nemo iuste damnatur ut sibi mortem inferat; id ipse D. Thomas videtur dicere² quasi non sumere cibum suicidio equipolleret. Aliter tamen communius: quamvis enim inhumana atque iniusta poena qua iudex reum obligaret ut abstineat ab omni cibo quem haberet ad manus, quamvis igitur iuste damnatus ad pati nihil teneatur agere unde passio sequatur—et ideo manducet licite quod ei clam offertur—, non propterea dicendus est manducationi adstrictus: aliud enim est iudicem praecipere et aliud iudicem permittere suicidium rei; aliud quoque se occidere, contra praeceptum negativum—obligans semper et

¹ » Vitoria, in *II-II*, 67, 2. n. 6. ed. Beltrân de Heredia.

² S. Thomas, l. c., 69, 4, 2m.

pro semper—, et aliud se non servare, contra praeceptum affirmativum—obligans quidem semper at non pro semper—; potest igitur praeceptum de sui conservatione non urgere aliquando, et ideo potest reus, propter bonum iustitiae, ab iis edendis quae nemo tenetur ei afferre, aut propter bonum publicum, ut sit in aedificationem quibus fuit scandalum. Ita fert, ne multum fallimur, communis sensus: agitur de suicidio indirecto, quod iam licitum novimus (112) propter rationes proportionate graves. Verba quapropter D. Thomae sic sunt intelligendae ut reus suicidii habeatur qui absque motivo proportionate semetipsum non servat.

C. V.—Martialis e Florentii domo sustulit pretiosam supellectilem. Ex illius contubernalibus qui rem oculis viderant, nemo ad testificandum se ultroneus offert; immo unus, ne in ius vocetur, se occultat; alius, vocatus quidem, in dissitam regionem aufugiens non comparet; tertius denique, tribunali se sistit at nihil prorsus scire protestatur et iurat. Absolvitur Martialis et dimittitur, praeclusa Florentio omni via rem suam recuperandi. 248

Sol.—Nisi agatur de persona quae ex officio, vel etiam cum parte peculiari contractu ad testimonium ferendum obligatur, certum est omnino eum qui ad testificandum se non offert ultro restitutioni non adstringi; certum est pariter ad restitutionem non teneri eum qui se, citandum cum noverit, occultat. Probabilius videtur nec illum ad reparanda damna obligari qui a legitimo iudice citatus aut non comparet aut si comparet recusat respondere. Primis duobus casibus peccare potest contra caritatem; tertio peccat contra iustitiam legalem vel oboedientiam; forsitan et contra religionem, si iuramentum emisit de veritate aperienda; nullibi tamen contra iustitiam commutativam, cum non impediatur Florentium a re sua reu-

peranda sed eum simpliciter non adiuvet—ad quod titulo iustitiae non tenetur x.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: ludeus catholicus quoad divortium coniugum hebraeorum (I, 396); id quoad divortium acatholici ab infideli (I, 397).

XVIII. DETRACTIO

Doctrina.

249 Detractio definitur: denigratio famae alienae per verba; verba enim nominat ex quibus audiens malam de absentem concipit opinionem. Distinguitur: a) positiva seu directa, dum quis malum imponit, revelat, interpretatur, auget; et negativa seu indirecta, dum bonum negat aliquis, minuit, reticet aut remisse laudat; b) simplex detractio seu diffamatio, cum verum vitium proximi manifestatur sine iusta causa; et calumnia seu infamatio, cum proximo vitium falsum imponitur.

Porro est homini ius in bonam famam; in famam quidem veram, respondentem bonitati reall, quoniam meritum prout demeritum in proprietatibus venit humanorum actuum; in famam falsam insuper, bonitati apparenti respondentem, aut quod illa homo atque societas indigent—prout volunt aliqui—, aut quod—mea quidem sententia—apud homines, qui de internis non iudicant, homo nec meretur nec demeretur nisi bonis aut malis actibus qui innotescunt homini². Penes omnes tamen Auctores in confesso est ius ad utramque famam venire ius strictum, sic ut detractio iniuriam nominet iustitiae

¹ Cir. Billuart, *Summa S. Thomae*, tr. de lure, etc., diss. 13. a. 3.

¹ Videsis notulam nostram *De iure ad famam*, in *Angelicum*, 15 (1938), pp. 88-91.

commutativae oppositam ac eo furto graviolem quo «melius est nomen bonum quam divitiae multae» (Prov. 22,1).

Detractionis gravitas ex parte sive loquentis sive audientium valet attendi. 250

Audiens detractionem non minus detractore peccat hunc si inducit ad detrahendum vel addit animum ut detractionem protrahat; sed audiens detractionem eo quod detractio sibi placeat, peccat, uti plurimum, minus quam detractor; minus etiam detractore peccat qui detractionem audit ideo quod ipsam non impedit cum posset.

Iustitiae cum sit opposita, detractio positiva seu directa est peccatum mortale ex proprio genere. A mortali excusat parvitas infamiae, mensurandae non tantum ex obiecto sed insuper ex condicione personarum—detrahentis, eius de quo detrahitur, audientium—, simul atque locorum, morum et ceteris adiunctis \ A mortali quoque nonnulli excusant eum qui uni viro prudenti revelaret, sine causa, vitium proximi grave (264); sed a mortali non vacat revelatio quam, absque causa proportionata, sacerdos (fide dignus) faceret laicis pluribus de alterius sacerdotis luxuria occulta, quae alias brevi ad ipsorum notitiam non pertingeret (ib.).

Malitiam detractionis calumnia auget; superaddit enim mendacium.

Disputant Auctores num detractiones circa materias varias, v. gr. fornicationem, furtum, differant ab invicem specie; num, insuper, novam malitiam induat detractio

1 Sic Billuart (*Summa S. Thomae*, tr. de lure, etc., diss. 15, a. 2, § 2): «Plerumque excusantur a mortali plebei! et mulierculae quae inter rixandum graves defectus sibi obiciunt, quia vix est quod fidem illis adhibeant audientes»; nec communiter, tunc temporis, mortale aestimabatur «dicere de milite aut adolescente mundano rixatum fuisse, duelum inivisse, se inebriasse, fornicatum fuisse, quia hi et similes talia non ducunt probro, sed potius gloriae».

sacerdotis, ob qualitatem personae diffamatae; num, denique, ab audientium numero sumenda sit detractionum multiplicatio (I, 219). Certum est attamen aliam esse numerice detractionem qua qui diffamatus est de uno crimine, v. gr. luxuria, post diffamatur de alio ipsi non proximo, v. gr. de homicidio (I, 218); detractiones quoque multiplicari interruptione morali actuum (I, 216).

251 Prout urget compensatio damnificationis iniustae (64), sic et restitutio famae sublatae detractio: agitur enim laesio commutativae iustitiae, neque remittetur peccatum, uti diximus (222), nisi fama restituatur. Urget ergo sub gravi, ex genere, restitutio famae, insuper et damnorum materialium quae infamiam consequuntur. Obligatio reparationis exstat dumtaxat levis, omnium quidem consensu, si damnificatio effectiva parva; plurium quoque sententia, si culpa theologica venialis (cf. 73).

Porro si fama fuit calumniose ablata, calumnia est efficaciter retractanda, etiam fatendo, si necessum fuerit, se mentitum fuisse. At si fama fuit sublata detractio-
ne simplici, nequit detractor dicere se mentitum; sed tenetur, pro posse, famam restaurare, sive dicendo se locutum fuisse minus recte, sive diffamatum excusando et laudando de bonis quae ceteroquin habet. Si fama restitui nequeat amplius, compensatio, ad sententiam probabiliorem est aliter facienda, v. gr. data pecunia vel aliquo pecunia aestimabili. Immo si ex iniusta detractio-
ne quaedam sint secuta diffamato materialia damna, v. gr. quia ab officio, beneficio, hereditate, donatione, alias sibi obventuris ideo privatus est, haec omnia damna reparanda sunt, nemine moralistarum discrepante.

1 Unde Vitoria (in *II-II*, 73. 3. n. 2. ed. Beltrân de Heredia) scite animadvertit detractio-
nis peccatum periculosissimum ideo esse, nam dum miurias alias, in bona sive corporis sive exteriora, compensant plures, coacti saltem a iudice, pauci sunt admodum qui famam proximi resti-
tuant.

Quantumcumque imponere alicui vitium falsum numquam omnino liceat—mendacium enim perniciosum agitur—, fas est interdum vera ipsius revelare occulta vitia. Nec indiscrete attamen. Lex etenim secreti saepius urget; secreti, ad minus, naturalis; forsitan promissi; commissi maxime—speciatim professionalis, praesertim extrasacramentalis, sacramentalis, denique, potissime (cf. 274). 252

At in casu praecipue secreti naturalis occulta illa peccata non absque iniuria fortasse fuerunt cognita: porro qui iniuria venit in illorum notitiam, secretum nempe explorans illegitime, is pristinam consumat iniustitiam si secretum prodit quod explorare iure nequiret.

In quocumque, demum, ex praedictis casibus, praetereaquam manifestatio facienda est cum quam minimo poterit peccatoris occulti nocumento, effectus bonus revelatione intentus oportet proportionatus sit effectui malo revelationem consequenti.

C a s u s p r i m u s .

Sergius sacerdos, qui misere antiquos mores parumper amisit, cum sciat sua vitia sub ovis pelle tegere, bene a populo audit, qui eius ministerio libenter utitur. At Severinus parochus, quem Sergii mores non latent, eius operam suo gregi timens, aegre fert ut in sua paroecia mulierum confessiones audiat nec sinit ut earum spiritualem curam in coetibus catholicis gerat. 253

Id tamen efficit ut paulisper obtrectionis a nonnullis arguatur qui, Sergii dotes magni aestimantes, ipsum parocho praeponunt. Quare Severinus, qui huiusmodi murmurationibus Sergium ansam dedisse suis susurris suspicatur, eius mores his quos sibi infensos existimat, modo obscure modo diserte aperit, licet ab eisdem exigat ut acceptas notitias alto silentio tegant. At tristis Sergii

fama sensim ita percrebuit ut ipse brevi quamlibet per urbem existimationem amiserit.

Quid de Severino sentiendum est?

Solutio

254 Non peccat profecto Severinus ideo quia ex sibi notis (vel sub sacramentali quoque sigillo) Sergii moribus aegre fert huius confessionale ministerium: agitur enim displicentia interna quae est alicuius mali et innotescit nemini. At peccat graviter si ex notitia de Sergii moribus in Paenitentiae sacramento obtenta eo procedit usque ut eum a feminarum gerenda cura in coetibus catholicis impediat: haec enim ratio agendi, vel ibi ubi careret sacramentalis sigilli violandi quolibet periculo, stricte in Iure Canonico vetatur (can. 890, § 2). Puto tamen Severinum impediens ne Sergius impendat curam salutarem feminis propterea quod eius mores habeat cognitos extrasacramentali quovis secreto non peccare graviter; etsi utatur namque nimia cautela atque ducatur excessivo zelo—cum Sergius *parumper* tantum a prima sua deficiens continentia et callens arte tegendi vitia sub ovis pelle, non constituat bono spirituali, de quo agitur, nisi periculum sat remotum. In nullo casu, denique, detractione peccat: nam modus se gerendi nullam parit infamiam, cum nemo fidelium suspicetur corruptos Sergii mores, sed uni invidiae parochi rem cuncti adiudicent.

Ut hanc notam invidiae exsuat, cui suspicatur Sergium suis susurris dedisse ansam, Severinus ad revelanda perguit, modo obscure et modo diserte, occulta Sergii vitia; revelat autem iis dumtaxat quos sibi infensos existimat ab his ulterius exigens altum de re silentium.

Hac duplici limitatione Severinum dixeris tenuisse inculpatae tutelae moderamen. Pressius tamen eius agendi modum perpendamus.

Imprimis, si Sergii vitia sub sigillo sacramenti no- 255
 verat, modo indirecte atque modo directe strictissimum
 huiusmodi sigillum violavit. Peccavit insuper detractio-
 gravi, nisi—quod in casu dixeris non obtinere locum—
 modica sit infamiae anticipatio aut parvum diffamatio-
 nis sit discrimen.

Etiam si mores Sergii sub secreto dumtaxat naturali
 sibi innotuerant, Severinus non habuit titulum revelatio-
 ni licitae necessarium. Utitur enim defensione certo dam-
 nifica ex suspitione iniustae aggressionis, ius autem du-
 bium aliud certum non vincit. Malum insuper proprium,
 quod vitare intendit, longe profecto distat a malo reve-
 lationem consequenti: arguitur enim de invidia et arguit
 de luxuria. Nec oportet malum proprium fingere eousque
 ex consecrariis aggravari ac si propter murmurationem
 de invidia parochi dissensiones in paroecia orientur et
 crescerent atque animarum exinde bonum versaretur in
 lubrico: invidia siquidem clericorum scandalum parit
 tenue, quorum certo luxuria est omnibus, idque iure, tur-
 pissima. Erat, denique, Severino defensioni sui et aliorum
 medium magis idoneum: si spes emendationis nulla ex
 correptione fraterna atque privata, agat cum Ordinario
 loci de Sergii translatione; quam si valet obtinere luxu-
 riam tacens, de hac necessum est silentium teneat: fide-
 lium murmuratio atque in factiones forsitan divisio, pa-
 cis paroecialis periculum, etc., valide atque efficaciter
 adduci possent translationis optatae tituli.

Haec omnia, a fortiori, vera si secretum promissum 256
 agitur; praecipue si commissum; maxime si conscientiae
 extrasacramentale.

Tenetur ergo parochus ut compenset quae Sergio ob-
 veniunt materialia damna; tenetur quoque ut famam ei
 restituat nec apud illos tantum quibus ipsemet mores
 pravos occultos revelavit, sed insuper ad alios, si pruden-

ter praevidere potuit notitiam datam pluribus ab uno aut altero fore divulgandam (260).

Alii casus.

257 C. II.—Accusatus apud iudicem Alexius sciscitatur a theologo num liceat reo occulta crimina sive accusatoris sive testium revelare ad eorum infirmandum testimonium.

Sol.—Affirmative, dummodo spem fundatam habeat de revelationis efficacia simul atque terminos moderatae tutelae non exsuperet: nemo siquidem tenetur servare famam proximi cum gravi damno proprio.

258 C. III.—Num ille peccet qui alterius revelat defectus animi vel corporis naturales?

Sol.—Ad quaesitum Fanfani: «Per se non peccat, vel saltem non peccat graviter, qui revelat defectus animi vel corporis alterius, dicendo, e. g. quod sit surdus, stupidus, etc., quia tales defectus non sunt morales, nec famam notabiliter minuunt. Per accidens vero peccatum, etiam grave, esse potest, si exinde sequatur magna displicentia in proximo vel damnum: ut si quis de nobilissimo viro revelet eum esse illegitimum» \

259 C. IV.—Utrum liceat, consolationis captandae vel doloris leniendi causa, iniuriam secreto acceptam referre uni viro prudenti.

Sol.—«Fateor perfectius ac salubrius tibi fore si recurras ad eum *qui consolatur nos in omni tribulatione nostra* (II Cor., 1). Ceterum probabilius existimo... id licitum esse, modo in narrando non subrepat animus vindictae, non nimium exaggeretur iniuria, nec dicatur plusquam sit necesse ad animi sublevamen. Quia valde grave

1 Fanfani, *Th. Mor.*, II. 257.

est et ab humana consuetudine alienum quod quis solus debeat ferre iniuriam absque ulla consolatione et querela; nec, ut videtur, teneor cum tanto gravamine et incommodo parcere famae iniuste laedentis qui nec mihi parcere voluit, et qui me iniuste vexando se huic diffamationi exposuit, cum sciret id esse in usu; unde sibi debet imputari». Ita Billuart ¹.

C. V.—Calepodius a confessario petit num famae iniuste ablatae reparatio apud illos dumtaxat urgeat apud quos quis detraxit, an etiam apud ceteros ad quos illis mediis pervenit diffamatio. 260

Sol.—«Respondent communiter theologi quod, si detractor stipulatus fuerit silentium cum iis quibus ipse narravit, aut prudenter existimaverit eos non esse revelaturos, non tenetur restituere apud istos auditores mediatos; quia haec ulterior divulgatio non censetur illi voluntaria, sed vel ipso invito vel fortuito accidisse. Si autem praevideat aut praevidere potuit eos quibus narravit aliis narraturos, tenetur, auditoribus immediatis non restituentibus, restituere apud omnes ad quos pervenit detractio; quia haec est ipsi voluntaria, utpote implicite volita, hoc ipso quod praevideat aut praevidere potuit securam ex prima diffamatione». Sic ipsemet Billuart².

C. VI.—Aliam quaestionem Calepodius vult anodatam a confessario: Num scilicet dentur causae excusantes a restitutione famae iniuste ablatae. 261

Sol.—Affirmative, ad ea quae supra diximus de restitutione in genere (74 ss.). Prima quidem, si ex diffamatione non est secuta infamia, aut quia crimen iam erat publicatum, idem aut simile, aut quia fama recuperata est alia quacumque via—puta per rei evidentiam, per te-

¹ Billuart, l. c., § 3.

² Id., ib., a. 3, § 2.

stium inductionem, per sententiam indicis—, aut quoniam auditores non crediderunt—v. gr. quoniam detractor loquebatur ex ira— Altera, si diffamatio lapsu temporis omnino oblitterata est nec periculum sit ut reviviscat. Tertia, si diffamatus reparationem legitime condonaverit exprese aut tacite—puta si et ipse diffamatus diffamaverit te neque velit tuam famam restituere—; at legitime reparationem non condonat ille ex cuius infamia sequitur scandalum vel nocumentum aliorum. Denique, si reparatio sit impossibilis physice—v. gr. quoniam auditores ignoti sunt vel adiri nequeunt—vel moraliter—si reparatio fieri nequeat sine longe maiore damno proprio.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Detrahens pluribus membris unius familiae (I, 229); Defectus proximorum inquirens atque narrans (I, 230); Gaudium de detractioe (I, 265); Coalescentia detractorum et calumniarum (I, 312).

XIX. SECRETUM COMMISSUM

Doctrina.

262 «Secretum *subiective* sumptum est cognitio rei ceteris occultae et occultandae, seu cognitio et obligatio rem aliquam occultam non manifestandi; *obiective* est ipsa res occulta et occultanda, quae potest esse valde diversa: inventum artis vel scientiae, aut quoddam factum, v. gr. vacare officium, aut crimen ignotum. In praesenti secretum praesertim sumitur *subiective*» \

Triplex communiter distinguitur: *naturale*, cuius manifestatio prohibetur ipso naturae iure (independentem

1 Merkelbach, *Th. Mor.*, II, 852, ed. 3.

a promissione aut pacto), utpote quae non fieret nisi rationabiliter invito domino, cui nocumentum infert vel tristitiam |; *promissum*, cuius materiam postquam habuit cognitam promisit quis silentio commendare; et *commissum*, cuius notitiam quis accepit praevio tacendi pacto.

Silentii hoc foedus initur modo expresse et modo tacite; *expresse*, cum verbo, scripto vel nutu declaratur; *tacite*, dum ex condicione personarum satis constat: ideo advocatis, medicis, sanguine propinquis et peculiariter amicitia iunctis res intimas concredimus quia harum fidos custodes illos omnes censemus iure optimo. Apposita tamen aut reticita tacendi fides obligationem nec aggravat nec minuit. Quam aggravat aut minuit committentis necessitas aut libertas: prae eo siquidem qui consilio non egens vel auxilio secretum aperit ille qui consilii vel auxilii causa arcanum detegit huius praesumitur divulgationi invitus seu contrarius. 263

Si silentium exigitur ob committentis unum commodum, secretum dicitur *privatum*, seu *simpliciter commissum*; si ulterius ob bonum publicum, quod propter personae condicionem ipsum spectat cui res committitur, secretum venit *professionale*, *ex officio*, etc. (cf. 274 ss.).

Secretum porro commissum, quia ex contractu provenit oneroso, fines iustitiae ingreditur et obligat, prout iustitia, sub gravi ex genere. Excusat attamen a mortali materiae parvitas, brevis plerumque anticipatio eorum quae praevidentur alio medio quocumque perventura in notitiam, et affinitas criminis revelati cum crimine iam 264

1 «Non potes manifestare deflorationem secretam puellae cui ut virgini dos aut legatum esset conferendum, quia in foro externo habetur ut virgo et insignibus virginum gaudet nec qui legavit intendit aut debuit intendere aliam quam quae habetur pro virgine» (Billuart, *Summa S. Thomae*, tr. de iure, etc., diss. 15, a. 2, § 3).

noto. Sed et passim autumant moralistae peccatum dumtaxat veniale revelationem illam quae secreti commissi fieret uni viro prudenti sub secreto¹. Docent tamen unanimes vel hanc revelationem esse gravem si huic viro, quamvis prudenti, vellet prae ceteris rem ignotam quae eam sub silentio declaravit, ideo puta quod natus est ab illo graviore damno affici².

Secreto quamvis simpliciter commissio tanta sit obligatio, huius sunt termini definiti. Cessat etenim: a) quoties adest consensus, saltem rationabiliter praesumptus, eius cuius est secretum; b) quoties res est aliunde divulgata; et c) quoties necessitas urget avertendi damnum. Hoc autem damnum, si pro cessatione secreti naturalis est damnum omne quod ex lege caritatis non tene-

1 Ad rem Aertnys-Damen (T/h. *Mot.*, I, 1005, ed. 1939): «dummodo insuper ille vir adeo sit iudus ut eadem licentia usus non sit, et sic secretum brevi e tenebris erumpat». Visser, in illius operis nova editione (1956) adiecit: «Nec hoc applicari potest secreto sacramentali, professionali aliisque gravissimi momenti». Et in nota: «Horum revelationem neque licere pro curanda infirmitate psychica methodo sic dicta psycho-analytica, qua tale secretum causans seriam perturbationem in animo patientis medico communicaretur».

3 «Quanto testimonium alicuius reputatur maioris ponderis, tanto ab eo aliquis magis verecundatur. Potest autem testimonium aliquod maioris ponderis reputari vel propter eius certitudinem veritatis; vel propter effectum. Certitudo autem veritatis adest testimonio alicuius propter duo. Uno quidem modo, propter rectitudinem iudicil: sicut patet de sapientibus et virtuosls. a quibus homo et magis desiderat honorari, et magis verecundatur. Unde a pueris et bestiis nullus verecundatur, propter defectum recti iudicil qui est in eis. Alio modo, propter cognitionem eorum de quibus est testimonium: quia *unusquisque bene iudicat quae cognoscit*. Et sic magis verecundamur a personis coniunctis, quae magis facta nostra considerant. A peregrinis autem et omnino ignotis, ad quos nostra facta non perveniunt, nullo modo verecundamur. Ex effectu autem est aliquod testimonium magni ponderis propter iuvamentum vel nocumentum ab eo proveniens. Et ideo magis desiderant homines honorari ab his qui possunt eos iuvare: et magis verecundantur ab eis qui possunt nocere. Et inde est etiam quod, quantum ad aliquid, magis verecundamur a personis coniunctis, cum quibus semper sumus conversaturi: quasi ex hoc nobis perpetuum proveniat detrimentum. Quod autem provenit a peregrinis et transeuntibus, quasi cito pertransit» (S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 144, 3).

tur aliquis subire ut eius cuius secretum interest vitet damnum vel displicentiam; pro cessatione autem secreti promissi est damnum illud ad quod vel subeundum vel non vitandum aliquis sese obligare aut non potuit aut saltem non intendit; pro secreti commissi cessatione petitur damnum grave vel commune, vel committentis, vel innocentis, ideoque vel proprium.

Quandiu autem secretum aut commissum agitur, aut naturale ipsi successerit (v. gr. quoniam res aliunde per- 265 venit ad eum cui secretum commissum fuit), condicio duplex est sancte servanda ne deturpetur licita revelatio, quarum prima, ut damnum per revelationem avertendum proportionatum sit secuturo ex revelatione incommodo; altera, ut revelatio fiat cum quam minimo fieri potest eius qui secretum commisit damno (252); ideoque ne plura manifestentur quam opus sit, nec pluribus quam postulet negotium iisque sub secreti commissi lege, nec, pro posse, manifestentur quin antea delinquens moneatur, si sperare licet monitionem ad finem intentum profuturam.

Casus primus.

Ambrosius, vir egregio ingenio praeditus at perditis 266 imbutus moribus, dum iunior esset, occultissima quaedam patravit facinora, quae, consilii petendi causa, Petronio sibi amicitia coniunctissimo sub maximi secreti lege manifestavit.

At, cum post aliquot annos a Petronio Caius, qui publico fungebatur munere, de Ambrosii moribus, quem nonnulli ei commendaverant, eo consilio exquireret ut ipsi publici negotii curam committeret, quod nonnisi probissimo viro deferri potuisset, Petronius delectum parum opportunum esse respondit. Sed, cum Caius, dotes Am-

brosii opponens, eidem instaret ut sui iudicii causam afferret, Petronius Ambrosii mores Caio detexit, qui postero die negotium alteri commisit.

An Petronius recte egerit.

Solutio

267 Ponitur Petronius amicissimus cui consilii causa occultissima crimina panduntur; subiungitur haec crimina sub maximi secreti lege manifestata fuisse. Agitur ergo de secreto commisso—quod praestat super secretum sive promissum sive naturale—, de commisso ex necessitate, consilii habendi causa—quod prae libere commisso partes obtinet—; de secreto tamen privato—nam amicus ut amicus non habet consulere bono publico—, quantumcumque expresso—quo professionale seu officii, quamvis tacitum, potius.

Prae solutione tamen fas sit ambiguitatem observare qua casus, ut proponitur, laborat. Ambrosius ex una parte imbutus dicitur perditis nunc moribus; ex alia patrator pridem arcanorum criminum. Dum haec praeterita sub secreto commisso Petronio veniunt nota, undenam hodiernos mores compertos hic habeat non exprimitur. Tempus etiam signatur revelationis «post annos aliquot», dum publici officii cura agitur committenda; nec tamen dicitur quisnam sit influxus praeteritorum criminum sive qui tangitur in hodiernos mores sive in destinati muneris executionem timendus est.

268 Ponamus igitur pravos mores hodiernos Ambrosium reddere prorsus indignum gerendo negotio, de quo agitur; demus pariter hodiernos illos mores occultos esse, horumque ex praeteritorum sola revelatione Petronium contigisse notitiam; faciamus, verbo, Ambrosii indignitatem sub secreto commisso Petronio notam esse. His in

adiunctis bonum commune praevallet: negotium enim publicum «quod non nisi probissimo viro deferri potuisset» committendum vertitur. Et si quidem absque indignitatis occultae prolacione posset Petronius obtinere ne negotium Ambrosio concedatur, saltem ne is illud acceptet ei conceditur, manifestationi indignitatis non faveret ratio sufficiens. At dicitur Caius dotes Ambrosii magni facere, ideoque a suo proposito non recedere; ponitur quoque Ambrosius pravis indutus moribus nec paratus igitur qui, oblata opportunitate, negotium publicum recuset. Quapropter cum revelatio pristinorum criminum unum sit medium efficax ad ostendendam Ambrosii improbitatem, haec autem pandenda sit ad eius indignitatem demonstrandam et sic cavendum grave et commune damnum imminens ex commissione quam Caius mente agitabat, Petronius recte egit illa Ambrosii facinora manifestans.

Egit recte, a fortiori, si praeteritorum et praesentium aliunde quoque acceperit notitiam; immo si praesentium cognitionem aliunde habitam fulciri oportuit pristinorum revelatione ne incassum fieret. 269

Prout autem quoties praeteritorum manifestatio est necessaria haec oportet secreto committatur (committitur saltem tacite dum ei fit qui publico munere fungitur), ita quoties mores hodierni, aut minoris opprobrii, aut noti pluribus, aut sub secreto non commisso cogniti, satis essent ad collationem impediendam si in collatoris ducantur agnitionem, Petronius male ageret praeterita crimina manifestans. Nec peccaret tamen mortaliter quandiu haec facinora affinitatem servant cum hodiernis moribus, notoriis facto aut iure revelandis, et soli viro

1 Fortasse sub comminatione revelationis praeteritorum obtinere posset Petronius ab Ambrosio negotii sibi oblato recusationem. Quia tamen unum malum quod ex facta revelatione superest longe minus videtur odio et Inimicitia penes pravam hominem comminationem consequentibus. hoc experimentum non imponerem.

prudenti sub secreto professionali producantur: notabiliter enim non aggravant infamiam.

Alii casus.

270 C. II.—Quadratus sub secreto commisso noverat ab Aurelio furtum quod hic patrauerat. Cum auctoris postea praecesserit infamia, ille vocatur testis ad tribunal; ubi a indice interrogatus secretum prodidit. Num recte egit?

Sol.—Negative. Ait enim D. Thomas: «Circa ea quae aliter (quam per confessionem) homini sub secreto committuntur, distinguendum est. Quandoque enim sunt talia quae, statim cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifestare tenetur: puta si pertineret ad corruptionem multitudinis spiritualem vel corporalem, vel in grave damnum alicuius personae, vel si quid aliud est huiusmodi, quod quis propalare tenetur vel testificando vel denuntiando. Et contra hoc debitum obligari non potest per secreti commissum: quia in hoc frangeret fidem quam alteri debet. Quandoque vero sunt talia quae quis prodere non tenetur. Unde potest obligari ex hoc quod sibi sub secreto committuntur. Et tunc nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex praecepto superioris: quia servare fidem est de iure naturali; nihil autem potest praecipari homini contra id quod est de iure naturali» Patet autem non periclitari commune bonum ideo quod furtum aliquod remanet impunitum. Quadratus ergo respondere debuit se nihil scire (quod teneretur, nempe, fateri).

271 C. III.—Abhinc aliquot annos in paroecia exorta fuit dira persecutio, per litteras sine nomine scriptas, contra optimam puellam, zelatricem paroeciae et praesidem puellarum Associationi Actionis Catholicae adscriptarum, cum aliquando solerent inter se occurrere ad auxi-

1 S. Thomas, l. c., 70. 1, 2m.

lium singulorum operum paroecialium, sibi commissorum. Auctor harum calumniarum et epistolarum sine nomine fuit, ut postea innotuit, Marcellus, coadiuvatus a quibusdam mulieribus aemulis atque loquacibus.

Nemo adhuc cognoverat auctorem, cum ipse Marcellus, arcano quidem modo, arcessivit dominam Paulam, ipsam quoque zelatricem paroeciae, et, secreto imposito, auxilium in hoc opere denigrationis et calumniarum, sub specie boni, ab ea quaesivit. Quae quidem, ab interlocutore dimissa, incerta fuit utrum esset secreto ligata, an potius teneretur revelare omnia parocho, ut finis imponeretur calumniis contra puellam innocentem.

Sol.— Quoniam agitur de secreto commisso, quod non obligat cum damno gravi innocentis, saltem si damnum infertur atque pergit inferri ab ipsomet secretum committente (277), Paula non impeditur promissione. Immo Paula tenetur, ex caritate, vitare damnum illius puellae, ideoque id si facere potest sine gravi incommodo proprio. Agat ergo cum quam minimo fieri possit damni ipsius Marcelli; quapropter si potest effectum consequi reticito nomine Marcelli, id taceat; si potest monere Marcellum ut desistat a persecutione et damnum illatum reparet atque sperat se hoc ab Marcello obtenturam, non moneat parochum; si potest reticito nomine aliarum feminarum, quae cooperatae sunt ad diffamationem, taceat harum nomina. Si vero nequit efficaciter consulere restorationi famae puellae nisi revelans nomina tum Marcelli tum illarum feminarum, haec omnia revelet.

C. IV.— Amandus, sub fide secreti servandi, noverat 272 a Marino huius pessimos mores. Eum vellet denuntiare Superiori a quo secrete corripitur. Timet autem peccatum in talis secreti prodicione, eo maxime quod firmavit iureiurando altum de re silentium.

Sol.— «Non obligat secretum commissum celare, quoties ordo caritatis fraternae circa eum qui commisit po-

stulat quod reveletur, ut si erui non potest ille a sua nequitia nisi secretum revelando; et tunc detegi potest et debet, quantum sat est, ut corrigatur, quia bonum illius spirituale bono famae praeponderare debet. Unde etiamsi in dicto casu iurasset illud observaturum, adhuc illud revelare poterit, quia cum ad hoc lege caritatis teneatur, non potest per iuramentum, quod vinculum non est iniquitatis, obligari ad oppositum». Sic Salmanticenses ‘.

273 *c. v.*— Galenus, peritissimus medicus, herbam potentissimam cognoscebat ad coercendum fluxum sanguinis. Secretum Laelio amicissimo unice communicavit, sub eiusdem secreti servandi promissione. Mortuo Galeno, Laelius, qui solus secretum cognoscit, vellet ad publicam utilitatem secretum manifestare et dubium suum confessorio proponit.

Sol.— Ad hunc casum Bucceroni: «Videtur quod Laelius possit praedictum secretum manifestare. Ratio est, quia ex manifestatione nullum sane damnum Galeno provenire potest, imo bonum, nempe laus et honor pro ipso. Neque vero cuilibet alteri huiusmodi damnum potest provenire, cum Laelius solus secretum cognoscat. Unde, facta ipsi eiusdem secreti communicatione a Galeno, ipse nunc absolutus dominus est huius secreti. Quare potius videretur contra caritatem esse non communicare salutare omnibus remedium» ¹.

XX. SECRETUM OFFICII

Doctrina.

274 Secretum officii sive professionale distinguitur profanum et conscientiae, prout ideo committitur alicui ut

¹ Salmanticenses Mor, tr 13, de restitutione, c. 4. n. 82.

⁵ Bucceroni, *Casus Conse.*, I, 88/2, ed. 1913.

committens ab eo iuvamen habeat, puta solatium vel consilium, in temporalibus aut in spiritualibus negotiis. Hoc alterum est duplex: sacramentale sive confessionis et extrasacramentale seu quasi sacramentale.

«Sacramentale sigillum inviolabile est» (can. 889 § 1). Unde Prümmer: «Confessarius cognoscens ex confessione aliquem esse proditorem patriae, non potest hoc manifestare» \

Lex, contra, secreti extrasacramentalis exceptiones quasdam admittit.

At secretum etiam profanum obligat ex pacto seu contractu oneroso, ideoque ex iustitia; ergo sub gravi, ex genere. Vel abstractione facta a iuramento fortasse superaddito, secretum commissum officiali ad causas publicas obligat prae illo quod committeretur perito ad privatas causas; sic consilarii Status prae consiliariis civium silentio sunt adstricti: bonum enim reipublicae divinius, prout fert axioma. Sed quia bonum commune postulat ne civibus desit opportunitas adiutorium petendi quo saepius indigent, hoc secretum profanum urget prae simpliciter commisso¹; quapropter et societas, tum ecclesiastica tum civilis, illud protegit eiusque violatores severe punit.

Prout Vermeersch tamen iam animadvertit³, nimis 275 frequenter ampliantur huius secreti limites; hinc medici catholici possunt has normas sequi, ne minore fiducia quis ad probos quam ad improbos medicos recurrat. Immo, quia non raro secretum violantibus grave damnum

¹ Prümmer. *Th. Mor.*, III, 446. ed. 1928.

² «Advocatus, cognoscens labilem esse fortunam sui clientis, nequit admonere proprium fratrem suum, clientis creditorem. Medicus, advocatus, quibus ad consilium capiendum revelantur matrimonii impedimenta. nequit ea parochio revelare. Officialis, cui committuntur secreta Status, ne mortis quidem timore obligatione secreti liberatur» (Marc, *Inst. Mor.*, I, 1187, ed. 1927).

³ Vermeersch, *Th. Mor.*, II, 699, ed. 1928.

imminet ex multorum praeiudiciis et tribunalium rigurosa praxi, permittitur medicis ut silentium quod licite frangerent religiose teneant. «Sed curandum est ut haec exaggerata et nociva severitas in secreto professionali servando, in mente medicorum immo et nonnullorum theologorum, ad rationabiles limites reducatur. Non enim urgeri potest ratione boni communis (quod argumentum est ad probandum rigorem secreti professionis) severitas qua plures nebulones facile abutuntur ad innocentes decipiendos. Quae immunitas in ordine ad scelus patrandum quomodo faveret bono communi, plane nos fugit... Insuper licentia loquendi quam iuxta vera principia medico vindicamus, neminem probum impedit a secure consulendo medico, immo ne ipsum quidem contagioso morbo affectum, nisi per summam iniuriam velit alteram partem decipere, quo casu nulla consideratione dignus est»¹.

276 Cum secreti professionalis observantia valde pertineat non ad privatos tantum qui secretum communicant, sed ad rectum quoque et liberum muneris exercitium illorum quibus communicatur, ideoque ad bonum publicum et commune, liquet secretum huiusmodi prae secreto urgere simpliciter commisso (cf. 263). Hinc quoties timetur ex eius custodia damnum grave (cf. 264), oportet aequali lance perpendere utrum quod ex eius violatione impendit non sit adhuc gravius.

Disputant quidem Auctores quoad casum in quo damnum imminens innocenti non provenit ex facto secretum committentis, an, v. gr., qui ex Titii revelatione hunc novit homicidam advocatus valeat secretum prodere ut Sempronium liberet ab imminente poena quem alii accusarunt de homicidio; secretum urgent aliqui propterea quod Titius ipse, cum iniustus non sit aggressor—sed

¹ Genicot, *Casus Conse.*, 217, ed. 1928.

causa tantum per accidens condemnationis falso accusati—, se prodere non cogatur; opponit autem Prümmer¹ quod etsi Titius non teneatur semetipsum prodere—quia non adstringitur praeferre vitam Sempronii vitae propriae—, ille tamen cui secretum commisit tenetur praeferre vitam tertii innocentis vitae tertii noxii.

Sunt attamen concordantes quoad casum in quo damnum imminet innocenti ab ipso qui secretum commisit; sic qui ex Titii revelatione sciret advocatus eum esse homicidam posset secretum prodere ad Sempronium salvandum quem Titius accusat de homicidio; medicus quoque, qui noverit ex officio sponsum syphili laborare quem nequiret a nuptiis amovere, posset rem sponsae revelare²: qui secretum enim commisit fit iniustus aggressor, contra quem et licet innocenti se defendere secreti exploratione, et licet ceteris defendere innocentem secreti prolatione.

Licet, inquam, quin medicus continuo teneatur: non enim obligamur ad sublevandam proximi indigentiam cum pari nostro incommodo; iure autem non raro timet medicus ne, secretum officii manifestans, amittat qua indiget fiduciam privatorum, patrocinium legum, libertatem, officium.

Licet, denique, dummodo damnum per revelationem avertendum proportionatum sit nocumento ex revelatione secuturo; et cauto quod revelatio fiat cum quam minimo fieri valet eius qui secretum commisit damno, ideoque ne plura manifestentur quam opus sit, nec pluribus quam postulat negotium, nec, pro posse, antequam iniustus aggressor moneatur, si spes effulget monitum ab aggressionem iniusta recessurum.

¹ Prümmer, l. c., II, 180, ed. 1928.

² Merkelbach, *Th. Mor.*, II, 855, ed. 3.

Causa prius.

278 Valerius, conviciis atque maledictis haud semel ab eius uxore Caecilia, quae amoris aemulas timet, lacesitus, post innumera iurgia, post verbera, post minas, litem tandem ei intendit ut legalem separationem a iudice obtineat.

At Caecilia, quae ob nonnulla indicia maritum morbo venereo laborare iam diu suspicabatur, ut firmis posset argumentis perditos eiusdem mores in iudicio convincere, a medico, quo Valerius plerumque utitur, enixe petit velit et infirmae mariti valetudinis causam ei aperire et argumenta quae testimonio apta sint saltem innuere.

Medicus vero, prius reluctans, postea haesitans, at tandem importunis Caeciliae precibus fatigatus eiusdemque gemitibus aliquantulum commotus, flagitatas notitias, nonnullis exactis pro sua securitate cautionibus, pandit.

An licite medicus.

Solutio

279 Ex Casu littera diceret medicum peccasse subjective: eius enim tardiloqua indulgentia, quam precibus tribuit et gemitibus, quamque negavit innocentiae, videtur innuere erroneam medici conscientiam. Potuit attamen se morosum ostendere quia revelationem, etsi licitam noverit, sciebat non esse obligatoriam, ideo quod gravi se infamiae committebat aut poenae incommodo. Sed objective rem consideremus.

Porro si Caecilia rogaret medicum victima zelotipiae aut iudicii ex levibus indiciis temerarii, is non haberet ius ut proderet secretum: illa siquidem prior aggressionem incepit, eamque iniustam; sibi ipsimet tribuat si

vita maritalis iam intolerabilis effecta sit; maritus in foro externo est innocens.

Si tamen, uti ex signatis negotii adiunctis coniecturare licet, iam obtinuit Caecilia moralem certitudinem, collectam ex amoris significatione ad alias feminas et amoris vacuitate ad propriam, ex indiciis insuper syphilis contractae, tunc unus Valerius venit aggressor certo iniustus, aggressionem prosequens dum vitam conjugalem reddit miseram et consummare attentans dum requirit a iudice separationem seu divortium; ipse qui accusat innocentem coniugem quasi auctorem damni; ipse qui parat innocenti adversam eamque gravem sententiam iudicis. Licet igitur medico, si Valerium nequeat avertere a pravo suo proposito, syphilim quam ex officio novit revelare. Si quid revelationi obstaret, id nocumentum commune dixeris, Valerii aut proprium. Commune tamen, non; prouti supra aperuimus. Valerii damnum haberi nequit protrahenda matrimonialis vita et cohabitatio; infamia autem, si res ad iudicem delata redderetur notorietate iuris notoria, praeterquam ut plurimum iam est facta publica —perspicaces sunt enim ad vetitos amores advertendos profani oculi—, nequit tanti aestimari quanti innocentis coniugis infamia. Proprium, denique, nullum, cum cautiones iam medicus exegerit pro sui securitate. Sed nec plura videntur manifestata fuisse quam necessarium erat ad inculpatae tutelae servandum moderamen.

Alii casus.

C. II.—Fabricius anteactae vitae accuratam exhomologesim facturus, nonnulla de culpis a se commissis cum amico communicavit in re morum probe versato, ut ab eo consilium caperet de modo illa confitendi. Tene-turne hic amicus sacramentalis sigilli obligatione?

Sol.— «Negativam sententiam probabiliorem reputat S. Alfonsus. Talis enim sigilli obligatio non oritur nisi ex confessione sacramentali, saltem inchoata, in qua nempe paenitens peccata sua confessario exponit ut ab iis postea per ipsum absolvatur. Verum nulla sacramentalis confessio occurrit, ne inchoata quidem, cum culpaesolum produntur consilii capiendi causa, non autem absolutionis ab ipsomet confessario subinde obtinendae. Nec valet (quis) obicere confessionem reddi odiosam, si ad sacramentalis sigilli vinculum non obstringatur consiliarius... Nam periculum ne consiliarius manifestet sibi concredita ab eo qui est confessurus, per se quidem fideles retraheret a consulendis aliis praeter ipsummet confessarium, non vero eos retraheret a confessione facienda. Aliud porro est effici odiosam confessionem, aliud invisam reddi consultationem de qua est sermo». Ita cl. Palazziniⁱ.

282 C. II.— Quid agendum si quando secretum extrasacramentale vel revelandum vel adhibendum urgeat ad aver-tendum damnum grave, maxime commune?

Sol.— «Generatim prius moneatur consiliarius de sua obligatione damnum illud praecavendi per spontaneam secreti manifestationem vel adhibitionem; quo renuente bene perpendatur annon in casu gravitas damni de quo agitur postponenda sit gravitati illius damni communis, quod oritur ex eo quod vel apparenter hac in re fides frangatur». Sic Aertnys-Damen².

283 C. IV.— Damianus, medicus, vocatur a Sempronio ut huius filium Didacum examinet, videatque an syphili infectus sit. Suspiciatur enim Sempronius de filio ne forte cum meretricibus fuerit conversatus et luem contraxerit.

ⁱ Apud Palazzini-De Iorio, *Casus Conse.*, I. 221.

² Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I, 1004, ed. 1939.

Id revera accidisse constat Damiano, cui iam antea Didacus rem aperuerat remedii quaerendi causa. An et quatenus Damianus Sempronio aperire possit aut debeat morbum Didaci?

Sol.— Ad hunc casum Ferreres: «Si in his et similibus casibus medicus examen infirmi peragat ex parentis mandato, huic aperire poterit ac debebit quidquid ex examine iussu patris rite peracto cognoscat; non vero illud quod ex infirmi narratione tantum sciat. Ratio primi est, quia parentes ius habent subiciendi filium medici examini ut filii sanitati corporali aut etiam spirituali prospicere possint; immo et valetudini totius familiae, quae in discrimen adduci poterit ex tali lue contagiosa. Ergo ius habent cognoscendi id quod ex huiusmodi examine eruatur. Ratio secundi est, quia quae ex sola infirmi narratione medicus cognoscit, constituunt secretum commissum, quod manifestare nequit sine gravissima causa, quae hic non adest. Unde si filius secreto accedat ad medicum et huius examini se subiciat, hic nihil dicere poterit parentibus hac de re interrogantibus; nisi iubeant examen peragere, ut supra dictum est. Si vero rem parentibus occultando nullum grave detrimentum sequatur, poterit medicus, etiam peracto de mandato parentum examine, rem ipsos celare» *

C. V.— Sertorius medicus a quadam societate assecurationis *super vitam* rogatur ut Caio, huius modi assecurationem inire cupienti, testimonium de eiusdem sanitate praebeat. Verum, cum Caius soleat in omnibus infirmitatibus suis ad Sertorium recurrere, hic novit illum occulta laesione cardiaca infici, e qua probabilius praematura mors secutura sit. Hinc anxius secum quaerere coepit Sertorius num sibi liceat secreto, quod e munere suo didi-

284

1 Ferreres, *Casus Conse.*, I, 547, ed. 1926.

cerit, uti cum magno detrimento clientis sui, quippe qui, ubi e medici testimonio hunc morbum cogniturus sit, vehementi terrore percellendus praevideatur.

Sol.— Respondet Genicot: «Per se nequit Sertorius revelare secretum a Caio commissum ubi ab eo de eius sanitate consultus est: nudus enim recursus ad societatem assecurationis continet quidem consensum Caii ut a medico quodam, pro statutis harum societatum, examine- tur, minime vero implicite continet consensum ut a medico suo habituali manifestetur quidquid ille per longum clientis sui usum didicerit. Excipiendus tamen est casus duplex: alter, si Caius ab alio medico quam a Sertorio examinari recusat, siquidem ita manifeste consentit ut sinceram existimationem suam de sanitate clientis sui directoribus societatis tradat; alter, si morbus manifestandus tam clare se prodat ut nullum medicum medio- criter diligentem latere queat, quia tali manifestationi consentit Caius eo ipso quod assecurationem super vitam sumere vult».

XXI. SUSURRATIO

Doctrina.

285 Dum prolatione mali detractor famam intendit minuere, susurro bilingui¹ etiam, prolatione eorum quae possunt animum unius turbare contra alterum, amicitiam mutuam conatur solvere.

Susurratio est peccatum gravius detractio: infert enim maius nocumentum, cum nihil sit in temporalibus amico comparabile. Pulchre, quem ad modum et proprie,

¹ Genicot, l. c., 215.

^s «Bilinguis proprie dicitur susurro. Cum enim amicitia sit inter duos, nititur susurro ex utraque parte amicitiam rumpere: et ideo duabus linguis utitur ad duos, uni dicens malum de alio» (S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II. 74, 1, 3m).

D. Thomas: «Inter mundana omnia nihil est quod amicitiae dignae praeferendum videatur. Ipsa namque est, quae virtuosos in unum conciliat, virtutem conservat atque promovet. Ipsa est qua omnes indigent in quibuscumque negotiis peragendis, quae nec prosperis impertune se ingerit, nec deserit in adversis. Ipsa est quae maximas delectationes affert, in tantum ut quaecumque delectabilia in taedium sine amicitia vertantur. Quaelibet autem aspera, facilia et prope nulla facit amor»

Susurrationis peccatum est, ut plurimum, contra iustitiam: ad dissolvendam etenim amicitiam susurro plerumque utitur vi, dolo, mendacio, detractioe, mediis videlicet iniustis. Ad amicitiam namque, etsi nulli sit ius, ius tamen est cuilibet ne per iniusta media aut privetur amicitia habita aut impediatur ab amicitia concilianda. 286

Si quis autem utatur mediis non iniustis, precibus ut puta vel suasionibus immo narratione defectuum qui comparti iam sunt apprime noti, non peccaret quidem contra iustitiam—cum amicitia sit bonum gratuitum—, at peccaret contra caritatem ¹ et ex dictis quidem gravius

¹ S. Thomas, op. *De regimine principum*, seu *De regno*, I, 10.—«Inter quae (necessaria sunt vitae humanae) maxime necessarium est amicitia: intantum, quod nullus bene dispositus eligeret vivere cum hoc, quod haberet omnia alia exteriora bona sine amicis. Uli enim, qui maxime possident exteriora bona, scilicet divitibus et principibus et potestatibus maxime videntur esse necessarii amici... Nec solum in bona fortuna sunt utiles amici, sed etiam in contraria. Quia in paupertate homines existimant amicos esse singulare refugium. Sic ergo in omni fortuna amici sunt necessarii. Similiter est iuvenibus necessaria amicitia, ad hoc quod per amicos cohibeantur a peccato... Senioribus autem sunt utiles amici ad serviendum propter defectus corporales... Illis autem qui sunt in summo, idest in perfecta aetate, sunt utiles ad bonas actiones exsequendas. Quando enim duo conveniunt sunt potentiores. Et in opere intellectualis speculationis, dum unus videt quod alius videre non potest; et ad opus exterioris actionis, in quo maxime unus alii auxiliatur» (S. Thomas, in *8 Ethic.*, lect. 1, n. 1539 s.(ed. Pirotta).

² «Facere discordiam per quam tollitur bona concordia quam caritas facit, est grave peccatum; unde dicitur, *Prov.* 6 (16): *Sex sunt quae odit*

detractore nam «amico fideli nulla est comparatio» (Eccli. 6, 15).

Casus primus.

287 Elvira plane percipit Sempronium, quem amasium habebat, amore Caeciliae captum esse. Ut sibi illum recuperet, mittit ad eum litteras anonymas quibus et revelat Caeciliae occulta vitia et alia quae nullatenus vera sunt Caeciliae imponit. Veniens pro confessione Elvira haec omnia pandit.

Quaeritur:

- 1) Num iniuste egerit? et quatenus affirmative.
- 2) Ad quam restitutionem teneatur.

Solutio

288 Ne casum difficultatibus cumulemus, supponimus:
a) amicitiam et matrimonium cum Caecilia unam habere honestatem et parem afferre Sempronio eiusque coniunctis et concivibus utilitatem quam habuit et afferret amicitia et matrimonium cum Elvira; *b)* amicitiae et matrimonio Sempronii cum Caecilia non obstare Elviram ex invidia—quasi tristatam de Caeciliae sorte—, immo nec ex vindicta—quasi vellet Sempronium infidelem sibi nullam aliam obtinere sponsam aut saltem nullam tam egregiae indolis—, sed obstare dumtaxat prop-

Dominus, et septimum detestatur anima eius, et hoc septimum ponit (v. 19] eum qui seminat inter fratres discordias» (S. Thomas, Summa Theol., II-II, 37, 1. 2m).—«Licet susurratio formalis, quae scilicet intendit separationem amicitiae, sit mortale peccatum ex suo genere, materialiter tamen non est mortale. Posset tamen esse mortale, sicut de detractioe dictum est: quando scilicet culpabiliter homo ad utramque partem sic loquitur ut inferat divortium amicitiae, nec de hoc curat. Hoc enim est peius quam notabiliter laedere honorem aut famam proximi praeter intentionem» (Caietanus, in II-II, 74, 2, n. 2).

ter proprium commodum «ut sibi illum recuperet»;
 c) amicitiam Sempronii cum Caecilia esse incipientem, nam praeterquam ipsam Elvira modo dumtaxat percipit, amicitia iamiam protracta nec spem gigneret de Sempronii reditu nec huius aleret vehemens Elviraе desiderium. His positis.

Ad Ium.—Quaestio est: Habetne ius Elvira ad Caeciliae diffamationem ob Sempronii amicitiam recuperandam? Sed una quae iustam redderet diffamationem est Elviraе defensio, moderata, contra Caeciliae iniustam aggressionem. Casus ergo duplex: 289

Si Elvira habebat ius strictum ad matrimonium cum Sempronio, quia intercessit, v. gr., promissio seria, valida atque vicens, tunc ius hoc strictum Caecilia quidem iniuste aggreditur si calumnia vel detractioe induxit efficaciter Sempronium ad infidelitatem erga Elviram, nam positive cooperata est Sempronio ad iniustitiam. At Caecilia non aggreditur iniuste si precibus, suasionibus, blanditiis, etc. Sempronii condescendit: eius cooperatio fuisset negativa, nec tamen munus iustitiae incumbit ipsi ut Elviraе impediatur nocumentum.

Etsi Elvira non habeat ius strictum ad matrimonium cum Sempronio, quoniam non intercessit, v. gr., promissio seria, valida et vicens, habet attamen ius strictum ne a matrimonio quod sperat impediatur mediis iniustis. Porro hoc ius Caecilia aggreditur iniuste si calumnia aut detractioe media Sempronium elongat ab Elvira; non tamen aggreditur iniuste si precibus, suasionibus, blanditiis, etc., avertit Sempronium ab Elvira; a fortiori, si ipsa dumtaxat precibus et suasionibus Sempronii condescendit, eius capti pulchritudine et bonitate animi.

Quandiu Caecilia fuerit et permaneat in aggressoribus iniustis, Elviraе licet defendere ius suum, non quidem calumnia—iniusta semper—, at revelatione vitiorum oc-

cultorum, v. gr., ad debilitandam calumniam vel detractionem quibus facta est aggressio; cauto semper quod damnum per revelationem evitandum proportionatum sit nocumento per ipsammet illato, et cauto quod nullum sit aliud medium minus noxium, et supposito quod ista revelatio praevideatur efficax fini intento. Ideo, pro posse et pro spe cessandi a vexatione, monere debuit primo Caeciliam ut ab illa abstineret aggressione nisi vellet incurrere graviora mala.

Quandiu Caecilia non fuerit et permanserit in aggressoribus iniustis, non licet Elvira defendere ius suum contra Caeciliam, huius occulta vitia revelando; licet attamen defendere ius suum contra Sempronium, qui infidelis si fuit promissis tenetur quoque de damnis.

290 *Ad Ilum.*— Si calumniae fuit fides adhibita aut est in posterum adhibenda, calumnia est retractanda, etiam cum periculo famae propriae. Si iniustae revelationi vitiorum occultorum fides pariter fuit tributa aut in posterum tribuenda foret, diffamatio quoque est reparanda, si reparari potest—nequit autem si veritas iam patet, etsi occasione detractionis investigatio fuerit inchoata—. Excipiunt Auctores casum quo calumniam et iniustam diffamationem ex parte Elvira praecesserit calumnia et iniusta diffamatio ex parte Caeciliae: haec enim, donec illi satisfaciatur, non videtur rationabiliter exigere ut sibi satis fiat.

Quoad damna materialia quae ex calumnia et iniusta detractione Caeciliae obveniunt, tenetur Elvira illa proculdubio compensare quorum fuit iniusta et efficax causa; haec damna erunt maxima ubi Caecilia iniuste diffamata apud plures, neminem inveniat quem nubat, nisi inferioris forte condicionis; non tamen videtur esse magna ubi Caecilia iniuste diffamata apud Sempronium ab hoc, in exordiis amicitiae, deseratur: agitur enim ami-

citia incipiens, cuius perseverantiae et boni exitus spes nondum est magna. Nec ab his damnis compensandis Elyiram excusarem ideo quod dubium sit utrum originem duxerint ex calumnia potius quam ex iusta revelatione occultorum vitiorum: ipsa siquidem Elvira est causa huius incertitudinis.

Quoad modum calumniam et iniustam diffamationem reparandi, optimum erit si Elvira novas scribat litteras Sempronio, eadem quidem manu at pariter anonymas, eum rogans simpliciter ne ullam fidem adhibeat praevis litteris, utpote plenis mendaciis et ineptiis. Maxime ubi hae litterae forent inefficaces, confessarius proponat Elvirae hoc aliud medium: alloquendi Sempronium per matrem aut amicum qui ipsi explicent vim zelotipiae muliebris et vim amoris quo ducuntur non raro puellae in eos quos sibi in matrimonium vellent. Confessarius tamen, nisi agatur de amasio religioso et valde prudenti, melius abstinet ab hac commissione suscipienda. Sed opportune susciperet commissionem de damnis materialibus compensandis.

Alii casus.

C. II.— Sic Martinus confessario alloquitur: Desidero 291
amicitiam unius, et non possum obtinere illam nisi dirimam illum ab amicitia alterius; sicut, v. gr., rex inter servos habet aliquem intime amicum et privatum, et ego vellem obtinere illam amicitiam apud regem, et non possum nisi dirimendo amicitiam quam habet rex cum illo. An causa utilitatis meae liceat illum amicum dirimere ab amicitia regis.

Sol.— Ad haec Vitoria: «Respondetur primo, quod per detractionem non licet hoc facere dicendo falsa et maledicendo de illo ipsi regi. Secundo dico, quod si non facerem detrahendo nec maledicendo nec absque ratione et

causa, sed asserendo veras causas et verba honesta, tunc procurare dirimere illam amicitiam inter illos saltem non est peccatum mortale. Patet, quia talis qui hoc facit, utitur iure suo: licet enim procurare sibi illud bonum» \

292 C. III.—Cum Eugenia videret Porphyrium, quem sibi sponsum vellet, Flaviana amore captum, se gratiosorem Porphyrio ostendit ut, sensim sine sensu, eum sibi devinciat.

Sol.—Non est ideo carpenda Eugenia. Nam si verbo S. Ambrosii, «nec filiis resecare debemus studium plus placendi» 1, id non debemus resecare ceteris. Cauto tamen quod inhonestum nihil ut medium assumatur. Porro gratiosorem se ostendere puellam unam prae alia nihil dicit inhonesti.

293 C. IV.—Alexius quidquid mali de aliis audit, in familiari cum amicis et sociis suis conversatione, aliis statim solet referre. Hinc fit, quod discordiae et dissensiones inter amicos et socios nascantur, et cum nullus audeat aliis manifestare causam propriae displicentiae, Alexius facile omnium amicitia et fiducia gaudet, et omnibus despotice dominatur. Propriam Alexius malitiam advertens saepe confitetur se detraxisse famae proximi, addens tamen rem fuisse parvi momenti, et risus potius ac ioci causa, quam animo malevolo. Unde facile absolutionem recipiens paenitentiae et eucharistiae sacramenta frequenter recipit.

Sol.—Ad hunc casum Bucceroni: «Alexius inter susurrone est recensendus, hominum genus abominandum, siquidem secreto seminant inter fratres et amicos discordias. Quot malorum sint causa susurrone in familiis, in collegiis, in seminariis, in religiosis communi-

1 Victoria, in U-11, 74, 2, n. 5. ed. Beltrân de Heredia.

2 S. Ambrosius, De Joseph, patriarcha, c. 2; PL. 14, 675.

tatibus, haud facile dici potest. *Susurro et bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes.* Eccli. 28, 15. SuffICIENTER autem Alexius, per se loquendo, suum peccatum, vel potius continua sua peccata, non confiteatur. Peccatum enim leve non est, sed grave, licet forte materia detractionis levis sit, ratione nempe pravi effectus graviter mali et nocivi, i. e. gravis displicentiae ingentiae in animis suorum amicorum et fratrum contra amicos et fratres, et gravis dissensionis et discordiae inter ipsos exortae» \

C. V.—An causare discordiam inter eos quos mala 294 coniungit amicitia sit necne licitum?

Sol.—De his Angelicus: «Delectantur maxime in pravis operibus. Et in his sibiinvicem communicant. Et cum sint instabiles, semper de malo in peius procedunt, quia unus efficitur malus accipiendo similitudinem alterius»¹ Et ideo: «Causare discordiam per quam tollitur mala concordia, scilicet in mala voluntate, est laudabile»³; dummodo tamen quis abstineat ab illicitis mediis, cum non sint facienda mala ut eveniant bona.

XXII. USURA IN MUTUIS

Doctrina.

Mutuuum definitur: Commutatio voluntaria in qua res 295 primo usu consumptibilis alicui traditur cum obligatione rem similem—eiusdem speciei et bonitatis nempe—suo tempore reddendi. In rebus primo usu consumptibilibus pecunia computatur, quod inventa fuerit ad expeditiorem

¹ Bucceroni, *Casus Conse.*, I. 87/5, ed. 1913.

² S. Thomas, in *9 Ethic.*, lect. 14, n. 1950, ed. Pirotta.

³ Id., *Summa Theol.*, II-II, 37, 1, 2m.

commutationem illarum rerum et quod eius primus usus sit translatio seu alienatio, ideoque, quod ad dantem pertinet, corruptio.

Mutuum propterea differt: a donatione, qua res (consumptibilis necne primo usu) alicui traditur absque ullo restitutionis onere; a commodato, quo res primo usu non consumptibilis alicui traditur cum onere restitutionis eiusdem individuae rei; a venditione et permutatione, quibus res tradita non est reddenda in eadem specie, sed redditur v. gr. pecunia vel oleum pro frumento; a contractu societatis, denique, quo qui pecuniam confert retinet pecuniae proprietatem, eius quantumvis usus seu utilitas veniat communis sociis.

296 Mutuum concedens vocatur *mutuans* vel *mutuator*; mutuum recipiens vocatur *mutuatarius*; pecunia quae mutuataro traditur a mutuante sive mutuatore dicitur *sors* vel *capitale*.

Mutuum distinguitur: gratuitum, quod conceditur sine alio onere praeter onus restitutionis rei similis ipsi rei mutuatae; et onerosum, quod non conceditur nisi sub onere superaddito, pretio aestimabili. Hoc onus superadditum, lucrum videlicet seu emolumentum, vocatur hodie *fenus*, *auctarium*, *interesse*; antiquitus vocabatur *usura*—quo quidem nomine nostris hisce diebus unum venit *fenus immoderatum* sive *iniustum*, et ideo dicimus *usurarios* qui *fenus immoderatum* seu *iniustum* exigunt.

Licet enim in doctrina D. Thomae | simul atque Ecclesiae, mutui contractus, «quod suapte natura tantumdem dumtaxat reddi postulat quantum receptum est» (Denz. 1475), veniat contractus gratuitus et ideo non permittat lucrum ratione seu titulo ipsius mutui, quapropter in Codice I. C.: «Si res fungibilis ita alicui detur ut eius fiat et postea tantumdem in eodem genere restituatur,ⁱ

i S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 78, 1.

nihil lucri, ratione ipsius contractus, percipi potest» (can. 1543), adsunt tamen non raro tituli mutuo extrinseci «ex quibus iusta omnino legitimaque causa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam rite exigendi» (Denz. 1477).

Hi tituli, mutuo extrinseci, recensentur damnum emergens, lucrum cessans, periculum sortis, poena conventionalis et lex civilis.

Et fenus quidem legale, seu sancitum civili lege, moderatum praesumitur, nisi contrarium constet. Hinc Codex I. C.: «In praestatione rei fungibilis non est per se illicitum de lucro legali pacisci, nisi constet ipsum esse immoderatum» (can. 1543). Fenus quoque vulgare—ad communem aestimationem atque proborum consuetudinem—, cum consuetudo iuxta legem sit optima interpretis legis et consuetudo contra legem abroget legem aut saltem legi deroget. Conventionale fenus non praesumitur moderatum si legale atque vulgare excedat; potest tamen moderatum esse «si iustus ac proportionatus titulus suffragetur» (can. cit.), extraordinarium puta damnum emergens, lucrum cessans, sortis periculum—lex enim datur secundum communiter contingentia; communis pariter aestimatio fit secundum ea quae communius accidunt.

1 «Licet in mutuo taxam legalem (vel vulgarem) excedere, si haec sit minor eo quod ob titulos communes percipere liceret. Iustitia per se id prohibere non videtur, dummodo *evidenter* adsint tituli ad excessum auctarii et *praemoneatur mutuarius*... Dicitur: a) *iustitia... id prohibere non videtur*; nam saepe id vetat caritas, si nempe mutuarius tali auctario facile opprimatur, atque in miseriam conilcitur; b) *per se*; nam per accidens id prohiberi potest, etiam ratione iustitiae, v. gr. accedente sententia iudicis reducente auctarium ad taxam legalem; c) *dummodo evidenter adsint tituli*; pergrande enim est periculum hallucinationis, cum possidendi cupiditas sibi facile excogitet titulos, qui plane deficiunt; d) *dummodo praemoneatur mutuarius*; secus enim non videtur consentire in excessum» (Marc, *Inst. Mor.*, I, 1112, ed. 1927).

Casus primus.

298 Claudius dat Sempronio mutuam pecuniam in negotiatione quadam adhibendam, ea condicione ut sibi, loco soliti fenoris, dimidia pars lucri tribuatur. Ita rebus feliciter a Sempronio gestis, Claudius obtinet 25 % tamquam lucrum pecuniae abs se mutuo traditae.

Parochus, cum hoc audivisset, contendit tantum lucrum a nota usurae eximi non posse, idemque illicite a Claudio servari.

Num recte parochus?

Solutio

299 Suppono fenus 25 % multum exsuperare fenus sive legale sive vulgare quod homines probi atque domus bancariae honestae solent in illa petere regione quam Claudius et Sempronius inhabitant. Est ergo fenus conventionale.

Suppono quoque fenus illud licitum esse posse ubi ageretur contractus societatis, si scilicet aequalitas servetur, seu si lucra pariter atque damna inter socios distribuuntur pro rata rei a singulis collatae; si Claudius igitur dat totam pecuniam adhibendam in negotiatione, Sempronius autem operam dumtaxat seu industriam; et ille insuper, sicut exigit dimidium lucri, exponat quoque periculo sortem sive pecuniam suam. Si vero Claudius non det nisi portionem pecuniae pro negotiatione necessariae, Sempronius, contra, aliam portionem et ulterius operam seu industriam, tunc contractus habendus est illicitus.

300 At dum agitur contractus mutui, uti videtur¹, quo-

¹ Ita etiam Ferreres, *Casus Conse.*, I, 1195, ed. 1926.

niam contractus societatis minime fuit initus, tunc: a) Si Claudius non confert nisi portionem pecuniae pro negotiatione necessariae, contractus est illicitus: si enim praeter Claudium haberemus alium mutuatores, Caium utputa, et hic exigit quantum ipse, quid lucri erit Sempronio instar fructus industriae? b) Si tota pecuniae summa necessaria ab uno Claudio traditur et adest revera nullus extraordinarius titulus, sive lucri cessantis sive damni emergentis, liquet Claudium non nisi iniuria ad alterutrum titulum confugere, c) Favetne extraordinarium sortis periculum? Casus hic facilis, cum alias Sempronius peteret et obtineret mutuum pro minore fenore tum a viris probis tum a domo bancaria honesta; attamen non obtinuit, forsitan neque petiit.

Sufficeretne ad exigendum dimidiam partem lucri 301 quod ipsum quaecumque lucrum non sit certum? Asserit Genicot \ quoniam Claudius se tunc exponit ut nihil lucretur qui tamen poterat, dans pecuniam domo bancariae, recipere lucrum certum 4 %. «Quamquam in hypothesis, habet Genicot, felicissimae negotiationis plus solvere debuit quam solitum fenus, haec obligatio plane compensatur securitate nihil plane solvendi pro mutuo si negotia infelicem exitum habent, vel minus quam solitum fenus, si lucrum exiguum sit». At inter lucrum certum ut 4 % et lucrum incertum ut 25 % nullam puto proportionem esse: peteretur namque fenus pro fenore, et quidem fenus 25 % pro incerto fenore 4 %.

Nisi igitur adfuerit extraordinarium atque proportionatum damnum emergens, lucrum cessans, sortisve periculum, iure contendit parochus, mea et (ipso Genicot fatente) gravium Auctorum sententia, auctarium tale a nota usurae eximi non posse, idemque a Claudio illicite servari.

302 c. II.—Dives quidam iudaeus ingredi vult catholicam Ecclesiam; timet autem ne ob receptam doctrinam theologorum cogatur pecuniis valedicere partim hereditate et partim industria sua acquisitis, nam ipse pariter ac maiores exercuerunt usuras in Christianos, lege mosaica licitas, cui bona prorsus fide subdebantur.

Sol.—Pro D. Thoma: «Quod (iudaei) ab extraneis usuram acciperent, non fuit eis concessum quasi licitum, sed permissum ad maius malum vitandum»¹, haec autem permissio non faciebat usuram licitam sed impunitam lege mosaica iudaici populi². Immo: «Per quod (vetitum scilicet factum iudaeis accipiendi usuram a suis fratribus) datur intellegi quod accipere usuram a quocumque homine est simpliciter malum: debemus enim omnem hominem habere *quasi proximum et fratrem*»³. At sicut dari potest ignorantia invincibilis de malitia fornicationis cum lege permissis meretricibus (I, 319), sic de usurae malitia ubi lex permisit usuras.

Praeterea, etsi illicitum veniat omne lucrum pro pecunia mutuata seu vi mutui, aliquod lucrum licitum est ob titulos extrinsecos mutuo; fenus legale utputa, hodierna civili lege sancitum. Hoc ergo lucrum quod dives noster fecit et maiores fecerunt potest sibi servare.

Sed agitur quoad huius lucri excessum possessor bonae fidei—putabat enim dispensationem mosaisam validam et hucusque vigentem—; qui propterea facile a restitutione liberatur ob praescriptionis privilegium (cf. 100 ss.). Teneretur ergo ad restitutionem eius lucri illiciti quod fuit recens perceptum, nam incompleta prae-

1 S. Thomas, l. c., 2m.

2 Id., lb., 3m.

2 Id., lb., 2m.

scriptione hoc lucrum manet sub dominio mutuatariorum et clamat mutuatarios. Hoc unum foret ex iustitia reddendum.

Forsitan et aliquid plus ex caritate, ubi agatur de usurario aestimatione publica: facile enim scandalum contingeret si nihil aliud restituit. Sed cum huiusmodi restitutio non sit debita mutuataris, satis erit si pauperibus Christianis fiat, ita ut omnis praeterita avaritia compensetur coram fidelibus nova et egrfegia caritate.

C. III.— An sit usura si mutuataris, praeter iustum fenus, aliquid sponte addit ob timorem ne alias mutuum sibi denegetur. 303

Sol.— «Negative, quia ad usuram requiritur ut lucrum in pactum, sive explicitate sive implicite, deducatur; quod in casu non verificatur: agere enim ex timore non est agere ex contractu». Ita Fanfani

C. IV.— Roberta solet adire civitatem pro mundinis hebdomadariis ut ibi vendat, nec sine quaestu, cupedias seu electuaria. Ut haec sibi procuret, in pervigilio petit a Teophila mille francos, quos Teophila ipsi mutuatur hac condicione ut scilicet altera a mercatu die reddat sibi fr. mille et centum. Post multum vero temporis, Teophila incipit dubitare de sua agendi ratione, an sit necne usuraria. 304

Sol.— Affirmative, certo certius; nam exigit auctarium longe superius eo quod civilis lex atque mitiores morallstae permittunt pro mutuo etiam non communito bonorum immobilium hypotheca: exigit enim lucrum decem pro centum, non quidem in anno sed in biduo. Sic Ylla a.

1 Fanfani, *Th. Mor.*, II, 441.

Ylla, *Cuestiones eclesiásticas*, I. 85.

C. V.—Servandus, commercium exercens, 15 % aut aliquando plus licite lucratur. Ut negotium suum amplificet, pecunia eget, sed facile non invenit qui illam ei praestent. Tandem pecuniam mutuam a Titio postulat eique sponte sua offert 10 %. Libenter acquiescit Titius, qui a quadam societate bancaria obtinet sine ulla difficultate magnam pecuniae vim solvendo 5 % et praedia sua societati obligans: ait etenim: Ego accipio 10 % a Servando, sed debeo solvere 5 % societati bancariae; ergo mihi tantum restant 5 %, quod est lucrum minus quam quod licite possem exigere. Sed confessarius Titii non probat eius modum agendi nec rationem, eumque obligat ad restituendum 4 %, quoniam viri timorati (ait) 6 % tantum percipere solent.

Sol.—Recte improbat confessarius Titii rationem, quoniam non licet exigere interesse ex duplici titulo, si unus alium includit; ergo si 6 % est interesse iustum, non licet plus exigere quamvis quis pro pecunia sibi mutuata debeat solvere 5 % (sicut si pretium iustum domus tuae sit decem millia aureorum, non potes quindecim millia exigere ideo quod tu eam emisti solvendo novem millia). Neque valet tamen, per se loquendo, ratio confessarii, quoniam potest adesse titulus pro lucro 10 %: fieri enim potest ut negotium Servandi, sicut lucrosum, etiam labile sit, et ideo adsit pro Titio periculum sortis extraordinarium, quod non adest pro domo bancaria mutuante Titio, qui ei sua praedia obligat; quod autem tale periculum pro Titio adsit inde erui posse videtur quod Sempronius facile non inveniat qui sibi mutuare velint. Sic Ferreres l.

C. VI.—Isidorus aromatarius non raro clientibus inopia pressis dat pecuniam mutuam, postulato auctario 10 %. Insuper duas condiciones apponit: alteram, fenus

1 Ferreres, l. c., 1082 s.

solvendum post singulos menses fore tamquam novam sortem, quae et ipsa idem fenus ferat; alteram, mutuatarios omnia quibus indigeant aromata e mutuatoris officina empturos esse.

Sol.— Ad hunc casum Genicot: <1.° Si nullum speciale periculum amittendae sortis imminet, Isidorus, saltem nunc in regione nostra, iniuste postulat auctarium 10 %, quippe quod superet illud quod vulgo postulari solet... Neque ab hac iniuria et excessus illius restitutione excusatur quia gaudenter hanc stipulationem accipiunt mutuatarii: inopia enim pressi homines semper de accepta pecunia gaudent, quamquam (si iniuriam sibi factam intellegunt) iniquas stipulationes non nisi necessitate coacti ratas habent... 2.° Saltem caritati adversatur stipulatio prior, quae, cum maximum onus sub specie tenuis obligationis imponat, apta est ad ruinam inopum consummandam, et quandoque coniungitur cum vera deceptione mutuatarii. Pariter iniqua est stipulatio altera...: nam cum fenore statuto iam plene et amplius compense-tur quidquid ipse eis praestat, nullo titulo novum hoc onus pretio aestimabile iisdem imponit» l.

XXIII. MOMENTUM ET EFFICACIA RELIGIONIS IN VITA MORALI HOMINUM

Doctrina.

Religio est virtus moralis nos disponens ad reddendum cultum debitum Deo, creationis et gubernationis nostrae primo principio. 307

Prouti pietas et observantia, venit in partes potentates iustitiae quod ei deficiat aequalitatis ratio: dum

1 Genicot, l. c., 363.

enim proximis ordinariis reddere possumus quantum ab eis accepimus, impares sumus qui beneficia suscepta a nostris superioribus, a parentibus, maximeque a Deo, compensemus satis.

Quin ei propterea deficiat ratio debiti: magis enim adstringimur superioribus—gubernationis principiis proximis—quam aliis hominibus communiter; potius autem erga parentes—qui sub Deo sunt nobis principium et gubernationis et existentiae—; potissimum erga Deum, principium primum creationis atque gubernationis nostrae.

308 Hoc vel ex uno capite iamiam facile liquet quantum sit momentum religionis in vita domestica et civili. Nam si parentes atque principes neglegunt officia urgere quae sunt praecipue debita, viam latissimam pandunt sibi subditis ut hi neglegant et respuant officia quibus tenentur ad familiae et civitatis praesides; a fortiori, officia erga concives quibus nos devictos esse liquido constat.

Habet quidem religio actus interiores principales: Deo enim, qui spiritus est, mente profecto iungimur. Habet etiam, quantumvis secundo, exteriores actus: nam, sicut manu ductione sensibilibus pertingimus ad Deum, sic actibus externis excitamur ad interiores et in his persistimus; a Deo insuper corpus accepimus et beneficia temporalia, quae omnia cedant oportet in Dei servitium; sed et Deus est conditor et rector humanae societatis, quae ideo referre debet Deo socialem, id est visibilem seu externum cultum.

309 Homo etiam religione indiget. Destitutus enim gratia habituali valet quidem servare quaedam praecepta naturalis legis, non tamen cuncta; vitare omnia mortalia ad tempus, non tamen diu; vincere tentationes leves, non

tamen graves. Ornatus habituali gratia et sine alio speciali privilegio habituali valet vitare diu omnia mortalia, eget attamen actuali gratia ad vitanda sive omnia diu, sive quaedam cum graviter tentatur; vitare quoque singula venialia et omnia ad tempus x.

Porro gratiam habitualement conferunt et augent ex opere operato sacramenta, quae ius insuper tribuunt ad gratias actuales, suo tempore recipiendas, pro fine cuiusque sacramenti. Gratias vero actuales plurimas disposuit Deus per orationes nostras impetrandas. Unde D. Thomas: «Inter omnia necessaria ad vitam Christianam praecipua est oratio» 1. Signantur autem «quattuor condiciones, quibus occurrentibus semper aliquis impetrat quod petit; ut scilicet *pro se petat, necessaria ad salutem, pie et perseveranter*» 3.

Sed oratio sacramentorumque susceptio sunt reli- 310
gionis actus. Huius enim virtutis actuum nonnulli sunt quibus damus nos, sive quoad voluntatem, devotio, sive quoad intellectum, oratio (320 ss.), sive quoad corpus, adoratio; alii sunt quibus damus nostra: Deo quidem, si cum immutatione, sacrificium, si absque immutatione, oblationes atque primitiae; Dei vero ministris, decimae; alii sunt quibus promittimus nos aut nostra, votum (332 ss.); alii, denique, quibus ea assumimus quae sunt Dei, sacramenta scilicet et divinum Nomen—in testimonium, iuramentum (378 ss.); in provocationem, adiuratio; in laudem, laus Dei.

1 Videsis meum *De gratia*, n. 13 sq., 46 sq., 54 sq.

3 S. Thomas, in *I Tim.*, cap. 2, lect. 1.

3 Id., *Summa Theol.*, II-II, 83, 15, 2m.—«Istae condiciones non hoc modo requiruntur ad efficaciam impetrandi quasi nihil impetretur si aliqua desit...; sed quia his positis semper oratio efficaciam habet impetrandi» (Id., in 4, d. 15, q. 4, a. 7, q. 3, 1m).

Casus primus.

311 Mauritius iuvenis in peccata contra sextum facile pronus, diffidentiam suam confessario exponit circa efficaciam auxilii religionis in lucta contra tentationes et vitia.

Cum enim semper audiverit ad victoriam in tali materia reportandam necessarium esse adoptare remedia et subsidia religionis, ut, v. gr., confessionem frequentem, assiduam erga B. M. V. devotionem, haec omnia sincere conatus est facere, at semper in eadem peccata prolabitur.

Quid confessario agendum?

Solutio

312 Confessarius imprimis Mauritium moneat hoc firma fide tenendum esse, Dei praecepta scilicet homini iustificato et sub gratia constituto esse ad observandum possibilium (Denz. 828); nam Deus impossibilia non iubet, neque semel iustificatos deserit nisi ab eis prius deseratur (Denz. 804). Eum quapropter excitet ad fiduciam plenam in Deo, nam et Apostolus asserit: «Non patietur vos tentari supra id quod potestis» (I Cor., 10, 13); et ipse Dominus: «Iugum meum suave est et onus meum leve» (Mt., 11, 30).

Porro ad divinam gratiam obtinendam instituta fuerunt sacramenta, de quorum virtute et efficacia dubitare non licet (Denz. 802). In his non modo Eucharistia, qua praeservamur a mortalibus (Denz. 875, 1981) et perseveramus in bono (Denz. 882), cum existat animae cibus (Denz. 695, 698); sed ipsa Paenitentia, de cuius efficacia ad vitandos relapsus nemo Doctorum expertorumque

confessariorum dubitat. Unde S. Alphonsus, quod ad peccatum pollutionis attinet, citat suaque facit verba Toleti: «Vix puto esse aliud remedium, nisi frequentissimam confessionem cum uno eodemque confessario...: est enim hoc sacramentum maximum fraenum; et qui hoc non utitur, non sibi promittat emendationem, nisi per miraculum» Et adiecit: «Hocque remedio frequentis confessionis pro recidentibus in tale vitium legimus Divum Philippum Nerium maxime usum fuisse» 2.

Praeter sacramenta habemus etiam, pro gratiis impetrandis, medium orationem. De qua Dominus: «Quis ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut pisces, numquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester de caelo dabit spiritum bonum petentibus se?» (Lc., 11, 11 ss.). Ad commendandas orationes nostras recurrimus ad sanctorum intercessionem, qui, cum coniunctiores Deo, faciliorem exauditionem consequuntur. In his eminet, ut patet, B. V. Maria. 313

Qua igitur ratione potest explicari quod, non obstante confessione frequenti et assidua erga B. M. V. devotione, iuvenis noster in eadem semper peccata prolabatur? Id explicari potest si confessio, quantumvis frequens, facta 314

1 S. Alphonsus, *Th. Mor.*, VI, 464. In editione critica Gaudé nos admonet: «Verba: Et qui hoc non utitur non sibi promittat emendationem, nisi per miraculum, tribuuntur Toletio a Sporer, sed non sunt illius auctoris».

9 De hoc Sancto narrat Bacci: «Confessum ad illum ibat quidam paenitens, vitio adeo immersus ut quasi quotidie caderet. Huic sanctus vir non aliam fere dedit paenitentiam quam ut, si iterum peccatum commisisset, statim sine mora ad confessarium rediret, nec alterum lapsum expectaret. Oboedivit paenitens, et Philippus semper ipsum absolvebat, eandem imponens paenitentiam. Hoc tantum modo ipsum adiuvit, ita ut paenitens post paucos menses liber esset, non ab hoc solo peccato, sed a multis aliis» (*Vita di S. Filippo*, lib. 2, cap. 6. n. 2; cit. a Ter Haar, *De occasioniis et recidivis*, p. 400 in nota, ed. 2, 1939).

est absque dispositionibus requisitis; si eius devotio seu oratio ¹ ad B. V. caruit condicionibus necessariis pro impetratione.

At si nec illae dispositiones abfuerunt in sacramentorum receptione nec condiciones istae in oratione, tunc quidem recolendum est Deum iubendo monere, non modo petere quod non possumus, sed simul quoque id facere quod possumus (Denz. 804). Porro si quae tentationes atque molestiae sunt contra voluntatem nostram exortae, aliae sunt plures nobis voluntariae, directe aut indirecte, ex eo videlicet quod quaerimus, aut non fugimus saltem, occasiones, quod sensus non compescimus externos et internos, quod non exercemus erga nosipsos continuam vigilantiam. Semel etiam oborta tentatione, aut non opponimus resistentiam promptam, aut quam tentamus resistentiam non satis sustinemus, aut sustinemus quidem quasi sufficientes simus ex nobis, absque auxilio Dei (2 Cor., 3, 5).

315 Confessarius igitur Mauritium excitet ad fiduciam in Deo atque in mediis illis quibus Deus voluit gratiam suam conferre; eiusque animum erigat ad certitudinem de victoria. Verbo quidem, v. gr., Apostoli: «Omnia possum in eo qui me confortat» (Phil. 4, 13). Exemplo quoque tot puerorum atque puellarum, tot iuvenum et adultorum, qui tentationes potiores sunt experti et de quibus, Deo auxiliante, victoriam reportarunt²

¹ Si devotio sumatur pro aliis actibus cultus, erit meritoria augmenti gratiae habitualis, potius quam impetratoria gratiarum actualium, prout iam diximus.

² «Aperiebatur, ab ea parte qua intenderam faciem et quo transire trepidabam, casta dignitas continentiae, serena et non dissolute hilaris, honeste blandiens ut venirem, neque dubitarem; et extendens ad me suscipiendum et amplectendum pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri et puellae; ibi iuventus multa, et omnis aetas, et graves viduae, et virgines anus; et in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed foecunda mater filiorum gaudiorum, de marito, te. Domine. Et irridebat me irrisione exhortatoria quasi diceret: Tu non pote-

Eum tamen admoneat de dispositione debita pro sacramentorum receptione, de confessione frequenti et, si fieri potest, immediata post lapsum; de condicionibus orationis impetratoriae, in quibus una est perseverantia; de existentia et momento orationis quoque mentalis (meditationis ergo de malitia et effectibus peccati; memoriae de praesentia Dei, non modo speculantis peccatorem, sed et parati qui opem ferat tentato); de vitandis occasionibus tum proximis tum remotis; de resistentia opponenda statim ac tentatio exoritur; de sensuum custodia et mortificatione; de usu, denique, quorundam mediorum physicorum quae mentem liberant a pravis cogitationibus et vires augent psychicas pro virili pugna et optata victoria.

Alii casus.

C. II.—In quadam sacerdotum collatione non parvum 316 excitavit scandalum mentio ab aliquo facta de humillimo, ut loquebatur, loco signato a D. Thoma tractatui de religione. Cur, aiebant, de virtute tam momentanea in humana vita morali agit D. Thomas quasi per accidens, uti de virtute adnexa seu parte potential! iustitiae.

Sol.—Sacerdotes illi trepidaverunt ubi non erat timor. Aliud enim est loqui de loco quem in virtutibus occupat religio, aliud de loco quem occupare debet in theologia tractatus de virtute religionis. Quoad primum, D. Thomas expresse docet atque demonstrat religionem praeminere inter alias virtutes morales \ Quoad alterum, ipse Angelicus Doctor longe antea praemisserat: «Sic

ris, quod isti et istae? An vero isti et istae in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te stas, et non stas? Proiice te in eum; noli metuere, non se subtrahet, ut cadas. Proiice te securus, excipiet, et sanabit te» (S. Augustinus, 8 *Confessionum*, ID.

1 S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 81, 6.

igitur tota materia morali ad considerationem virtutum reducta, omnes virtutes sunt ulterius reducendae ad septem: quarum tres sunt theologicae, de quibus primo est agendum; aliae vero quattuor sunt cardinales, de quibus posterius agetur... Aliae vero virtutes morales omnes aliquo modo reducuntur ad virtutes cardinales, ut ex supradictis patet: unde in consideratione alicuius virtutis cardinalis considerabuntur etiam omnes virtutes ad eam qualitercumque pertinentes»¹. Sed religio, ut patet, non poterat reduci ad fortitudinem vel temperantiam; uni igitur adnectenda iustitiae. Quin propriam propterea amittat dignitatem: nam «virtutes cardinales dicuntur principaliores omnibus aliis, non quia sunt omnibus aliis perfectiores, sed quia in eis principaliter versatur humana vita»². Denique D. Thomam non egisse de religione quasi per accidens, inde facile apparet quod dicavit ipsi in II-II *Summa Theologiae* multo plures quaestiones quam spei, plures immo quam fidei³.

317 C. III.—Contra religionis officia ita Zenobius arguit: Deus non eget obsequiis creaturarum; ergo officia religionis vana sunt Deoque iniuriosa.

Sol.—Ad haec Zigliara: «Nego consequentiam et suppositum quo argumentatio nititur. Stultissime enim aliquis hoc modo ratiocinatur: Dives non indiget restitutione decem scutorum; Rex non indiget mea gratitudine ob acceptum beneficium; ergo restitutio, gratitudo ceteraque huiusmodi vana sunt et illis personis iniuriosa. Proculdubio desiperet qui hoc modo ratiocinaretur; huiusmodi enim officia non ex indigentia eius cui tribuuntur, sed ex iustitia definienda sunt et imponenda» \

¹ S. Thomas, l. c. prol. in II-II.

² Q. D. de virt. card., a. 1, 12m.

³ Tr. de fide complectitur, qq. 1-16; tr. de spe, qq. 17-22; tr. de religione, qq. 81-100.

♦ Zigliara, *Summa Philosophica*, Mor., 32, VU.

C. IV.—Calanicus opponit complures esse homines 318
qui, ignorantes Deum, agnoscunt atque servant obligationes erga proximos; ergo officia erga Deum nequeunt haberi fundamentum ceterorum officiorum.

Sol.—Alius est ordo ontologicus, seu naturae et alius ordo logicus seu cognitionis: remoto iure Dei cetera omnia iura tollerentur funditus; sed remota cognitione illius iuris non ideo removetur cognitio ceterorum. Lex etenim aeterna est fundamentum obiectivum moralitatis ultimum; hoc ergo fundamento sublato, totum moralitatis aedificium corrui. Sed non habentes visionem aeternae legis, nos homines discernimus quid sit bonum et malum ex creaturarum rerum ordine essentiali, qui propterea est nobis fundamentum moralitatis obiectivum proximum. Potest contingere quod aliquis cognoscat creaturas quin Deum attingat; at nullus esset creaturarum ordo Deo non existente. Sic plures utimur luce electrica, scientes quomodo lampas accendenda et extinguenda sit, quin sciamus locum unde ad nos pervenit; tamen si nullibi gigneretur, impossibilis eius usus.

C. V.—Cornelius, reipublicae senator, litteras accepit 319
a collega suffragium postulante pro condenda lege qua et impediantur opera religiosa et actus cultus externi pro operariis intra terminos agri vel fabricae ubi laborant, et prohibeatur intra eosdem terminos atque quolibet tempore ingressus sacerdotibus aliisque ministris religionis quotquot accederent ad auxilia spiritualia praestanda opificibus. Dubius de meditata legis iustitia, theologum interrogat num possit huic legi suffragare.

Sol.—Negative. Status quidem regulare potest dies et horas laboris in agro et fabricis atque prohibere tempore ad laborem destinato exercitium cultus externi ab operariis ipsis; sed hos actus impedire nequit ceteris vel horis vel diebus; potest, aliis verbis, determinare tempora in

quibus operarii non cessent a labore vel neglegant opus ad quod contractu tenentur peragendum; sed ad id minime requiritur illa prohibitio religionis vel externi cultus. Neque Status potest absolute prohibere accessum sacerdotibus aliisque ministris religionis qui intendunt opificibus auxilia spiritualia conferre, cum hoc esset suppressimere ius civium ad externum cultum et destruere inclinationem naturalem hominis ut sese perficiat, non modo materialiter sed etiam spiritualiter; haec autem auxilia maxime tunc urgent cum mortis periculum occurrunt. Sic V. Vicente l.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Agens actus religionis pro insigni obtinendo (I, 152 s.); caupo removens a diverticulo sacras imagines (II, 36); Catholici a communistis adducti ut ecclesias evertant et sanctorum imagines deponant, mutilent, comburant (II, 38); Catholicus qui ob timorem Turearum abstinet ab externis religionis actibus dum Missam audit (II, 41); Assistentia sacris infidelium a civili auctoritate imposita (II, 94); Num ne maritus blasphemet, teneatur uxor a dominicali missa abstinere (II, 403); Gubernator navis preces ex libro haereticorum recitans (II, 510).

XXIV. ORATIO

Doctrina.

320 Sensus generaliori etsi oratio dicat ascensionem mentis in Deum, stricte tamen sumpta definitur: petitio decentium a Deo. Est igitur religionis actus, nam orans profitetur se Deo indigere quatenus auctore et largitore bonorum quae desiderat, et ideo protestatur divinam excellentiam.

¹ In *Boletin Eclesidstico de Filipinas*, 34 (1960), p. 729 s.

Orationis utilitas inde facile liquet quod facit hominem, propriae indigentiae conscius, exire a semetipso atque in Deum ascendere, quem recognoscit superiorem, cui propterea se subicit. Illius etiam necessitas haud difficulter demonstratur: res enim humanae subsunt divinae providentiae nec proveniunt ex necessitate; possumus igitur obtinere a Deo ut hoc vel illud nos prospere contingat.

Porro «ad providentiam duo pertinent: scilicet ratio 321 ordinis rerum provisarum in finem; et exsecutio huius ordinis, quae *gubernatio* dicitur. Quantum igitur ad primum horum, Deus immediate omnibus providet... Quantum autem ad secundum, sunt aliqua media divinae providentiae. Quia inferiora gubernat per superiora; non propter defectum suae virtutis, sed propter abundantiam suae bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet» \ Quoniam «maior perfectio est quod aliquid in se sit bonum, et etiam sit aliis causa bonitatis, quam si esset solummodo in se bonum. Et ideo sic Deus gubernat res, ut quasdam aliarum in gubernando causas instituat: sicut si aliquis magister discipulos suos non solum scientes faceret, sed etiam aliorum doctores» 1

Statuit ergo Deus bona, quorum est auctor, nobis dare petentibus, per intercessionem tamen Sanctorum, qui quanto sunt coniunctiores Deo tanto potiori gaudent impetrandi efficacia; quique, unione caritatis nobis coniuncti, prони sunt ut benefaciant nobis, orationes nostras commendantes.

Prae ceteris caelitibus Beatissima Virgo Maria est ab omnibus invocanda: est enim mater Dei, ideoque coniunctissima Deo; est quoque mater nostra, igitur et coniunctissima nobis.

1 S. Thomas, *Summa Theol.*, I. 22, 3.

2 Id., ib., 103, 6.

322 Porro quae indubitanter bona sunt—uti gloria atque gratia—haec debemus absolute petere. Quae malum, e contra, eventum non excludunt—quem ad modum bona temporalia—, haec petenda sunt sub condicione—expres-
sa aut tacita—, si scilicet expediunt; alias differenda aut utilioribus subroganda.

«Hanc sufficientiam (rerum necessariarum) non indecenter vult, quisquis vult, nec amplius vult... Vides certe et istam sufficientiam non appeti propter seipsam, sed propter salutem corporis et congruentem habitum personae hominis, quo habitu non sit inconveniens eis cum quibus honeste officioseque vivendum est... Ista, cum habentur, ut teneantur; cum autem non habentur, ut habeantur, orandum est» \ Quaedam enim temporalium bonorum sufficientia est necessaria ad vitam virtuosam, a qua «impediuntur tam illi qui superabundant in divitiis propter nimiam sollicitudinem, vel propter elationem, quam etiam illi qui in talibus deficiunt, quos oportet nimis sollicitari circa victum quaerendum» 1.

Casus primus.

323 Nicetas ab orationibus abhorret quod precatorem putet divinae detrahere voluntati quasi haec subderetur mutationi. Voluntas Dei, inquit, immutabilis est; quapropter quod ab aeterno disposuit futurum id ipsum omnino infallibiliter continget, oremus necne.

Quid sentiendum?

1 S. Augustinus, epist. 130 (al. 121) ad Probam, cap. 6 et 7; PL 33. 499 s.

- S. Thomas, in 10 Ethic., lect. 13, n. 2130, ed. Pirotta.—«Ad bonam unius hominis vitam duo requiruntur, unum principale, quod est operatio secundum virtutem: virtus enim est qua bene vivitur; aliud vero secundarium et quasi instrumentale, scilicet corporalium bonorum sufficientia» (Id., *De regimine principum*, seu *De regno*, I, 15).

Solutio

Voluntatem divinam esse immutabilem, res indubia 324
 prorsus. Sed aliud est voluntatem mutari et aliud est
 velle aliquarum rerum mutationem; mutatur, v. gr., vo-
 luntas dum hominem quem voluit nunc aegrotum vult
 inde nunc sanum; vult aliquarum rerum mutationem,
 v. gr., voluntas quae voluit hominem aegrotare hodie et
 cras sanari.

Sed crastinam hominis sanationem Deus vult, ut plu-
 rimum, obtentam ministerio causarum secundarum, puta
 medici et medicinae. Interventus igitur medici et medi-
 cinae non mutant ordinem divinitus dispositum; huic
 ordini, contra, subordinantur, sub quo profecto veniunt.
 Deus disposuit suspendere cursum aegritudinis ob medici
 vel medicinae auxilium; seu disposuit morbi progressum
 condicionatum, nisi quis scilicet vocet medicum et sumat
 medicinam. Medicum ergo et medicinam propterea ex-
 cludere quod dispositio divina aeterna est immutabilis
 esset idem ac dicere nec medicum advocandum neque
 medicinam adhibendam quoniam sanitas, si a Deo est
 volita, quocumque casu infallibiliter obtinebitur; idem
 ac dicere quod semen non est serendum pro colligendis
 frugibus; «ac si diceretur, prout D. Thomas loquitur, quod
 non est ambulandum ut perveniamus ad locum, nec co-
 medendum ut nutriamur; quae omnia patent esse ab-
 surda» *

Porro inter causas secundas quibus Deus commisit 325
 hominum eventus ipsi quoque veniunt humani actus.
 «Unde oportet homines agere aliqua, non ut per suos
 actus divinam dispositionem immutent, sed ut per suos
 actus impleant quosdam effectus secundum ordinem a

Deo dispositum» \ Sic et homo laborat agrum ut ager reddat fructum quem Deus disposuit agrum non redditurum absque humano labore; nemo autem sanae mentis expectat agrum sibi relictum fructum afferre, quin ideo putet se laborantem agrum mutare divinam Providentiam.

Porro in humanis actibus, oratio. Hinc monemur: «Petite et dabitur vobis» (Mt., 7, 7); quasi diceretur: Nisi petatis, non dabitur. Datur autem quoties petitio pollet debitis condicionibus (309).

326 Ad id ergo quod Nicetas asserit, quidquid Deus, videlicet, ab aeterno disposuit futurum id ipsum omnino infallibiliter continget, oremus necne, respondendum est:

1.^o Si Deus disposuit aliquid futurum per nostras orationes, illud quidem futurum est quoniam, de facto, orabimus; nam «cum voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant ea quae Deus vult fieri; sed et quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult» i

2.^o Si Deus, contra, disposuit aliquid futurum per orationes nostras quas de facto nullas effundemus, illud potius quam futurum est futuribile: non erit, sed foret, posita condicione, seu oratione, non ponenda.

Alii casus.

327 C. II.—Contra necessitatem orationis sic Genesius: Deus dat nobis auxilia necessaria etiam non petita; alias nec imponeret nobis praeceptorum observantiam, peccatorum fugam, tentationum victoriam, cum ad impossibile nemo teneatur.

Sol.—Plura quidem auxilia necessaria Deus largitur

i Id., *Summa Theol.*, II-II. 83, 2.

J Id., *ib.*, I. 19, 8.

nobis etiam non petentibus. Non tamen cuncta. Naturaliter enim defectibili Deus non tenetur ita continuo subvenire ut omnino numquam deficiat, cum ad providentiam generalem pertineat movere unumquodque agentium secundum modum suum. Nec inde sequitur praeceptorum observantiam, peccatorum fugam et victoriam super tentationes esse impossibilem, nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere quod potes et petere quod non potes et adiuvat ut possis (314): «Illud quod possumus cum auxilio divino, non est nobis omnino impossibile; secundum illud Philosophi, in 3 *Ethic.*’ *Quae per amicos possumus, aliquantulum per nos possumus*» x.

C. III.—Columbanus, abbas benedictinus, multum penes subditos insistit ut invocent Sanctos Ordinis prae Sanctis ceteris. At huiusmodi instantia minus placet Fabiano, qui Ecclesiae universalis consuetudinem vult aemulandam non honorantis Sanctos illius Ordinis prae aliis pluribus. 328

Sol.—Recte, absque dubio, Columbanus et quod Sancti Ordinis experti fuerunt religiosae illius vitae gravamina et quod magis sint solliciti de confratrum angustiis sublevandis. Habet etiam universalis Ecclesiae consuetudo ut festa alicuius religiosi Instituti celebrentur cum particulari sollemnitate in Instituto ipsomet. Hoc etiam Deus vult ut quos Sanctos nequeunt singuli specialiter honorare, aliqui specialiter honorent; porro nemini ita incumbit officium huiusmodi prae iis qui vitae consuetudine Sanctis sunt coniuncti.

C. IV.—Solocho, praedicator, fidelium morem reprobabat invocantium in omnibus adversis quosdam Sanctos de quibus constat nemini super ceteros eminentia; oportet 329

1 S. Thomas, l. c., I-II, 109, 4, 2m.

tet, clamat, orare conjunctiores Deo, validiores ergo intercessores.

Sol.—Primo, quoniam nescimus quinam Sancti sint coniunctiores Deo, non est cur damnet Solocho morem illum; ipsi qui coniunctiores sunt nobis orationes nostras melius audiunt et orationibus nostris plus favere student; quos etiam cum maiori devotione invocamus—porro ex devotione maxime pendet orationis effectus—. De reliquo, inferioris Sancti imploratio quandoque efficacior invenitur quia Deus vult eius sanctitatem manifestam et nobis utitur ad illorum gloriam promovendam.

330 *C. V.*—Cyrenia, femina religiosa, spargit atque fovet inter amicas orationem ad animas purgatorii, quod huiusmodi animae sint et Deo et mortalibus caritate iunctae et quod noverit experientia diuturna orationis ad illas efficaciam.

Sol.—De animabus purgatorii D. Thomas dixit: «Non sunt in statu orandi, sed magis ut oretur pro eis» \ Cuius quidem verbi non est sensus quod dum nostrae miseriae recordantur, quam, propria experientia tactam, in universali saltem cognoscunt, nullas pro viatoribus preces effundant; sed quod nostras orationes, illis directas, implere aut commendare nequeunt, cum ipsarum notitiam non habeant ex propria condicione seu statu, nec ullo constet documento ex gratuita Dei revelatione eas habituras. Ipsi, de cetero, nullas orationes porrigit Ecclesia. Si quando igitur fideles exaudiuntur qui animabus purgatorii preces effundunt, hoc explicari potest aut quia Deus gratis ipsis revelat orationes ad eas directas quas vult ab ipsis commendari; aut quia, absque facta revelatione, Deus implet desideria orantium tum in praemium suffragiorum pro ipsis factis et in stimulum suffragii frequentandi, tum quia, disponens orationes no-

1 S. THOMAS, 1. c., II-II, 83, 11, 3m.

stras Sibi ab amicis deferendas non propterea orbatus est virtute illas acceptandi absque alicuius interventu.

C. VI.—Theodota litteras accepit ab amica quibus ipsi 331
enixe commendatur novena ad B. Virginem de Fatima;
additur tamen: Quarta die ab incepta novena obtinebis
certo certius gratiam quam postulas.

Sol.—Cum hac additione novendialis oratio supersti-
tiosa omnino est pronuntianda; quoniam nec ex propria
natura nec ex institutione Dei vel Ecclesiae habet deter-
minatum diem quartum (potius quam tertium, septi-
mum, nonum) pro gratiae receptione. Non enim agitur
sacramentum quod infallibiliter gratiam conferat ex
opere operato. Sic Ylla 1.

*Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Par-
ticipatio in orationibus schismaticorum (II, 95); Speran-
tes temporalia a Deo (II, 179); Femina post preces et
conatus desperans ac propterea peccatis se involvens
(II, 216-20); Desperans de precum auditione pro recu-
peranda sanitate (II, 226); Orans pro Dei auxilio in pa-
trando homicidio (II, 239).*

XXV. VOTI NATURA ITT CONDICIONES

Doctrina.

Votum definitur: promissio Deo facta. Quatenus pro- 333
missio, obligationem parit² saltem in promittente ut is

1 Ylla, *Cuestiones eclesiâsticas*, III, 51.

a Promissio, etsi praesupponat, uti plurimum, voluntatem sive propo-
situm dandi, agendi vel omittendi, a proposito inde praecipue differt quod
huic nulla est necessitas moralis sive obligatio intima; quapropter paeni-

det, agat vel omittat aliquid in alterius bonum seu favorem[‡]; et cum nemo possit obligari ad impossibile, promissio de re possibili sit oportet. Quatenus facta Deo, in cuius honorem non redundant quae vana sunt vel Eius dicunt offensam, promissio sibi vult rem, actum vel omissionem ponam, unde et dicitur de bono; eoque meliori², nam invitanti atque excitanti ad perfectiora nequit esse gratum seu acceptum vinculum quo nos adstringeremus ad haec fugienda, sive ad sectanda minora bona.

333 Praeter condiciones quas Ecclesia apposuit votis publicis—quae acceptantur ab ipsamet per ministrum legitimum—nuncupandis, aliae nonnullae requiruntur ad validitatem et liceitatem omnis voti.

Duplicem iam novimus: eius nempe materia sit possibilis et moraliter bona—non mala, vana seu inutilis.

Requiritur ulterius ne voventis finis sit pravus. Et si quidem finis agatur in quem ordinetur materia vel executio voti, ut cum quis vovet eleemosynam qua obtineat

tentes, dum firmiter proponunt abstinere a peccato, non superaddunt vinculum, nec ideo dupliciter delinquent inconstantes. Quoties absit intentio novam obligationem assumendi, propositum agitur, non promissio, licet verba *promitto*, *voveo* adhibeantur.

1 Quia in alterius hominis bonum seu favorem potest et peccatum proprium redundare, valet intellegi promissio homini de re mala moraliter; sic femina promittit viro corporis sui copiam in eius delectationem, utilitatem, commodum. Promissio tamen Deo nequit intellegi, ut dicemus, nisi de re moraliter bona, immo moraliter meliori.

1 Bonum melius opponitur bono minori; venit propterea melius suo contrario, non suo contradictorio: sic castitas virginalis est melior castitate coniugali, et ideo virginitas melior matrimonio. Improperie quis diceret castitatem meliorem luxuria (mala), et improperie pariter loqueretur dicens melius ieiunium comestione (non bona). Porro cum bonorum actuum quidam sint boni quia praecepti, quidam vero praecepti quoniam boni, bonum melius directe est consiliorum, bonum minus, e contra, praeceptorum. Attamen, quoniam actus boni meliores fiunt ex voto quam sint ex propriis—superinduunt namque bonitatem virtutis religionis—, praeceptae sive actiones sive omissiones provinciam votorum ingressae sunt.

consensum fornicarium, votum est nullum, cum ex fine pravo actus eleemosynae deturpetur. Si autem in finem pravum dirigatur actio vovendi seu voti nuncupatio, ut dum quis coram magna vovet multitudine aedificare ecclesiam ut sic vovens omnium plausum obtineat, votum est validum, quia de re bona; attamen illicitum, si causa principalis exstet humana gloria.

Subiectum etiam requiritur vovendi capax. Cum 334 autem qui obligationem moralem non cognoscit hanc nequeat sibi imponere, vovens oportet polleat rationis usu; invalidum propterea votum est infantium et amenitium (can. 1307, § 2; 88, § 3). Ecclesia quoque, interpres divinae voluntatis, valet determinare nobis quam promissionem Deus non habeat gratam seu acceptam; qui iure ergo canonico inhabilis dicatur ad vovendum, is nequit vovere valide. Denique, quia votum de re aliena nullum est aut infirmum cui consensus domini non accedat, ii nequeunt emitteere votum validum atque firmum qui non habent dominium materiae voti.

Actus, postremo, humanus sit, deliberatus nempe atque liber.

Porro liberum et voluntarium licet metus non auferat simpliciter, illud attamen minuit. Minuit autem metus gravis prae levi. Ideo iure ecclesiastico «votum metu gravi et iniusto emissum ipso iure nullum est» l.

1 Can. 1307, § 3.—Dispositio haec Ecclesiae saltem ea vota irritat quae emissa sunt ex metu gravi atque iniuste incusso in ordine ad extorquendum votum, v. gr. si pater dixerit filiae: nisi voveas ingredi religionem, te occidam. At communiter irritatio extenditur ad alia quoque vota quibus metus gravis et iniustus causa fuit, non occasio; fuit autem causa quotiescumque optio non detur nisi mali subeundi aut voti emitendi, v. gr. si quis rivali minitetur mortem ut pacifice amasia perfruatur, is vero emittat religionis votum quo illius intentioni satisfaciat; fuit vero occasio, dum nullatenus votum favet aggressoris iniusti voluntati, v. gr. si iisdem in adiunctis is qui ad mortem quaeritur votum nuncupet ut reddatur divinitus incolumis.

335 Deliberationem necessariam voto theologi perfectam exigunt sive plenam, semiplena non contenti seu imperfecta; nam votum, inquit, gravem ex genere aut saltem seriam parit obligationem quae religionis est erga Deum; tantam autem obligationem nullus debet neque censetur sibi imponere semidormiens, semiebrius, semiadvertens¹; eam igitur petunt advertentiam quam dicunt sufficere ad mortale. Huic advertentiae seu cognitioni ignorantia et error sunt contraria, quorum illa nullum, haec falsum iudicium nominat. Et si quidem versentur circa substantiam voti, quod quis votum emitteret vel publicum invalidant. Si autem circa accidentalialia, raro ignorantia, error vero frequenter votum privatum² irritat. Nam qui ex errore vovet potest vovere sub conditione, si res sit videlicet prout existimat; hanc autem condicionem nequit ille apponere qui ignorans facit votum. Quia tamen vel ignorans non ad plus tenetur quam promisit, nec ideo ad rem longe diversam, de ignorante non minus ac de errante hoc communiter principium affertur seu criterium: illi voto non tenetur vovens cuius magni momenti circumstantiam si cognovisset non vovisset³.

U ‘

» «Nihilominus voti valorem non destruit quaelibet animi perturbatio, vel commotio; alioquin omnia illa vota quae fiunt vel in vehementi spiritu devotionis vel in permagno desiderio aliquod beneficium obtinendi vel timore instigante, essent invalida; quod profecto nemo dicet» (Prümmer, *Th. Mor.*, II, 395, ed. 1928).—«Nec refert quod paulo post voti paenitentia; id enim non est signum defuisse sufficientem deliberationem, quia mutatis circumstantiis facile hominem paenitet etiam eorum quae matura deliberatione fecit, ut patet in iis qui contrahunt matrimonium aut alios contractus Ineunt, quos saepe matrimonii vel contractus initi paulo post paenitent» «Billuart, *Summa S. Thomae*, tr. de religione, diss. 4, a. 1).

¹ Vota publica non sunt irrita ob errorem tantum accidentalem; nisi ageretur de apposita conditione sine qua non, quae certo non praesumitur sed est probanda.

³ Ignorantia circumstantiarum non notabiliter aggravantium nullatenus votum irritat, quantumvis iisdem cognitis votum factum non fuisset. «Unde qui promitteret dare eleemosynam pauperi, alias inimico, non pro-

Sunt attamen duo maxime prae oculis habenda. Primum quidem, cum dicimus *si cognovisset non vovisset*, tempus agi praeteritum, non praesens; quoniam potest aliquis nunc sic esse dispositus ut conscius difficultatum voti, si modo esset vovendum, non voveret; qui tamen dum votum fecit sic erat dispositus ut vel difficultatum conscius nihilominus vovisset; nam difficultates graves aut leves sunt non praecise obiective, at praecipue relative ad subiectum, multaque facilia reddit amor quae difficillima sunt non amantibus. Alterum est quod interdum sive errantes sive ignorantes valent votum emittere *prout communiter emittitur ab aliis* et sic habent intentionem generalem se ad omnia obligandi ad quae voventes ceteri se solent obligare; quoniam non requirimus ad votum validum rei plenam notitiam, verum obscuram seu confusam habemus sufficientem.

Casus primus.

Amalia, sollicitum atque suspensum animum exhibens, confessarium consilii causa adit. Ipsa enim, vix tertium decimum annum agens, cum in pio ephebeo institueretur, magnificis incensa praeconiis quibus religiosae virginitatem iugiter extollebant atque sanctarum quarundam mulierum exemplo commota, perpetuae virginitatis voto seipsam obstrinxit, licet arcana vitae atque matrimonii naturam ignoraret. 336

Quae tamen ut primum novit, animi motus atque carnis stimulos persentiens, se via deceptam esse atque inconsulte egisse clare percepit.

Quapropter a confessario quaerit utrum voti onere

missurus si inimicum sciret; vel dare pauperi quem putabat iustum, qui alias improbus erat, non promissurus si hoc sciret, teneretur dare illam» (Salmanticenses Mor., tr. 17, de voto, etc., c. 1, n. 156).

adstringatur, an in futuras nuptias pura atque integra conscientia intendere possit.

Quid Amaliae confessarius respondere debet?

Solutio

337 Amalia in casu dicitur tredecim annorum; hac autem aetate puella sufficientem habet notitiam ad validum virginitatis votum emittendum, si generaliter loquimur seu ut plurimum. Habuitne hanc notitiam puella nostra?

Negativa responsio non inde eruitur quod Amalia clare nunc percipit se inconsulte vovisse; haec quidem vota quae ad statum pertinent seu ad vitam deberent certo emitti post maturam deliberationem, forsitan et de consilio confessarii; sed haec quae prudentiam respiciunt validitati voti non nocent.

Nec inde necessario est petenda quod Amalia dum animi motus atque carnis stimulos persentit se via deceptam esse novit. Difficultates quas experitur facerent quidem ipsam abstinere nunc a voto nuncupando; non tamen abstentionem fecissent tunc cum votum nuncupavit: eo enim tempore, praeterquam alumna in pio ephebeo, incensa dicitur magnificis praeconiis quibus religiosae virginitatem iugiter extollebant atque commota exemplo quarundam sanctarum feminarum; id ergo nuncupasset tunc conscia difficultatum quod nuncupavit, si ei credimus, difficultatum inscia \ Ei, inquam, si credimus. Quoniam vix est probabile inter tot virginitatis praeconia ne verbum quidem religiosas illas protulisse de huius voti arduitate.

1 Nisi quis fingat propterea Amaliam virginitatem Deo vovisse quod (erronee) eius conservationem facilem putaret; condicione deficiente cui adnexum foret, votum non urgeret in difficilibus his adiunctis. Sed iam apparet gratuita haec fictio, cum ad facilia promittenda nec incensa nec commota puella praedicaretur.

Tota difficultas in eo sita est quod Amalia votum emisit cum arcana vitae atque matrimonii naturam prorsus ignorabat. Exinde tamen non sequitur ipsa ignorasse substantialiter et in confuso quid vovebat. Unde Genicot ad casum similem: «Non est necessarium ut puella clare noverit qua in re consistant relationes matrimoniales vel peccata turpia»¹; et Vermeerch: «Minus quoque vitiat professionem ignorantia vel error de rebus sexualibus: tum quia vis istius voti tamquam excellentis, Deo et Ecclesiae probati, a pluribus emissi, et continentis renuntiationem quibusdam deliciis, satis per vera elementa apprehensa est»². Amalia siquidem, praeterquam ducta fuit verisimiliter intentione se ad ipsum obligandi quod ceterae dum virginitatem vovebant se obligabant, sufficientem diceres rei notitiam ex illis magnificis praeconiis pertulisse. Etiam exempla aliarum sanctarum feminarum mirata fuit in sublecta materia. Ut minimum virginitati adscripsit desponsationem cum Christo, abstinentiam a matrimonio; quae profecto ad validitatem voti sufficientiunt³. Immo frequentans religiosas, quas novit sine coniuge et sine liberis, ideoque sine liberis quia sine coniuge (hunc enim nexum puerile fert colloquium), nonne habebat matrimonii naturam cognitam? (cf. can. 1082, § 1).

Quae cum ita sint, confessarius respondere debet Amaliae ipsam onere voti adstringi. Locus forsitan erit interrogandi puellam num illa, potius quam virginitatis, votum emiserit non nubendi. Verum quodcumque emiserit, cum utrumque impediatur matrimonium (can. 1058, § 1), perspicuum est Amalam non posse intendere futu-

¹ Genicot, *Casus Conse.*, 88, ed. 1928.

² Vermeersch, *Th. Mor.*, U, 209, ed. 1928.

³ Si haec non sufficerent, quid de votis iuniorum puellarum quas Ecclesia canonizavit atque laudat quod a celesti praeventae Sponso huic animam et corpus consacrarunt? quid de votis religiosis olim emissis priusquam lure canonico maturior aetas fuit requisita?

ras nuptias conscientia pura et integra nisi sub conditione dispensationis impetrandae, quae eo facilius conceditur quod nec votum reservatum sit (366) nec absque praecipitatione fuerit emissum.

Attamen priusquam dispensationem ostendat facilem, confessarius Amaliam adhortetur ad validum suum votum observandum, illarum feminarum exemplo quo iunior fuit permota et dono Illius confisa qui id recte petentibus non denegat nec patitur nos supra id quod possumus tentari (312).

Alii casus.

340 C. II.—Votum emisit Attalus castitatis perfectae; hanc postquam servavit per decennium inventus est a medicis hyperaesthesia laborans sexuali, incurabili sed et congenita. Ad sententiam igitur medicorum, morbus latebat ab infantia: potuit quidem voluntas dominium per aliquot annos exercere in facultates inferiores, at potentia inhibitrice tandem exhausta, Attalus, absque conscientia, immo aliqua voluntate obsistente necessario iam trahitur ad actus facultatum sexualium inordinatos. Hinc ipse existimat votum eius invalidum.

Sol.— Si revera votum sic esset impossibile observatu, dicendum foret nullum, cum res promissa debeat esse possibilis (can. 1307) moraliter, a fortiori physice. At medicorum illa sententia, ad hodiernam saltem scientiae condicionem, non praebet certitudinem de impossibilitate voti adimplendi: alii enim medici contradicunt; contradicit quoque illorum experientia qui castitatis servandae se putabant impares quique temporis decursu se pares invenerunt. Nequit ergo sententia illa haberi ut norma certa in re tanti momenti. Voti ergo cum nullitas non constet, Attalus, si vult, dispensationem petat.

C. III.—Num valeat votum de non amplius peccando? 341

Sol.—Distinguit Prümmer: «*a*) Si quis vovit iam nullum peccatum, nec etiam levissimum, in tota vita se esse commissurum, tale votum est irritum; est enim de re moraliter impossibili, quia nemo potest, sine speciali gratia, vitare omnia etiam levissima peccata, *b*) Si quis vovit se velle vitare omnia peccata mortalia, vel etiam omnia peccata venialia plene deliberata, tale votum est quidem in se validum, quia cum ordinario auxilio Dei hoc possibile est; sed nihilominus pro homine non comprobato per longum exercitium virtutum tale votum est imprudens, quia non expedit sub voto promittere quod probabilius fideliter non servabitur» *

C. IV.—Cyriaca, postquam votum emiserat non vovendi in posterum, de voto emisso dubitat; ideo quaerit a paroco num quod nuncupavit ipsam teneat eamque inhabilet, saltem prohibeat, a quolibet alio nuncupando. 342

Sol.—Ad huiusmodi quaesitum non est indiscriminatum respondendum, sed dicendum est cum Fanfani: primum illud votum «*a*) absolute emissum invalidum est, quia est de minori bono: melius est enim vovere quam non vovere, ut supra dictum est. *b*) emissum autem sub aliqua honesta et utili condicione, e. g. nisi cum licentia confessarii, validum est; quia melius est sine periculo imprudentiae quam cum periculo imprudentiae vovere. Si quis autem postea inconsulto confessario voveret, actus quidem vovendi esset peccatum, quia contra votum antea emissum, sed novum votum fuisset de se validum, nisi forsitan hoc etiam statuerit, ut futurum votum invalidum sit» 2.

C. V.—Eucarpus duplicem vovit eleemosynam, alteram, si incolumis evaderet ex duello, alteram, si fornica- 343

1 Prümmer, l. c., 399.

2 Fanfani, *Th. Mor.*, III, 51.

ria complex infamiam vitet, prole non suscepta. Estne votum validum?

Sol.— Affirmative, «quia licet malum sit inire duellum aut fornicari, bonum est tamen et Dei beneficium salvus evadere ex duello aut infamiam vitare». Ita Billuart *

344 *C. VI.*— Dula votum emisit de non pectinando caput tali vel tali die. Estne votum validum?

Sol.— Respondet D. Thomas: «Talia vota mulierum sunt sortilegia magis quam vota: sunt enim reliquiae quaedam idololatriae, secundum quam observabantur dies et menses; et ideo pro non votis habenda sunt» 1. Et alibi: «Vota quae sunt de rebus vanis et inutilibus sunt magis deridenda quam servanda» 3. Peccant autem qui huiusmodi vota emittunt, saltem ex animi levitate, unde Deum offerunt materiam illegitimam.

XXVI. VOTI OBLIGATIO

Doctrina.

345 Omne votum obligare ad sui adimpletionem inde liquido constat quod naturali iure tenetur homo ut fidelis existat in promissis; cum id igitur solvere obligetur quod promisit homini, illud quoque, a fortiori, quod promisit Deo. Obligat propterea ob fidelitatem erga Deum; haec autem fidelitas ad virtutem pertinet religionis, nam

1 Billuart, l. c., a. 2.

* S. Thomas, in 4 Sent, d. 38, q. 1, a. 1, q. 2, 2m.

3 Id., Summa Theol., II-II, 88, 2, 3m.

* «Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim Ei infidelis et stulta promissio; sed quodcumque voveris, redde; multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere» (Eccle. 5, 3, sq.).— «Dicere quod illi qui voto vel iuramento sunt obligati ad intrandum religionem, non tenentur Intrare, est manifeste haereticum» (S. Thomas, quodl. 3, a. 12).

quod vovemus Deo ad Eius honorem vel cultum dedicamus.

Et obligat quidem absolute, si condicio nulla fuit appositā; secus, post appositam condicionem impletam.

Insuper «votum non obligat, ratione sui, nisi emittentem (can. 1310, § 1). Quapropter si materia voti sit actus, ipse vovens debet votum implere: sic qui vovit meditationem vel ieiunium. At si materia voti est res, cuius valor omnino idem res tradatur a vovente aut a quocumque alio, nihil officit quominus vovens votum absolvat etiam per alium: ita qui vovit subvenire pauperi potest votum implere per amicum qui eleemosynam tribuat eius nomine x.

Docent communiter Moralistae eam vim obligandi inesse voto quam materia voti demonstrat, nisi privatim vovens¹ intenderet tenuiorem obligationem sibi assumere: nam ut lex a legislatoris, votum a voventis intentione pendet, et sicut ille alios, hic seipsum obligare poterit ad materiam gravem tamen sub levi. Sed nec lege nec voto valet quis obligari ad materiam undequaque levem sub gravi seu mortali. Materia est gravis «quae ex se vel ex adiunctis notabiliter confert ad Dei gloriam utilitatemque voventis aut proximi, quaeque in praeceptis Dei vel Ecclesiae pro gravi habetur. Hinc, votum ieiunandi, confitendi peccata, missam audiendi, communicandi etiam

1 Hic alius ad executionem alieni voti non adstringitur voti obligatione. Valet autem adstringi vi contractus; quem ipso facto acceptationis hereditatis heredes ineunt ut solvant testatoris vota realia; unde in Codice I. C.: «Voti realis obligatio transit ad heredes, item obligatio voti mixti pro parte qua reale est» (can. 1310, § 2).

2 Gravitatem obligationis in votis publicis quorum materia est gravis nequit intentio voventis minuere: huiusmodi enim vota leges ecclesiasticae moderantur; fieret insuper ecclesiasticae disciplinae praeiudicium si quae vota nuncupans preaesumitur esse pollicitum sub mortali ea is sub veniali tantum sponderit.

semel, notabilem pecuniam erogandi in pios usus, obligat sub gravi»¹.

Si series actionum rerumve promittatur, omissionem quamlibet partialem sed notabilem peccatum grave auctores pronuntiabant hucusque; non ita quidam e recentioribus².

347 At coalescuntne partiales omissiones leves usque ad peccatum grave? Si promissio levium materialium facta fuerit in honorem diei, sic videlicet ut assignetur dies veluti terminus obligationis, ut cum quis vovet quotidie *Credo* recitare, ex pluribus omissionibus non fit unum mortale, sicut nec e pluribus venialibus. Si vero illarum materialium promissio facta fuit per modum unius, ita ut dies assignetur ad obligationem urgendam tantum, ne ultra illum scilicet differatur voti exsecutio, ut dum quis vovet recitare psalterium, psalmum autem quotidie, tunc leves materiae coalescunt, prouti parva furtula. In primo enim casu, transacto die extinguatur obligatio voti nec

¹ Marc, *Inst. Mor.*, I, 628, ed. 1927.

² Noldin dixerat: «Ad diiudicandam materiae parvitatem in votis quorum materia per modum unius promittitur, materia ommissa non absolute, sed relative ad totam rem promissam considerari debet, adeo ut solum tertia vel quarta totius pars censeretur res notabilis, quae sine gravi culpa omitti nequeat. Sic qui per integrum mensem maii devotioni mariae! assistere promisit, non eo graviter peccat quod una alterave vice devotionem omittit, quamvis singulae devotiones absolute consideratae (si per semihoram durant) gravem materiam constituent, sed eo quod octo vel decem assistentias omittit» (*Th. Mor.*, II, 215, ed. 1932). Huic doctrinae, cui subscribit Vermeersch (*Th. Mor.*, II, 215, ed. 1928), fortiter Merkelbach adversatur (*Th. Mor.*, II, 723, nota, ed. 3) quod discedat a regula tradita per saecula. Priimmer quoque scribit: «Lehmkuhl putat ex notabili summa per votum promissa detrahere circiter 1 % adeo notabile non videri ut grave peccatum constituat. Unde e. gr. si quis vovit dare alicui ecclesiae 10.000 francos et retineat 100 franc, nondum graviter peccat. Quae quidem opinio mihi non probatur, si vovens voluerit se sub gravi obligare ad dandam *totam* summam 10.000 francorum. Nam in materia iustitiae summa 100 francorum est absque omni dubio materia gravis» (*Th. Mor.*, H, 405, ed. 1928).

cum materia sequentis diei continuatur; in altero, contra, non extinguitur sed continuatur cum materia alia.*

Casus primus.

Martha ob acceptum a Deo beneficium, intercedente beato Francisco, vovit accedere ad S. Eucharistiam sumendam quo die eius festum celebratur; non accessit quia praesto non habuit confessarium qui eam, ante Communionem, a gravi peccato commisso absolveret. Tunc autem dubitavit an adhuc voto teneretur.

Quid decernat prudens confessarius?

Solutio

Agitur num votum emissum a Martha urgere pergat post festum S. Francisci, in quo ob statum peccati simul atque defectum confessarii femina iure merito 1 a Communionem abstinuit.

Suppono imprimis Martham non ideo adstringi voti obligatione quia libere posuit impedimentum Communionem

1 «Qui vovit dare quotidie parvam eleemosynam tamquam partem notabilis summae quam quis erogare intendit, si aliquandiu omittat, materia coalescit, et tenetur supplere; quia materia censetur promissa per modum unius, nisi de alia expressa intentione constet. Contra, qui vovit eleemosynam singulis sabbatis in honorem Beatae Virginis, aut quotidie recitare eius Litanias, non tenetur pro diebus omissis supplere, neque materia coalescit: quia tunc opus promissum censetur tamquam proprium onus diei» (Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I. 486, ed. 1939).

2 «Nemo quem conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritum existimet, sine praemissa sacramentali confessione ad sacram communionem accedat; quod si urgeat necessitas ac copia confessarii illi desit, actum perfectae contritionis prius eliciat» (can. 856). Porro nullus, quod noverim, moralistarum docet urgere necessitatem communionis cum sola contritione inde tantum quod communicatio fuerit voto promissa.

ni promissae, peccans nempe mortaliter. Nam nec peccans Martha praevidit defectum confessarii qui eam prae Communionem absolveret; nec constat eo peccasse animo ut voti adimpletionem impediret; immo, si malitiose peccato condescenderit animo se reddendi impotentem quae stet promissis, facile liquet voventis intentione diem fuisse determinatum ad finiendam obligationem voti.

Alias igitur nodus est difficultatis expediendus.

350 Ad generalem quidem regulam, tempus praesumitur determinatum ad urgendam obligationem in votis realibus, ad obligationem vero finiendam in votis personalibus. Regula tamen exceptiones patitur, nam tempus accipi potest a vovente et in votis realibus *per se* et in votis personalibus *per accidens*. Accipitur *per se* quoties venit in votis praecipuum elementum. Sic qui vovit facere eleemosynam die sabbati in honorem Beatae Virginis aut accedere ad mensam eucharisticam die quo festum Sancti celebratur in honorem Sancti; his propterea in adiunctis tempus determinatum fuit ad finiendam obligationem; nisi constet de intentione contraria.

Verum cum agitur de Communionem recipienda ad solvendum erga quendam e celitibus debitum gratitudinis, determinatio temporis est elementum voti dumtaxat secundarium. Ideo Genicot: «Videndum num forte dies tantum ad urgendam obligationem statutus fuerit; quod praesertim patebit ex intentione voventis, ex causa ob quam votum elicatum est, etc. Ita manebit obligatio ieiunii voti in gratiarum actionem» \ Merkelbach quoque: «In personalibus autem (tempus consetur determinatum) ad eam (obligationem) finiendam, v. gr. votum ieiunii in sabbato; ita nisi ex natura vel fine voti aliter statuendum sit, ut si quis ad emendationem voveat confiteri per

1 Genicot, *Th. Mor.*, I, 320, ed. 1931.

hebdomadam, aut in gratiarum actionem voveat certo die ieiunare» *.

Martha igitur adhuc tenetur voto. Et prudens confessorius ipsi suggerat ut quamprimum suscipiens Communionem gratum animum exhibeat Deo atque S. Francisco intercessori.

Alii casus.

C. II.—Quinctilla, puella, vovit religionem ingredi si 351 eius frater nuberit. Hic quidem non nupsit, sed illa scrupulis laborat quod causa exstiterit cur optatissimo matrimonio frater valedixit.

Sol.—Puella quae vovit se ingressuram religionem si frater nuberit, religionem non tenetur ingredi si frater non ineat matrimonium; mediis etiam iustis atque licitis (precibus, puta, aut lacrimis) potest fratrem suadere ne confugiat ad nuptias. Quod si fratrem a nuptiis vi vel dolo impediret ne votum adimplere ipsa cogatur, tunc peccat contra votum, quippe quod fecit dependere a voluntate aliena et nunc reddit a voluntate huiusmodi independens. Sed utrum postquam culpabiliter et malitiose condicionem impedivit appositam, ad votum implendum teneatur auctores disputant; Salmanticenses sententiam affirmativam dicunt valde probabilem; negativam vero, probabiliorem 2.

C. III.—Domnina, mater familias, ut obtineret a Deo 352 salutem primogeniti, votum emisit disiunctivum, ieiunandi nempe aut eleemosynam conspicuam elargiendi. Nunc vero anxiatur, filii recuperata valetudine, quodnam sibi adimplendum.

Sol.—Disiunctive vovens, hoc nempe aut illud, ius ha-

1 Merkelbach, l. c., 727.

2 Salmanticenses Mor., tr. 17, de voto, etc., c. 1, n. 172 s.

bet ut libere ipse eligat; sic qui vovit aut ieiunium aut eleemosynam, potest illud eligere prae hac, hancque prae illo. Si alterutra materia, nondum facta electione, evadat—absque culpa voventis—impossibilis, voti obligatio est nulla; si tamen voventis culpa, altera materia urget—ex culpa enim propria licet nemini reportare commodum—. Semel electione facta, urget iam quod elegerat, quantumvis prae voti adimpletione impossibilis reddatur materia repudiata. Si alterutra materia voti esset illicita, votum est nullum; excipe dum votum emittitur poenale, in quo materia licita promittitur ut actus mali poena—v. gr. si mendacium dixerim, faciam eleemosynam—; votum hoc etenim est potius condicionale quam disiunctivum.

353 C. ZV.—Ariadna petit a confessario quandonam implere teneatur votum quod nuncupavit.

Sol.—Obligatio voti urget tempore quo intendit vovens, aut tempore quo voventi occurrit materia voti, si intentio temporis nulla. Sic qui vovet peregrinationem instituere mense Decembri, non tenetur peregrinare ante hunc mensem—tenetur tamen post eum, si tempus determinatum fuit ad obligationem urgendam, non ad finendam quoque—. Quod si tempus non fuit determinandum, materia est pensanda: sic tenetur semper ac pro semper abstinere ab actu qui actum vovit omittere, v. gr. mendacium; qui autem vovit actum ponere, eum ponere debet cum se praebet occasio, v. gr. qui vovit pugnare contra infideles, tenetur nomen militiae dare quae conscribitur ut infidelibus bellum gerat. Consequens est igitur peccare contra votum qui culpabiliter tempus determinatum praetermittit; eum insuper qui, tempore non determinato, occasione non utitur, voluntarie sic incidens in impossibilitatem vel difficultatem perficiendi votum.

C. V.—Utrum vota a Rectoribus alicuius nationis aut civitatis nomine communitatis emissa posteros obligent.

Sol.—«Respondetur: affirmative; at non vi voti, cum nemo voto alieno ligari possit, sed vi legis vel consuetudinis legitime approbatae: quidquid enim superior nomine subditorum Deo promittit, id unicuique membrorum faciendum vel omittendum imponit, non vi voti, sed ex oboedientia seu praecepto. Quare posset sine dubio talis obligatio a successoribus legitime abrogari per legem vel consuetudinem in contrarium, absque eo quod fuerit necessaria dispensatio a voto». Ita Fanfanil.

C. VI.—Zosima fecit votum oboedientiae erga confessarium. Nunc vero petit a theologo an peccet contra virtutem oboedientiae confessario inoboediens.

Sol.—Negative, nam per votum illud—aliter atque per vota religiosa—is cui promittitur oboedientia non fit superior voventi nec auctoritatem obtinet super ipsum. Non ergo peccat Zosima contra virtutem oboedientiae confessario inoboediens; peccat tamen contra virtutem religionis quoties id agit aut omittit quod confessarius vult illam omittere aut perficere—nisi voluntas sit irrationalis vel rei aperte inutilis. Sic Regatillo 2.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Gravis materia in voto (I, 303); Coalescentia in fractione voti (I, 314).

1 Fanfani, *Th. Mor.*, III, 52.

3 Regatillo, *Casos canônico-morales*, III. 476, ed. 1960.

xxvii. VOTI INTERPRETATIO

Doctrina.

356 Quod attinet ad vota publica (333), haec sunt liquido interpretanda ad sanam doctrinam canonistarum et theologorum.

Ad interpretanda vero cetera, id est privata, vota triplex principium praesto sit oportet.

Primum atque praecipuum: intentio voventis, sive expressa sive praesumpta. Praesumpta intellegitur intentio «si potero», cum votum sit de bono meliori atque possibili (physice et moraliter); insuper «si res non fuerint notabiliter immutatae», quia nemo ad plus tenetur quam promisit, nec igitur ad rem longe diversam—unde fertur communiter illam rerum mutationem notabilem excusare a servando voto v. gr. ieiunii quae aut praevisa impediret, tunc temporis, nuncupationem voti, aut excusaret modo a ieiunio servando lege ecclesiastica statuto.

357 Aliud, subsidiarium, principium est: communis usus et Ecclesiae lex vel consuetudo. «Hinc ille qui vovit Rosarium, potest illud alternatim recitare cum socio... Qui vovit ieiunium per mensem, non tenetur ieiunare diebus Dominicis...; potest etiam uti lacticiniis et generatim adhibere illas dispensationes quae in sua regione conceduntur omnibus fidelibus durante Quadragesima... Qui vovit audire cotidie Missam, non tenetur diebus Dominicis et festivis audire duas Missas, etc.» l.

Tertium, in aliorum defectu, hoc est critérium: In dubio benignior pars sequenda, quoniam agitur de obligatione et ideo versamur in odiosis, quae non sunt extendenda sed restringenda. Unde «qui vovit aliquid sine cer-

ta quantitate, v. gr. eleemosynam, pecuniam, frumentum, etc., satisfacit dando quantum voluerit; dummodo non det tam parum ut videatur potius Deum illudere, quam votum implere» x. Pariter, qui dubitat num diem apposuerit ad finiendam aut ad urgendam obligationem, ad finiendam censetur in votis personalibus. Item, qui dubitat num voverit pro anno aut pro mense, tenetur ad mensem.

Casus primus.

Anna, cum unicus eius filius graviter aegrotaret, votum edidit, si ille convalesceret, se carnibus in singula sabbata abstinendi. Filii valetudine a morbo confirmata, susceptum onus ad hoc tempus religiose absolvit, neque recusat in posterum fideliter exsequi. 358

Verum, attentis huius temporis angustiis atque gravibus praescriptionibus, confessarium sciscitatur an vel in praesentia hoc onere pariter teneatur. Item ipsum interrogat num grave sit eidem aliquando deesse, atque utrum ipsum diebus quoque festis de praecepto, si qui occurrant, exsolvendum sit.

Quid ad singula?

Solutio

Primae quaestioni, scilicet num in praesentis temporis angustiis et gravibus praescriptionibus sive limitationibus teneatur Anna ad observantiam voti, respondendum est sub distinctione: si ex temporis angustiis et gravibus praescriptionibus, Anna extenuata sit, ita nempe quod abstinentiam sabbati servare nequeat sine corporis gravi nocumento, voto non adstringitur in adiunctis, nam praesumitur vovisse «si potero»; verum si Anna va-

1 Marc, *Inst. Mor.*, I, 633. ed. 1927.

lida perseverat nec timet salutis detrimentum, angustiae temporis, etc., nisi aliter ipsa expresse intenderit, non eximunt a voto, cum quoniam etiam praevisae non impedirent Annam a voto nuncupando in discrimine filii unici, tum maxime quia mutatio rerum non est talis quae sufficiat ad excusandos communiter fideles a lege ecclesiastica abstinentiae, etsi parcitas et levitas cibi hodierni tribuant dispensationi causam sufficientem. Commutet ergo ipsamet, si mavult, abstinentiae votum in votum melius², quin in votum aequale³; totius petat consilium confessorii*. Si commutationem tamen recusaret—quod evidenter fingimus, cum ipsa Anna proferat se paratam votum, prout fuit emissum, servare in posterum, contrariis non obstantibus—, dispensationem postulet, quae non negabitur⁵.

¹ Sic ob temporum angustias Indultum quoad abstinentiam et ieiunium concessum fuit 19 dec. 1941 (AAS, 33, 1941, p. 516 sq.) et prorogatum 22 ianuarii 1946 (AAS, 38, 1946, p. 27).

³ Commutatio ieiunii sabbatici in quotidianam Missae auditionem dicitur a Ferreres (*Casus Conse.*, I, 373, ed. 1926) omnino in melius.—«Asserit Lohner unam Confessionem vel Communionem valere pro rosario totius hebdomadae. Sed huic generaliter loquendo non acquiesco» (S. Alphonsus, *Th. Mor.*, III, 246, ed. Gaudé).

³ Can. 1314.—«Commutatio in evidenter melius nullam exposcit causam; in aequale nequit fieri sine aliqua iusta causa, licet parva sufficiat; in minus poscit maiorem causam, etsi non tantam quantam dispensatio» (Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I, 500, ed. 1939).

* «Commutatio proprie dicta habetur, si opus promissum mutatur in aliud opus disparatum, e. gr. ieiunium in eleemosynam aut orationem. Tunc autem videtur in praxi vix umquam licere propria auctoritate commutatio voti privati in aliud privatum. Nam nemo potest propria auctoritati tuto iudicare, quale opus sit melius tam pro se quam pro cultu Del. E. gr. oratio est opus perfectius quam ieiunium, quia virtus religionis est excellentior virtute temperantiae. Numquid autem quis potest propria auctoritate commutare votum ieiunii sabbatini in recitationem Rosarii? Ergo non solum melius, sed etiam tutius est commutationem voti non facere nisi mediante auctoritate confessorii aut superioris ecclesiastici» (Prümmer, l. c., 430).

⁵ Cum agatur de voto non reservato (366). dispensationem valent concedere ii de quibus infra (ib.).—Quoad irrationem voti a marito. Cf. 369-71.

Ad alterum quaesitum, nempe num sit grave aliquando voto emisso deesse, responsio, saltem traditionalis, affirmativa: Anna, nisi aliter expresse intenderit, toties peccabit graviter quoties ieiunium solvet (cf. 347 n.).

Ad tertium, denique: Num ieiunium exsolvendum sit 360
ipsis diebus festis de praecepto, si qui occurrant, priusquam responsum demus, distinguamus oportet. Aut enim post Codicem votum emissum fuit aut ante Codicem. Si quidem ante, nec ipsa vovens aliter intenderit—quod constare satis poterit quod hucusque ipsis diebus festis a carnibus abstinuit—, his etiam diebus votum urget: quoniam, etsi lex ecclesiastica abstinentiae cesset festis de praecepto extra Quadragesimam (can. 1252, § 4), nihil ideo hoc canone immutatur de induitis particularibus, de votis cuiuslibet personae physicae vel moralis, de constitutionibus ac regulis cuiusvis religionis vel instituti approbati (can. 1253); unde ad quaestionem: «Utrum diebus festis de praecepto extra Quadragesimam cesset lex ieiunii quae continetur in Regula Fratrum Minorum», S. Congr. de Religiosis (22 martii 1921) respondit: «Negative»¹. Si vero post Codicem, atque Anna dum vovit nec inclusit hos festos nec exclusit, duplex datur sententia: alia, excusans a servando voto; alia, quae probabilior visa fuit Salmanticensibus², urgens voti observantiam. Haec altera sententia eo magis aptatur casui nostro quod Anna, dum pro salute filii unici votum emittebat, etiamsi circumstantiam diei festi praevidisset, nihilominus pro omni omnino sabbato abstinentiam vovisset³. Poterit tamen, nisi expresse excluserit, stare Codici, in utraque hypothesis, quoad modum abstinentiae, sic videlicet ut utatur ovis et lacticiniis et quibuscumque condimentis, etiam ex adipe animalium (can. 1250).

¹ Sartori, *Enchiridion Canonicum*, ad can. 1253.

² Salmanticenses Mor., tr. 17, de voto, etc., c. 1, n. 139; et tr. 23, de tertio Dec. praec., c. 2, n. 104.

³ Cf. S. Alphonsum, l. c., 226.

361 C. II.—Nicetas, qui ex voto ingressus erat monasterium indeque dimissus, petit a confessario num voto teneatur ingredi monasterium aliud.

Sol.—Ad hoc Fanfani: «Si ingressum in determinatum monasterium promittere intellexit, ad nihil aliud tenetur, etiamsi ipse culpabilis causa fuerit suae dimissionis. Si vero ingressum in religionem in genere promittere intellexit, tenetur, in quantum potest, voti executionem adhuc curare et aliud monasterium quaerere a quo recipiatur... Secunda autem vice, et a fortiori tertia dimissus, non tenetur amplius aliud monasterium quaerere, cum res appareat pro illo moraliter impossibilis» 1. Priimmer autem: «Qui vovit intrare in statum religiosum, potest intrare in quodcumque institutum religiosum approbatum; sin autem post ingressum a superioribus dimititur, non tenetur iterum conatum facere in alio instituto religioso, praesertim cum iuxta vigentem disciplinam nemo post professionem dimissus ex aliquo instituto religioso possit in alio instituto religioso recipi sine speciali dispensatione Apostolica. Petitio autem talis dispensationis (quae non ita facile conceditur) videtur esse medium extraordinarium, ad quod nemo tenetur pro executione sui voti» 2.

362 C. III.—Clara, cum perfectionis studiosa constituerit nuptiis valedicere, fecit, de consilio confessarii, votum castitatis ad tres menses, quibus transactis votum renovavit, de ipsius confessarii consensu, ad aliud trimestre. Hoc absoluto, confessarius suasit temporaneam renovationem alteram; sed quoniam tardi auditus erat Clara

» Fanfani, *Th. Mor.*, III, 58.

' Prümmer, l. c., 408.

temporis condicionem sub qua renovatio proponebatur non percepit et emisit votum perpetuum.

Sol.— Clara intendebat votum emittere pro tempore quo permetteretur sibi a confessario; porro hic ad tempus solummodo votum permisit tunc, sicuti et antea, eius quantumvis mentem Clara non attingeret. Haec igitur non intellegitur voto perpetuo adstricta, nam votum non obligat ultra voventis intentionem, explicitam aut implicitam. Ergo non agitur votum reservatum S. Sedi. Sic Regatillo \

C. IV.— Titius Deo promisit se ieiunaturum omnibus diebus sabbati semper ac posset. Nunc dubitat utrum illa obligatio adhuc perduret, cum ipse iam ingressus sit in annum sexagesimum secundum. 363

Sol.— «Titius iam non tenetur ieiunare, quia nisi expresse contrarium dicatur, vota ieiunandi intelleguntur ad normam legis ecclesiasticae; et cum haec lex urgere cesset post inchoatum annum sexagesimum, ita etiam tunc vota ieiunandi cessant». Sic Ferreres 2.

C. V.— Putans in professione religiosa promitti regulae observantiam, Casimirus intendit se obligare ex voto et sub mortali ad singula regulae praescripta. Detegens postea suum errorem, dubius haeret num teneatur ex voto atque sub gravi ad observantiam regulae. 364

Sol.— Si in quadam religione fratres profitentur servare regulam, in ceteris expressius atque cautius—ad vitandas difficultates et scrupulos—profitentur vivere vel oboedire secundum regulam. Nullibi tamen ad contenta in regula tenentur nisi prout in regula sunt contenta; quapropter sub gravi aut levi si continentur ut obligantia sub mortali aut veniali, sub una poena si continentur

1 Regatillo, *Casos Canónico-Morales*, IIT, 478, ed. 1960.

3 Ferreres, l. c., n. 353.

ut ad nullam culpam obligantia. «Quod adeo verum est, ut etiamsi aliquis intenderet in sua professione se obligare sub culpa mortali et ex voto ad singula in regula contenta, credens id exigere professionem talis religionis, non esset magis obligatus quam alii. Ex errore enim esset dicta intentio, cum tamen alias ipse simul intenderet se non obligare magis quam vere professio obliget»

365 C. VI.— Saturninus, consuetudinarius, volens confessorio demonstrare firmum emendationis propositum, eidem coram Deo promisit se non amplius in vitium cui hucusque indulxerat relapsurum. Relabatur attamen et confessori interroganti num intenderit verum votum emittere, respondet se dubitare an votum aut propositum fecerit.

Sol.— «In dubio utrum quis propositum fecerit an votum, possidet libertas; excepto casu quo quis recordatur se credidisse, dum promitteret, graviter se peccaturum si promissionem non implet, quia tunc recte arguitur voluisse voti obligationem sibi imponere». Sic Aertnys-Damen².

XXVIII. VOTI DISPENSATIO ET IRRITATIO

Doctrina.

366 Voti dispensatio est relaxatio voti facta nomine Dei ab habente competentem iurisdictionem. Hanc habet S. Sedes exclusivam in vota quae ideo dicuntur reservata; habent nonnulli alii in vota cetera, quae non-reservata nuncupantur.

Vota reservata sunt vota publica atque duplex priva-

¹ Passerini, *De hominum statibus*, etc., q. 186. a. 9, n. 39.

¹ Aertnys-Damen. l. c., n. 480. Cf. supra, n. 332n.

U

ail

Hi

• III

.

il

lit

Lil

Jil

?l

tum votum, scilicet votum perfectae ac perpetuae castitatis et votum ingrediendi religionem votorum sollemnium, dummodo privata haec vota emissa fuerint absolute et post completum decimum octavum aetatis annum (can. 1309). At specialis saepe fit Ordinariis dispensandi facultas, ubi recursus ad Summum Pontificem est moraliter impossibilis. Immo, in casu urgentis necessitatis, ad matrimonium contrahendum, in voto perfectae atque perpetuae castitatis, etiam sollemni, dispensare possunt quidam alii, ad normam can. 1043 ss. Impetrato saecularizationis induito, quod in religionibus iuris dioecesani etiam loci Ordinarius dare potest (can. 638), professus manet a votis religiosis liberatus (can. 640). Pariter a votis religiosis temporaneis ipso facto solvitur qui a religione dimittitur; non tamen, communiter, ipso facto a votis religiosis perpetuis (can. 648, 669).

«Vota non reservata, possunt iusta de causa dispensare, dummodo dispensatio ne laedat ius aliis quaesitum: 1.º Loci Ordinarius quod attinet ad omnes suos subditos atque etiam peregrinos; 2.º Superior religionis clericalis exemptae quod attinet ad personas quae in can. 514, § 1 enumerantur; 3.º Ii quibus ab Apostolica Sede delegata fuerit dispensandi facultas» (can. 1313). In his sunt confessarii regulares habentes Mendicantium privilegia.

Voti irritatio est voti relaxatio facta nomine proprio ab eo a cuius voluntate votum alienum pendet. 367

Duplex distinguitur: directa seu proprie et rigurose dicta, atque indirecta seu impropria, quaeque suspensio etiam in Codice (can. 1312) appellatur. Quoniam votum unius ab alterius dependet voluntate ratione vel personae voventis vel materiae voti; ratione personae voventis, quandiu in huius voluntatem potestatem dominativam alter legitime exercet (can. 1312, § 1); ratione ma-

teriae, quandiu materia voti sub aliena iacet potestate (ib., § 2) «sive domini sive iurisdictionis: ut obtinet per modum domini tempore servitutis vel famulatus vel noviciatus; per modum iurisdictionis in quovis fideli erga potestatem ecclesiasticam, in quovis cive erga auctoritatem civilem» 1.

Vis autem directae irritationis est extinguere in perpetuum votum emissum «ita ut nullo in casu obligatio postea reviviscat» (can. 1312, § 1); nam votum in adiunctis, utpote quod domino praeiudicium fert, sub conditione fit, saltem implicita, nisi dominus, nempe, contradicat²; hac autem conditione deficiente, obligatio reviviscit numquam.

Irritatio indirecta non extinguit sua natura votum, sed eiusdem obligationem seu executionem suspendit ad tempus, quandiu scilicet adimplementum voti praeiudicium afferat irritanti (can. 1312, § 2); quod si huiusmodi tempus determinatum fuerit a vovente ad finiendam obligationem voti, tunc votum, per accidens, extinguitur. Ratio illius suspensionis est quoniam votum in casu laedit alienum ius circa rem vel actionem promissam a vovente; hoc attamen non laedit postquam res vel actio desinit esse in eius potestate.

368 Facultate vota irritandi pollent:

A) Superiores ecclesiastici: a) Summus Pontifex, etsi nequeat directe irritare omnia vota fidelium, cum non habeat in omnes potestatem dominativam verum iurisdictionis, potest tamen irritare directe quidem vota religiosorum—tribus substantialibus exceptis, unde potestatem dominativam obtinet—qui sibi subiiciuntur vel vi

¹ Damen, *De irritatione et suspensione votorum*, etc., in *Apollinaris*, I (1928), p. 471.

² *Nisi dominus contradicat, potius quam si dominus consenserit*, nam in sententia probabiliore vota sunt valida donec irritentur (cf. S. Alphonsus, *Th. Mor.*, III, 231, ed. Gaudé).

voti oboedientiae (can. 499, § 1), atque indirecte vota omnium fidelium «quae ipsius iuribus praeiudicant, et notanter vota facta circa bona ecclesiastica, cum ipse sit supremus administrator bonorum ecclesiasticorum»¹; *b*) episcopus potest irritare: directe, vota privata religiosorum qui in Institutis diocesanis sibi subduntur; indirecte, vota suorum fidelium quae praeiudicent eius iuribus; *c*) superior religiosus scilicet Generalis, Provincialis, Abbas, Prior, superior localis (idem dicito de Abbatissa, Priorissa), in ipsorumque absentia illorum Vicarius, potest directe irritare omnia vota privata, post professionem emissa, subditorum—id autem non possunt superiores minores, nec ideo magister studentium²—; indirecte vota tum professorum tum noviciorum sibi subditorum superiores quicumque, quandiu illa vota praeiudicant ipsorum iuribus vel regimini; alii quoque officiales possunt religiosos subditos occupare in aliis ministeriis tempore quo votum implendum esset de quo loquimur³.

¹ Prümmer, *Th. Mor.*, II, 419, ed. 1928.

² Noviciorum vota nequit superior religiosus irritare directe; nec a fortiori magister noviciorum, etiam praevio novicii voto oboedientiae erga magistrum (Vermeersch, *Th. Mor.*, II, 224, ed. 1928). Si tamen ageretur de novicio qui post professionem ab alia transivit religione, tunc superiores novae religionis, immo magister noviciorum possent eius vota privata irritare directe (can. 633, § 1).

³ Iuxta Salmanticenses *Mor.*, tr. 17, de voto, etc., cap. 3. η. 42, vota noviciorum suspenduntur ipso iure dum noviciatus agitur; de huiusmodi tamen suspensione Codex I. C. silet. Verum ex Codice: «Vota ante professionem religiosam emissa suspenduntur, donec vovens in religione permanserit» (can. 1315). Cum propositio universalis sit, intelleguntur omnia vota, ideoque vel votum transeundi in aliam, etsi severiorem, religionem (Damen, art. cit., in *Apollinaris*, 3 [1930], p. 276), et probabilius vota privata emissa in alia religione (Id., ib., p. 278). Professio religiosa in qua vota praecedentia suspenduntur est professio prima, temporaria sit aut perpetua (Id., ib., p. 276 sq.). Dubium remanet num vota privata quae ante sollemnem professionem emissa fuerint extinguantur hac professione; probabilius, affirmative, nisi postea renovata fuerint (Id., ib., p. 280 sqq.). Quoniam illa suspensio ponitur «donec vovens in religione permanserit», illa vota indubie reviviscunt si professus religionem deserat, expulsetur, obtineat saecularizationis indultum; non autem

369 B) Superiores civiles et domestici: a) Principes eorumque vicesgerentes (in provincia, civitate, pago) possunt indirecte irritare vota privata subditorum quae iuribus suis afferant praeiudicium; b) Dominus et domina possunt irritare indirecte vota famulorum et famularum quae famulatu vel oboedientiae debitae non congruunt; c) Pater irritare potest directe omnia vota impuberium¹, licet emissa in favorem tertii²; idque potest vel post adeptam pubertatem atque emancipationem, si pubes non confirmaverit filius votum pristinum a. Puberum qui minores sint³ nec a patria potestate emancipati, probabilius pater non gaudet potestate directae irritationis (377); indirecte tamen possunt a patre irritari puberum non emancipatorum personalia vota quae praeiudicant patriae potestati, gubernationi familiae, regimini domus, v. gr., votum longae peregrinationis seu absentiae; non autem vota personalia quae dictis non praeiudicant, v. gr., votum castitatis, moderati ieiunii; possunt quoque a patre irritari indirecte puberum non emancipatorum vota realia, quorum administratio est sub parentum cura; non autem votum de peculio castrensi aut de bonis adventitiis⁴; verum vota personalia aut realia puberum emancipatorum pater irritare vel

per indultum exclaurationis, nec per promotionem ad episcopatum, cardinalatum, etc.; forsitan attamen reviviscunt in apostata, fugitivo, dimisso (Damen, l. c., p. 286 ss.).

¹ Masculus censetur pubes a decimoquarto; femina, a duodecimo anno completo (can. 88, § 2). Incongrue igitur Prümmer (l. c., n. 417) loquitur de irritatione votorum filiorum impuberum etiam reservatorum, nam vota privata reservata nulla nisi emissa post completum annum decimum octavum (can. 1309); publica autem impuberibus non permittuntur (can. 573).

* Noldin, *Th. Mor.*, II, 226, ed. 1932.

³ Ut votum pristinum is confirmet, oportet conscius sit eius infirmitatis; alias enim non intendit votum confirmare, sed servare.

⁴ «Persona quae vicesimum primum aetatis annum explevit, maior est; infra hanc aetatem, minor» (can. 88, § 1).

³ Salmanticenses *Mor.*, l. c., n. 48.

indirecte nequit. Potestatem quam pater habet circa legitimos, etiam circa illegitimos exercere potest. Deficiente patre, facultas votum irritandi competit tutori aut curatori (si plures, cuilibet in solidum), necnon et matri. *d)* Maritus, directe irritare nequit uxoris vota prae matrimonio emissa; quoad emissa durante matrimonio eoque persistente (id est non soluto per divortium), non est una sententia apud Doctores; attamen indirecte irritare valet uxoris vota quae iuribus matrimonialibus adversantur, v. gr., votum castitatis aut longae peregrinationis. *e)* Uxor vota mariti non potest irritare directe; indirecte vero ea irritare potest quae iuribus matrimonialibus praeiudicant, v. gr., votum longae peregrinationis aut castitatis.

Casus primus.

Dum in oris Africae bellum effrenatius saevit, Francisci parentes atque sorores trepide eius nuntium in dies expectant. At incassum. Hinc maestissima mater atque piaae sorores instantius Deo pro dilecti militis salute supplicat atque piam peregrinationem ad delubrum B. Virgini Pompeiis dicatum, si laetus nuntius adveniat, promittunt. Immo una ex sororibus, Caecilia, viginti annos nata, quae usque adhuc de genere vitae amplectendo semper haeserat, ingressum in religionem votorum sollemnium, hac pariter condicione, secreto vovet. 370

Laetus re vera nuntius tandem ex Africa pervenit; at pater familias qui, religionis prorsus incuriosus, peregrinationis voto aegre annuerat, nunc eius executioni obstat atque officit; Caeciliae vero proposito et ipse et mater acerrime obsistunt. Verum, post nonnullos menses, pater, gravissimo morbo correptus, supremum diem obit, atque novus tristisque nuntius ex Africa advenit Franci-

scum, in novissima pugna, crebro vulnere consauciatum esse.

Hinc dolentissima mater quae ceterum nunc, ob mariti obitum, angustius se habet, cuidam confessario omnia enarrat ut sciat utrum ipsa eiusque filiae promissae peregrinationis onere teneantur. Itidem Caecilia, cui primus animi fervor interim concidit, quaeque denuo de sua vocatione haerere incipit, confessarium adit atque de suo voto interrogat.

Quid ad casum?

Solutio

371 Duplex agitur votum, aliud peregrinandi quod mater atque sorores emisserunt, aliud religionis a sola Caecilia emissum. Utrumque votum fuit condicionatum futuro laeto nuntio; eo adveniente, condicio a qua pendeat impleta certo certius; ideo tentata votorum exsecutio, cui pater familias obstitit et offecit. Reviviscuntne post eius obitum?

Negative, quidem, si paterfamilias donetur facultate irritandi directe tum vota uxoris emissa durante matrimonio tum omnia vota filiorum puberum non emancipatorum (prout esse praesumuntur in Casu nostro), et pater familias, de quo sermo, non modo peregrinationem et religionis ingressum impediverit, sed votum quoque peregrinationis et religionis irritaverit.

Affirmative, contra, si patrifamilias illa denegatur potestas, saltem quoad votum filiae de amplectendo religioso statu.

372 Practice ergo, quod illa facultas valde dubia sit, maxime quoad votum religionis a filia emissum, et quod incertum sit, in benigniore quoque sententia, an pater familias noster vota voluerit irritare aut eorum tantum

exsecutionem suspendere, petitio dispensationis est suadenda: quoad votum imprimis peregrinationis (non reservatum) ob angustias quibus mortuo patrefamilias uxor et filiae subiciuntur; quoad votum quoque religionis (reservatum), si Caeciliae fervore deminuto spes fundata desit de eius in claustrum receptione, saltem perseverantia.

Alii casus.

C. II.—Mortuo coniuge, Pelagia emisit votum non amplius nubendi. Post annum attamen, cum velit ad secundas nuptias transire, votum aperit confessario, qui ad Sedem Apostolicam pronuntiat pro dispensatione recurrendum. An recte confessarius. 373

Sol.—Votum non nubendi non est secundum se idem cum voto castitatis perfectae, nam secundum se nihil importat praeter coelibatum seu statum liberum; ad summum, abstinentiam ab usu coniugii seu ab actu venereo licito coniugibus—votum, e contra, perfectae castitatis excludit omnem actum venereum, internum quoque—. Attamen, cum agatur de voto privato, quod imprimis interpretandum est secundum voventis intentionem, votum non amplius nubendi potest ex intentione voventis unum esse cum voto castitatis perpetuae atque perfectae. Confessarius ergo debuit interrogare Pelagiam de intentione qua votum emisit. Si constat de intentione emittendi votum castitatis, non modo perpetuae, sed et perfectae, tunc quaerere debuit an votum fuerit emissum absolute, id est absque condicione de futuro contingenti—v. gr., si filius sanitatem recuperaverit—, ideoque non disiunctive—v. gr., nisi maluero inservire hospitali—nec instar voti poenalis—v. gr. si me ruere contingat in peccatum—. Si affirmative ad haec omnia responderit—et votum, uti supponimus, emissum fuerit post imple-

tum annum duodevigesimum—, sententia confessarii probanda; alias, e contra, reformanda.

374 C. III.—Secundilla quod votum perfectae et perpetuae castitatis emiserat ante aetatem decem et octo annorum post hanc quoque aetatem quotidie renovat. Num propterea reservatum dicendum sit?

Sol.—«Negative: votum namque semel emissum, non amplius dependet, tum quoad eius naturam tum quantum ad eius obligationes, a voluntate voventis, sed perseverare pergit qualiter ab initio emissum fuit; ab initio autem non erat reservatum; ergo neque in prosecutione temporis reservatum evadere potest. Aliud dicendum, si votum ante decimum octavum annum emissum, fuisset non absolutum, neque perpetuum, atque post completum decimum octavum annum renovatum fuisset tamquam absolutum et perpetuum, sicut est in voventis potestate; tunc evaderet certo reservatum». Sic Fanfani¹.

375 C. IV.—Interdum Censurius irritat subditorum vota quin cognoscat votum specificum de quo agitur. Estne propterea invalida irritatio?

Sol.—Negative. Non enim requiritur quod votum irritans cognoscat specificum votum irritandum; sufficit si dicat: Nolo te esse gravatum voto, aut: Aufero votum quod emisisti. Si agitur de irritatione indirecta, «ipse suspendens ne quidem ipsam adimplementi impeditionem necessario directe voluntarie intendat oportet; sed sufficit si, etiam votum ignorans neque illud suspendere ullo modo intendens, simpliciter tale ius suum prosequatur, quod cum voti adimplemento stare nequit»³.

1 Fanfani, *Th. Mor.*, III, 67.

2 Salmanticenses *Mor.*, l. c., η. 34.

3 Damen, art. cit. in *Apollinaris*, 1 (1928), p. 472.

C. V.—Prudentius valde angitur quoad subditorum 376
vota irritanda, quoniam irritationem putat non modo
illicitam sed et invalidam nisi causa proportionata adsit.

Sol.—Ad irritationis directae validitatem nulla causa
requiritur; ad eiusdem tametsi liceitatem causa exigatur
proportionata sive iusta (can. 1312, § 1), cum sine tali
causa nemo debeat potestatem dominativam exercere
cum detrimento maioris boni, videlicet cultus Dei atque
utilitatis voventis; absque iusta igitur causa votum sic
irritare est, ut plurimum, peccatum veniale; erit autem
mortale, si pariat grave damnum aut fiat ex contemptu
religionis l. Verum si indirecta agitur irritatio, distin-
guendum est num detur ex potestate dominii aut ex pote-
state iurisdictionis. Si primum, aequae ac pro irritatione
directa, nulla causa requiritur ut sit valida. Si alterum,
causa omnino necessaria est, quem ad modum et pro
valida dispensatione. Sed «ipsum praeiudicium caven-
dum, quod est fundamentum indispensabile *validae* su-
sensionis, per se etiam necessario causam sufficientem
pro honestate eius suspensionis suppeditat...; per se, id
est, nisi specialis ratio occurreret, ob quam quis a iure
suo utendo abstinere deberet» 2.

C. VI.—Utrum pater familias potestatem habeat ir- 377
ritandi directe vota puberum minorennium non eman-
cipatorum.

Sol.—Ante Codicem quidam hanc facultatem denega-
bant, quidam concedebant, quidam limitabant, ne exten-
deretur nempe ad vota quibus pubes disponderet de sua

1 Prümmer, l. c., n. 413.—Peccat pariter venialiter qui irritationem
petit absque causa (Id., ib.). Et hic notare oportet quod si petens irrita-
tionem voti, voti omitteret circumstantiam, petens tantum licentiam
ad aliquid contrarium voto agendum, irritatio ordinarie non valet, quia
superior illam licentiam tribuens non supponitur velle irritare votum sibi
Ignotum (Marc, *Inst. Mor.*, I, 640, ed. 1927).

2 Damen, l. c., p. 473.

persona, v. gr., votum religionis vel castitatis. «Sunt qui censent, praesertim post Codicem promulgatum, vi patriae potestatis omnia vota minorennium, etiam in pubertate emissa, directe quoque irritari posse, cum can. 89 diserte dicat minorennem in exercitio suorum iurium potestati parentum vel tutorum obnoxium manere, iis exceptis in quibus ius minores a patria potestate exemptos habet. Alii vero id non admittunt; et ratio est, quia, adepta pubertate, praesumitur filius habere discretionem ad vovendum requisitam, fitque sui iuris quantum ad divinum obsequium. Accedit quod secus etiam fere inutile fuisset in can. 1309 pro minorennibus post decimum octavum aetatis annum votorum reservationem statuere; cum tunc ista vota multo facilius irritatione directa auferri potuissent. Canon autem 89 sufficienter explicatur de potestate indirecta; hinc nulla urgens videtur esse ratio discedendi a doctrina ante Codicem communiter recepta. Cf. II-II, q. 88, a. 8, 2m» *

XXIX IURAMENTUM

Doctrina.

378 Prout adducimus testes homines ad fidem adstruendam iis quae nobis asserentibus auditores aut nullatenus credunt aut non firmiter—quasi diceremus: Si mihi non creditis, sapientiori et veraciori credatis—, sic et invocamus Deum quoque testem ut insufficiens humanum verbum testimonio Omniscientis summeque Veracis confirmetur. Ideo iuramentum definitur: Invocatio Divini Nominis in testem veritatis (can. 1316). Dicitur *invocatio*,

i Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I. 490, ed. 1939.—Damen hanc alteram sententiam late defendit in art. cit. in *Apollinaris*, 2 (1929), p. 496 sqq., et 3 (1930), p. 109 s.

non *enuntiatio*, quia iurans non simpliciter asserit Deum omnia cognoscere prout sunt et testificari posse veraciter, sed Deum ulterius invocat ut ferat testimonium, nunc aut in futuro, prout Sibi placuerit. Cum autem Nomen divinum invocare in confirmationem falsitatis, irreligiositatem gravem importet ideoque peccatum a Deo supremo vindice puniendum, et nemo censeatur poenas sibi praecari, nullus qui Deum admittit censeatur Eum invocare qui falsum confirmet. Adiungimus *Divini Nominis*, nam invocatio angelorum et sanctorum in testes, nisi agatur iuramentum implicitum, seu invocatio Dei per illos, a provincia iuramenti omnino exsulat. Verba denique *in testem veritatis* ponimus, ut hanc invocationem Dei ab illa secernamus quae orationis est quaque a Deo petimus, non ut veritatem firmet, sed ut postulata concedat.

Ad validum iuramentum duo necessaria sunt: intentio iurandi, seu invocandi Deum in testem, atque formula qua sufficienter exprimatur haec invocatio Dei. Igitur si ex inndvertentia aut ex malitia animus iurandi desit, iuramentum invalidum—validum tamen, si animus unus desit implendi iuramentum—, et, etsi non absque causa

379

1 «Per creaturas rationales, nimirum per angelos, per Virginem Mariam. per alios Sanctos iurare, tripliciter fieri potest. Primo, si per eos principaliter iuretur. quasi illos testes infallibiles veritatis invocare nitatur: et hoc est omnino illicitum et blasphemum, quia esset creaturis tribuere id quod ad divinum honorem solummodo spectat... Secundo modo potest fieri per has creaturas rationales iuramentum, si eas secundum scientiam et dignitatem propriam in testes adducamus, ad magis roborandam et firmandam propositionem, sed non ut testes infallibiles veritatis, sed sicut alias personas in dignitate constitutas solemus in testes citare ut auctoritatem et fidem maiorem tribuant narrationi; et sic non erit illicitum, sed non erit verum iuramentum... Tertio modo iuratur per has creaturas ut referuntur ad Deum, eo quod in eis Deus maxime eluceat...; et sic est verum et licitum iuramentum, in quo tacite invocatur divinum testimonium» (Salmanticenses Mor., tr. 17, de voto, etc., c. 2, n. 13).

emissum, culpa non caret. Si formula sit ambigua, ad intentionem oportet attendatur: nam quae enuntiative seu narrative proferuntur, haec non important animum iurandi; bene, contra, quae invocative pronuntiantur. In formulis ambiguis hae ponuntur: Deus novit, Coram Deo loquor, Deus scit quod non mentior, Deus videt conscientiam meam; immo, ubi interrogatio aut declaratio de iuramento non praecesserit, iuro ita esse. Formula tamen: Deus est mihi testis, censetur satis clara et explicita x.

380 Ad iurisiurandi liceitatem, tres condiciones requiruntur: veritas, iustitia atque iudicium. Iudicium, quidem, sive discretio, ne Deus invocetur absque reverentia debita tanto testi. Iustitia, pariter, ne Deus videlicet inducatur cooperator ad malum. Veritas, denique, in eo consistens ut qui iurans asserit, id dicat quod sentit, et qui iurans promittit, id quod promittit velit saltem (386) implere 1

Veritatis defectus constituit periurium stricte dictum; quod mortale peccatum est ex toto genere. Ac defectus sive iustitiae sive iudicii, constituens periurium late sum-

1 Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I, 464, ed. 1939; Noldin, *Th. Mor.*, II, 243, ed. 1932.

2 «Iuramentum non est bonum nisi ei qui bene utitur iuramento. Ad bonum autem usum illius duo requiruntur, unum ex parte modi iurandi. aliud ex parte rei quae iuratur. Ex parte modi iurandi requiritur quod quis non leviter, irreverenter, praecipitanter, absque iusta et legitima causa iuret, quia Deo iniuriam irrogat, eum absque iusta causa in testem adducendo; et ad hoc ponitur *iudicium*, nimirum discretio et ponderatio causae et necessitatis, et quod attendatur quod reverenter nomen Dei invocetur et omnia quae exiguntur ad debitum modum iurandi. Secundo exigitur in iuramento quod attendatur ad id quod per illud confirmatur, ut scilicet neque sit falsum, nec sit aliquid illicitum; nam si sit falsum, efficitur Deus vel ignorans vel improbus, nam alterutrum falsitatis testem esse oportet; si sit illicitum, efficitur Deus cooperator illius mali quod illius testimonio promittitur. Et ob id requiritur veritas, per quam aliquis iuramenti confirmat quod verum est; et *iustitia*, per quam confirmat quod est licitum» (Salmanticenses *Mor.*, l. c., n. 35).

ptum, non importat secundum se peccatum grave. Est attamen huiusmodi ex defectu iustitiae iuramentum sive assertorium quo quis utitur quasi peccati—puta detractionis—instrumento—v. gr., ut probabilior inde infamia fiat—, sive promissorium, quo quis promittit facere id quod inhonestum vel iniustum est—quamvis de peccato levi patrandō promissio sit iurata, ut auctores tenent communius—. Ex defectu pariter iudicii grave fit iusiurandum ratione vel scandali vel periculi proximi peccati gravis ob aliarum condicionum defectum¹.

Casus primus.

Sophia, quae, cum iunior esset, prae imprudentia at- 381
que inscitia in insidias pessimi iuvenis deducta, turpem cum illo consuetudinem aliquando habuit, iam diu vitae rationem mutavit, atque nunc demum Aemilio occurrit, a quo, intuitu matrimonii, perditur amatur.

At hic amoris stimulis continuo angitur, atque Sophiam instanter adigit, ut iure iurando adstricta clare indicet an cum alio umquam turpiter se gesserit. Cuius immodestam postulationem illa, uti sibi iniuriosam, indignabunda semper propulsavit; at id Aemilii sollicitudinem atque suspiciones, nedum minuat, potius auget. Quare, ipsa, nolens suae famae detrimentum facere atque fortunatam nubendi occasionem amittere, a confessario quaerit an sibi liceat pristinam illam consuetudinem iuramento occultare.

¹ «Si quis cum iuramento se iactet de aliquo peccato etiam gravi, non nisi venialiter peccat *ratione iuramenti* seu religionis; nam iuramentum eo solo fine pronuntiatur ut alios de suo peccato certiores reddat; in quo non est nisi quaedam animi levitas venialis... Venialiter peccat qui iurat aliquid contra consilia evangelica, ut v. gr. se non ingressurum Religionem, non dare eleemosynam. Ratio est, quia hic potius affirmat se esse sic dispositum» (Marc, *Inst. Mor.*, I, 609, sq. ed. 1927).

Quid de casu Sophiae indicandum sit, quidque illi consulendum.

Solutio

382 Supponimus turpem consuetudinem cui induisit Sophia cum pessimo illo iuvene ad fornicationem porrectam fuisse; quae tamen occulta perseverat. Supponimus quoque huius consuetudinis absentiam non apponendam esse ab Aemilio condicionem sine qua non futuro consensui matrimonii; etsi demus Aemilium valedicturum nuptiis cum Sophia hanc ubi noverit ab alio fuisse cognitam.

His in adiunctis Sophia non tenetur Aemilio revelare turpem suam consuetudinem; neque tenetur, ex iustitia, a nuptiis cum eo desistere. Si Aemilius igitur ipsam de re interroget, Sophia, etsi nequeat uti mendacio vel restrictione pure mentali, valet attamen respondens adhibere late mentalem restrictionem, dicens, v. gr.: Innocens sum a tali consuetudine, si peccatum per paenitentiam remissum fuerat (ut videtur ex eius fiducia ad confessarium), aut: Numquam cum alio turpe quid egi, subintellegens in communi aestimatione, vel ad aperendum tibi, seu vel quod debeam tibi revelare. Hanc quancumque responsionem potest firmare iuramento. Quoniam dum Aemilius nullum incurrit damnum Sophia, praeterquam non tenetur se diffamare, malum incurret grave si perpetuo maneat inupta.

383 At confessarius, dum iuramentum huiusmodi profert in casu licitum, Sophiam pariter moneat cum de

1 Suppono virginem et corruptam non differre physice notabiliter; neque ideo corruptam esse noxiam, minusve utilem ad fines matrimonii. Notabilis quae differentia exstat moralis est. scilicet in opinione sive fama. Opinio autem vel fama est de rebus publicis, non occultis. Igitur dum peccatum occultum fuerit, si femina videlicet communiter reputatur virgo, eius valor moralis unus est et idem ac si virgo realiter esset.

probabili perdiuturna molestia ex suspicionibus Aemilii non facile sopiendis, tum de futura cui se exponit vita misera, si quando scilicet pravae illius consuetudinis conscius Aemilius fiat. Si tamen omnibus perpensis Sophia mavult haec sustinere incommoda potius quam abstinere a nuptiis, quarum, si oblatam non arripiat, occasionem dimittet in perpetuum, ab illomet praestando non prohibeat (cfr. 499 ss.).

Alii casus.

C. II.—Pompilius a iureiurando cordetenus abhorret; hinc a confessario sciscitatur num liceat iuramentum praestare absque iurandi' animo. 384

Sol.—Negative. Talis siquidem actus mendacium innuit—ostendit enim animum qui non adest—atque adversatur fini iuramenti, unde et est civili consortio perniciosus. Hinc damnata fuit ab Innoc. XI propositio: «Cum causa licitum est lurare sine animo iurandi, sive res sit levis sive gravis» (Denz. 1175). Sic autem iurare in confirmationem falsi, aut in iudicio, aut in contractibus, aut in re gravi, est peccatum mortale: ibi quidem, nam inducitur Deus falsitatis testis, quamvis externe tantum; hic vero, quia contemnitur verum ius iudicis vel contractantis, aut non caret gravi damno, sive particulari sive sociali. Ficte tamen iurare in confirmationem veri—sive quia verum est quod narratur, sive quia vere intendit promissum adimplere—extra praedictos casus a multis theologorum habetur peccatum dumtaxat leve, propter vanam nempe usurpationem divini Nominis, quae tunc videtur non involvere irreverentiam gravem

1 Ficte iurans se aliquid acturum vel daturum non tenetur illud facere vel praestare ex vi iuramenti. utpote quod ponitur nullum; potest tamen teneri ratione cum scandali tum damni, cuius alias existeret vera causa.

385 C. III.—Eulampia, mater familias, interdum sic in filios male agentes irascitur ut expresse iuret se illos acriter punituram. Sed cum postea a punitione absteat, dubitat num peccet infidelis iurando.

Sol.—Negative, ut plurimum; vel quod non adest intentio iurandi, verum terrendi filios; vel quod cogitabat vindictam inordinatam seu supra demerita delinquentium; vel quod supervenit causa excusans, v. gr., quod filii se emendarunt vel emendationem promiserunt, aut ne fletus conturbet domum, iam pacatam, ut Caietanus loquitur l.

386 C. IV.—Maxima, nobilis etsi femina, solet iuramento firmare promissiones quas amicis et pauperibus facit de donis vel eleemosynis elargiendis; nacta occasionem petit a confessario num peccet graviter iurans sine intentione dandi vel non dans quod intendebat dare.

Sol.—Iuramentum promissorium obligat sub gravi ex toto genere qua praesentem assertionem importat; peccat ideo mortaliter qui iurans se aliquid acturum, omisurum, daturum, non habet intentionem seu propositum implendi quod se impleturum iurat. Ipsam tamen adimplerem non urgent moderni, ut plurimum, sub mortali ubi levis existat materia iuramenti; quoad actum ergo ponendum, omittendum, remve praestandam, iuramentum promissorium autumant obligare sub gravi ex genere; nec huius obligationis attenuationem, quam in voventis optione reliquerunt (346), committunt iurantis voluntati².

1 Caietanus, in II-II, 89. 7, n. 2.

2 Hanc modernorum communiorem sententiam redderet consentaneam qui distingueret diversas partes quas Deus in iuramento promissorio obtinet: invocatur enim ut testis praesentis intentionis; non attamen ut testis futurae executionis, quae ipsamet suo tempore innotescet. Quoad hanc executionem vocatur fideiussor, iudex nempe et arbiter; Eius Iustitiae atque vindictae se iurans committit. Porro ex quo Deus

C. V.—Nonnumquam laici et clerici praestare debent 387
in regione iuramentum fidelitatis principi vel gubernio.
Sed plures anxii sunt de huius iuramenti liceitate.

Sol.—Respondet Prümmer: «Iusiurandum fidelitatis (supposito legitimo gubernio) per se licitum est. Si quando sacerdotes aut episcopi cogantur ad praestandum huiusmodi insiurandum, imprimis attendenda sunt Concordata vigentia inter S. Sedem et potestatem civilem. Deinde iurans neque potest neque debet ex virtute religionis se obligare ad observandas omnes et singulas leges etiam iniquas istius regionis, sed debet semper subaudire clausulam: salvis legibus Dei et Ecclesiae. Ceterum sensus iurisiurandi praestiti non alius solet esse, ac ut sacerdos aut episcopus nihil velit moliri contra legitimam auctoritatem civilem, et quod intendat fideliter munus sibi concreditum exercere. Officiales et milites non obligantur vi iurisiurandi fidelitatis ad res illicitas, cum nemo possit se obligare coram Deo ad rem illicitam» \

C. VI.—Mos est in acatholica regione petendi a magistratibus civilibus iuramentum de munere fideliter implendo. Licebitne catholico iurare super Biblia protestantica? 388

Sol.—«Certum est hoc non licere, si gubernium tale iusiurandum non absolute requirat. Si illud imponitur, poterit catholicus, praemissa protestatione, super Biblia haereticali iurare. Saltem praemittat clausulam: quatenus continet verbum Dei... Non sunt excusabiles qui, data facultate petendi vel secum afferendi versionem catholicam, Biblia corrupta utuntur». Ita Mare†

eligitur iudex et arbiter, exsulat a iurante definitio normae atque mensurae; Ille puniet pro meritis: graviter, si materia est gravis; leviter, si levis.

1 Prümmer, *Th. Mor.*, II, 452, ed. 1928.

2 Marc, l. c., η. 611.—Ad quaestionem: Utrum liceat Iurare v. gr. super Koranum, sic Fanfani (*Th. Mor.*, III, 36): «Resp. cum distinctio-

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Gaudium de periurio, etsi materiali, ob bonum effectum (I, 266); lurans per vitam Dei vel Sanctorum (II, 151); Dicens «renego Deum nisi te percussero; hoc est ita verum sicut Deus» (II, 152).

XXX. DIVINATIO

Doctrina.

389 Divinatio definiri potest: inquisitio cognitionis rerum occultarum ope demonis. Huiusmodi interventus potest expresse aut tacite esse volitus; expresse, si praecesserit pactum vel invocatio; tacite, dum quis inquisitioni vacat mediis quae naturaliter vana vel inepta, insufficientia vel improportionata cognoscit, nam quem exitum non expectat a causis naturalibus neque a Deo et caelitis, hunc expectat ex ingerentia diaboli—qui, de cetero, ultro occasionem arripit ut satisfaciens curiositati hominis, hunc sibi devinciat et a vera religione fideque paulatim elonget.

Et si quidem daemon explicite invocetur, habemus necromantiam—sub qua veniunt praestigium, divinatio somniorum, necromantia, divinatio per pythones, hydromantia, geomantia, aeromantia, pyromantia et aruspicium—; si vero tacite, dum cognitio quaeritur in rebus fortuitis locus est auguriis—sub quibus astrologia iudiciaria, chiromantia, spatulamantia, auspicium, augurium et omen—, prout dum cognitio quaeritur in intentis

ne: a) si iuramentum exigitur tanquam actum religiosum vel etiam in odium fidei, negative omnino, etiam per solum actum externum: esset enim vel negatio, saltem externa, fidei, vel communicatio immediata in divinis cum infidelibus; quae ambo numquam licent; b) si vero non ita iuramentum exigitur, sed potius ut pars solemnitatum mere civilium, tunc proportlonata de causa et remoto scandalo, licitum esse potest».

locus adest sortibus—sub qua geomantia pariter ac sors.

«Sortes proprie dicuntur, cum aliquid fit ut, eius eventu considerato, aliquid occultum innotescat. Et si quidem quaeratur iudicio sortium quid cui sit exhibendum, sive illud sit res possessa, sive sit honor, seu dignitas, seu poena aut actio aliqua, vocatur sors *divisoria*. Si autem inquiratur quid agere oporteat, vocatur sors *consultoria*. Si vero quaeratur quid sit futurum [vel occultum], vocatur sors *divinatoria* * 390

Ad huiusmodi sortilegia pertinet divinatio per chartas, ad quam plura reducuntur, utputa «quod quibusdam cedulis reconditis in occulto, dum in quibusdam earum diversa scribuntur, in aliis vero nihil, discernitur quid accipientibus cedulas contingere debeat, vel de eis quid oporteat fieri...; quod quibusdam festucis inaequalibus absconditis, diversa circa aliquos indicantur ex eo quod maiorem vel minorem accipiunt...; taxillorum proiectio..., duella..., iudicia ferri candentis vel aquae vel alia huiusmodi» a.

In Theologia divinatio venit superstitionis pars, vitium ergo religioni oppositum; nam dum religio soli Deo debitum cultum offert, superstitionis tribuit aut Deo cultum indebitum, aut creaturis cultum qui soli Deo debetur. Facit autem ad cultum Dei quod eius auxilium invocetur; et sic pertinet ad cultum daemoniorum quod horum petamus patrocinium; eos sive expresse invo- 391

1 S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 95, 8.

3 Id., opusc. *De sortibus*, c. 3, ed. Mandonnet, III, p. 149 sq.

3 «Licet uti pacto daemonis, absolute loquendo, videatur ad societatem, et non ad cultum spectare; ac per hoc, divinationem non esse speciem superstitionis, cuius est exhibere cultum creaturae, etc.: si tamen diligentius attendamus quod ratione divinae excellentiae sublectionem profiteri Deo religionis est, videbimus quod ratione affectatae excellen-

cando, eis sive occulte inquisitioni nostrae se ingerentibus.

Fiat cum expressa invocatione aut tacita, cum aut sine pacto cum daemonibus a quibus responsum expectatur, divinatio est unius speciei; et a fortiori, fiat uno medio aut altero. Per se igitur innecessarium est haec in confessione declarare. Per accidens tamen ea oportet a paenitente manifestentur, aut propter peccata quae quibusdam divinationibus adiuncta sunt, aut propter probabiliorem quarundam gravitatem.

Nam etsi divinatio, cum expressa aut tacita invocatione daemonis, sit peccatum mortale ex toto genere, quia exhibet cultum diabolo, fovet commercium manifestum cum hoste Dei—etiam in parva materia invocare diabolum est gravis iniuria Deo—, immo cum hoste nostro infensissimo, ducens facile in apostasiam a fide aliaque gravissima peccata, divinatio cum invocatione dumtaxat tacita veniale fit, ob actus imperfectionem, si ex ignorantia vel simplicitate, ex ioco aut levitate, ex defectu fidei quam quis tribuit responsis¹. Verum non excusatur a mortali qui *sciens* media esse improportionata, illa adhiberet² quantumvis protestetur contra diabolicam ingerentiam. Licet utraque peccatum grave, divinatio cum expresa invocatione est gravior

392 Sed non omnis inquisitio futurorum superstitiosa est pronuntianda et ad divinationem redigenda. Quaedam

tiae divinae a daemone profiteri se subiectum daemone, implorando illius consilium vel auxilium, superstitionis est. Constat autem quod uti pacto cum daemone est profiteri se indigentem daemone, ac per hoc illi subditum: omnis enim indigens, quatenus indigens est, subicitur illi cuius opera indiget» (Caietanus, in *II-II*, 95, 2, n. 6).

¹ Prümmer, *Th. Mor.*, II 512, ed. 1928.

² Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I, 419, ed. 1939.

³ «Multo gravius est daemones invocare quam aliqua facere quibus dignum sit ut se daemones ingerant» (S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 95. 3. 1m).

enim futura necessaria sunt quae possunt in suis causis certitudinaliter praenosci; quaedam alia sunt, e contra, libera, quae tamen valent in suis causis praevideri probabiliter seu coniecturaliter. Sed nec omnis investigatio rei occultae excedit mediorum naturalium virtutem: omnes siquidem inventiones quibus aetas nostra ditata est, aliquid revelant prius ignotum, quasi per saecula sepultum in mysterio. Qui igitur probabili et rationabili argumento putat adesse sibi medium aliquod naturale aptum notitiae percipiendae, is licite potest vacare inquisitioni, protestatione emissa adversus omnem interventum diaboli, semoto scandalo, ceterisque denique remotis quorum adiunctio aut nullum experimento subsidium praestat aut periculo committeret, nedum fidem vel mores, caritatem quoque ac iustitiam qua tenemur ad nos nobisque proximos. Ut Willwoll enim animadvertit: «Si v. gr. medicus, rationem principiorum suae scientiae habendo, seria experimenta etiam in re obscura instituit non est idem ac si *laicus* in tali scientia occulta et futura quaecumque, velut mortem mariti militis aut sexum masculinum prolis in utero materno imprudenti et saepe indecoro modo indicit et homines ad superstitiones trahit» Constat pariter eum qui ex probabili tantum coniectario normam conciperet se gerendi in re magni momenti et imprudenter agere et facile peccare contra caritatem sibi debitam, immo et contra iustitiam si procederet inde, temerarius, ad aestimandum vel denuntiandum proximum ut sontem vel suspectum.

Casus primus.

Proculus, acuti ingenii vir, ex astrorum, solis et lunae 393
observatione, dies fautos vel infaustos et humanarum

1 Willwoll, *De factis radioaesthesiae*, in *Periodica*, 31 (1942), p. 285.

actionum eventus praenuntiat, tantaque apud omnes gaudet persuasione ut a mercatoribus maritimam navigationem adgredientibus, ab artificibus, ab agricolis, a genitoribus de filiorum suorum moribus in futurum tempus sollicitis consulatur.

An Proculus omnia haec sine superstitione praenuntiet et licite praestare possit.

Solutio

394 Si revera peritus sit in re astronomica, Proculus potest quidem sine superstitione et licite monere navigantes, artifices et agricolas de futura tempestate sive tranquillitate, siccitate vel pluvia. Ad rem Angelicus: «Si quis enim cornicula frequenter crocitante, mox futuram praenuntiet pluviam, non est nugatoriae superstitionis: moventur enim animalia quodam naturali instinctu ex impressione corporum caelestium, secundum dispositionem aeris ad temporis cognitionem, secundum quod est necessarium naturae ipsorum, secundum illud 1er. 8, 7: *Milvus in caelo cognovit tempus suum; turtur et hirundo et ciconia custodierunt tempus adventus sui*» * Potest quoque parentibus sollicitis denuntiare probabiles futuros mores genitorum, si tamen genitorum noscat indolem, temperamentum, characterem. Ipsemet D. Thomas: «Quia *stultorum*, secundum Salomonem Eccl. 1, 15, *infinite est numerus*, in paucis autem perfecte ratio dominatur, in pluribus hominum inclinationes caelestium corporum sortiuntur effectum. Et propter hoc quandoque astrologi ex inspectione stellarum vera praenuntiant, praecipue circa communes eventus» †

† S. Thomas, *opusc. De sortibus*, c. 5. p. 159 s.

† Id., *ib.* c. 4, p. 154.

Attamen, ubi peritia careat, observatio astrorum non esset Proculo nisi medium vanum et inane, ideoque illicitè ageret atque superstitiose dum practice aut non excludit diaboli interventum, aut alios, naturalis suae imperitiae inconscios, superstitiosos fovet vel reddit.

Alii casus.

C. II.—Num sit peccato immunis qui, etsi mediis certo improportionatis ad notitiam capessendam usus, protestatur attamen expresse se nullum cum diabolo commercium velle. 395

Sol.—Negative: quamvis enim actu signato commercium diabolicum excludat, ipsum tamen admittit actu exercito; notitiam enim non expectans e causis naturalibus, neque a Deo vel angelis, eam obtinere cupit ope daemonis.

C. III.—Petronius uxorem ducere statuit; dubius autem quamnam ex pluribus puellis sibi oblatis eligere debeat, ab amico consilium petit. Sic autem iste: «Perge, inquit, nocte proxima sancti Andreae inter undecimam et duodecimam horam ad flumen vicinum, et in aquis velut in speculo quodam imaginem futurae sponsae videbis». Accepto consilio, praescripta nocte, dum luna clarius nitebat, facemque quodam modo praebebat, Petronius ad flumen impiger se contulit. Verum, dum super ripam stans superiori corporis parte se inclinavit, ut formam puellae in aquis relucentem perfectius contemplari posset, ripa inopinato sub pedibus dilabente, in flumen velut plumbum prolapsus fuit. An Petronius culpae gravis ob huiusmodi factum arguendus sit? 396

Sol.—Ferrerres respondet: «Affirmative. Medium enim istud a Petronio adhibitum a labe superstitionis nullate-

nus excusari potest, siquidem omni prorsus virtute naturali destituitur ad effectum intentum producendum. Etenim, ad quid illa circumstantia ut inspectio fieri debeat tali nocte, scilicet S. Andreae? Cumam, inter undecimam et duodecimam horam? Insuper, quomodo aqua fluminis vim habere potest repraesentandi futurae sponsae effigiem? Sane impressio illa neque a Deo, neque ab Angelo bono, neque ab aliquo homine in illis circumstantiis expectari potuit. Ergo, si illud fiat, a solo daemone, qui in similibus se immiscere solet, ut homines decipiat et secum in barathrum aeternae damnationis involvat, expectari debet» \

397 *C. IV.*—Dum Clotildes procul ab Urbe aestivo tempore rusticabatur, fures eius domum clam ingressi, grande argenti pondus atque magnum textilium numerum surriperunt. Iam vero, cum publicorum ministrorum indagationes incassum cesserint, moerens atque irata domina vellet notissimam quandam mulierem, quae solet lusoriis chartulis et praesentia et futura divinare, hac de re percontari. At confessarius dicit hoc illicitum.

Sol.—Optime confessarius: agitur enim de divinatione per lusorias chartulas et de muliere notissima ob eius praesentium atque futurorum cognitionem, de consulente credula, immo parata quae pro responso offerat magnam pecuniae summam. Nam etsi, prout animadvertit Merkelbach², ii qui dicuntur per chartas divinare non credant, uti plurimum, suae arti; quoniam tamen fingunt se serio agere, peccant iniuste decipiando et cooperando superstitiosis inquiringibus. Id ipsum Genicot³,

¹ Ferreres, *Casus Conse.*, I. 279, ed. 1926.—At forsitan expectari potest veluti effectus psychologicus praedilectionis Petronii inconsciae.

² Merkelbach. *Th. Mor.*, II. 784, ed. 3.

³ Genicot, *Casus Conse.*, 66, ed. 1928.

quoad feminam quae chartulis utebatur ad danda consulentibus responsa: «Interroganda est utrum ipsa vel ii qui eam consulunt firmam fidem huic divinationi adhibeant, an tantum ex ioco et levitate agant. In priori hypothesis, sub gravi adigenda est ut chartis legendis et somniis explicandis abstineat; in posteriore, non peccatum pro honesto lucro aliorum voluptati deservit. Rarius ob propriam superstitionem, crebrius ob consulentium credulitatem, praesertim si soli veniunt neque ita levem pecuniae summam offerunt, sub gravi ab his ineptis prohibenda erit». Hoc quoad divinatricem.

Nam Clotildes peccaret iniustitia si ex una eiusdem responsione procederet ad accusandum Titium, Caium, Sempronium de argenti atque textilium furto.

C. V.—Cum rector communitatis eligendus esset neque 398
votorum numerum, post repetitas votationes, ullus obtineret sufficientem, convenerunt omnes electores ut ille haberetur ab omnibus electus super quem sors contingeret. Dicemus ne sortem hanc illicitam?

Sol.—Si agebatur de eligendo rectore communitatis civilis, nec leges id prohibeant, negative: «quia terrenae dignitatis officium ad temporalia dispensanda ordinatur, potest etiam licite ad huiusmodi sortes haberi recursus, si aliter electio concors esse non potest: quamvis enim rector quaerendus sit non sorte, sed industria prudens, tolerabilius tamen est sorte saecularem rectorem quaerere quam populum dissensionibus laborare. De rectore vero spirituali est alia ratio» \

1 S. Thomas, 1. c., c. 5. p. 162.

XXXI. RADIAESTHESIA

Doctrina.

399 Radiaesthesia nominat artem—quidam volunt scientiae—pertingendi ad cognitionem occultorum, forsitan et futurorum, per captionem irradiationum quas emitterent corpora | quasque nonnulli, sensibilitate praediti peculiari et peculiariter exculta, ope virgae vel penduli perciperent. Supponit igitur radiaesthesia corpus quodlibet irradiationes quasdam emittere quae, sensibus externis imperceptibiles, possunt tamen captari (ut aiunt) seu apprehendi. Irradiationes istae e rebus vel e personis emanantes in omnibus manerent quae rebus personisve adhaeserunt (vestigia). Immo vel illa quae dumtaxat similia sunt vel quae cum rebus personisve relationem dicunt, omnia venire media opportuna (testimonia) ad captandas irradiationes rerum et personarum 2.

Distinguitur radiaesthesia communis, quae versatur circa obiecta occulta, praesentia tamen secundum locum atque tempus—v. gr. circa aquas fluentes et metalla latentia sub terra quam investigator pedibus calcatur, circa internam hominis adstantis aegritudinem—et radiaesthesia a longe, seu teleradiaesthesia, quae versatur circa

1 «Le irradiazioni sono emanazioni impercipienti, direttamente, dai nostri cinque sensi, le quali si sprigionano da qualsiasi corpo animale, vegetale o minerale, e che si spandono nell'atmosfera presso a poco come avviene per le onde sonore, appoggiate (direi) quasi a quelle elettriche, che si diffondono per l'etere e vanno, libere e misteriose da un punto all'altro del nostro pianeta e... forse, al di là» (Zampa, *Elementi di Radiestesia*. p. 3. ed. 1941).

1 «Materie, oggetti, fotografie, ecc., che servono a determinare il contatto dell'Operatore con le materie o le persone che sono oggetto del suo studio, si chiamano testimoni» (Grandori, *Prodigi del pendolo*, p. 126 ed. 1941).

res et eventus distantes loco et tempore—v. gr. si ad inveniendas aquas subterraneas regionis dissitae quis utatur pendulo super chartam regionis topographicam, ad sciendum num aliquis sit mortuus qui nationem exteram inhabitat quis imponat pendulum super eius photographiam, litteras, domi servatam vestem.

Et usus quidem virgae divinatoriae ad inveniendas aquas vel metalla notus a saeculis (cf. 407). Recens attamen controversia circa efficaciam quam plures e cultoribus radiaesthesiae tribuunt pendulo. Nam dum aliqui scientiarum physicarum periti iis quae *facta* dicuntur fidem denegant \ alii experimenta propria congerunt et producunt uti ab omni suspicione remotissima. 400

Suprema S. Congr. S. Officii de radiaesthesiae usu decretum dedit (26 martii 1942), protestata simul «quin tamen quaestiones scientificas de Radiaesthesia hoc Decreto attingere velit» 2. Rationem ergo agendi prudentissimam S. Congregationis aemulantes, oportet ne theologo tamquam superstitiosam condemnemus quancumque scrutationem radiaesthesicam. Nam si praenuntiatio certa futuri liberi vires naturales transgrediatur—sed et insitas vires diaboli—, plura manent phenomena quae celebratarum irradiationum ope naturaliter explicari possunt.

1 Gemelli (*Radiestesia e Rabdomanzia*, in *L'Osservatore Romano*, 9 nov. 1941) narrat de Commissione instructa ad localizandas aquas subterraneas, cui plures radiaesthetici contulerunt operam, prorsus tamen inanem. Bon (*Medicina e Religione*, p. 301, ed. 1940) refert pariter plures e cultoribus Radiaesthesiae laborasse in Congressibus Avennionensi (1932) et Losannensi (1934) super tabulas geographicas, fotograficas, immo et super manuscripta, absque exitu positivo; ideo cum Richet concludit (p. 302): «I successi radioestetici si presentano, il più delle volte, con lo stesso imprevisto della caduta degli aeroliti».

3 Cfr. infra, 405n.—«Motiva enim quae peritos alios ad neganda omnia facta radiaesthesica, alios ad admittenda satis multa Inducunt cum veritatibus religionis nihil commune habent» (Creusen, *De decreto S. Officii*, in *Periodica*, 31 [1942], p. 286).

401 At cum probabilitas quam concedere nunc licet *novae scientiae* tenuis profecto sit, imprudens prorsus foret qui eius responsis se committeret in re magni momenti; nam, praeter periculum superstitionis | et scandali, tenemur damnum tam alienum quam proprium, etiamsi temporale, vitare, quod facile exponitur discrimini (392).

Casus primus.

402 Timolaus publicis ministris de patrato apud domum bancariam insigni furto investigantibus se libenter offert ut ope radiesthesiae furti auctores detegat ignotos; ait enim per radiesthesiae vim non modo res deperditas se iamiam invenisse, verum et multo adhuc mirabilia se fuisse assecutum. Unus autem e ministris, divinationem timens superstitiosam, a sacerdote petit num sibi in casu auxilio radiesthesici uti liceat.

Solutio

403 Non abs re minister ille timet praxim superstitiosam, tum quod agitur de viro qui asserit per radiesthesiae vim non modo res deperditas repetisse sed et multo adhuc mirabilia se assecutum fuisse, tum quoniam non apparet in casu fures aliquod vestigium reliquisse, nam ipsae im-

1 «L'estendersi della radiestesia. che vuole affrontare tutta quella serie di problem! che ho accennato. e soprattutto il suo sostituirsi alle scienze positive, come le scienze mediche, fa sorgere nell'anima il timore che siamo di fronte a qualcosa che per lo meno rasenta la superstizione o la fattuccheria, o, se si vuol essere longanimi, che per lo meno si presta a pratiche superstiziose... Comunque la sua applicazione alla ricerca di persone disperse, alla ricerca di oggetti perduti o di tesori nascosti, o alla diagnosi di malattie è già un socchiudere la porta, e una porta che si può facilmente spalancare, a che la superstizione si insidia nell'animo delTuomo» (Gemelli, l. c.).

pressiones digitales iam fuerunt aliis digitalibus confusae atque deletae. Praesumptio igitur tota stat, si de mediis naturalibus loquimur, contra exitum. Ideo Ferreres damnat usum virgae divinatoriae quoties haec adhibetur ad furem quaerendum, vel homicidam detegendum \ quia, cum virga moveatur ad intentionem illius a quo tenetur, nulla proportio adest inter rem naturalem atque hominis intentionem.

Etiam si probabilitatem quandam concedamus *novae scientiae*, haec certo non est talis ut eius responsis stare liceat in negotio tanti momenti; versatur enim in periculo nomen atque libertas civis, forsitan honoratissimi, qui tamen veniet inde suspectus, accusatus, incarceratus, forsitan et punitus, quasi auctor insignis furti.

Quapropter sit necne Timolai praxis superstitiosa, sacerdos avertat consultatorem ab eius adminiculo adhibendo.

Alii casus.

C. II.—Gordius, qui scribae munus gerit in civitatis municipio, hunc habet morem: quoties novus praefectus datur officinae cui ipse adscriptus est, eius nomen in folio scribit atque pendulum superponit ut ex eius motibus praenoscat num habebit praefectum benignum aut adversum. 404

Sol.—Gordii praedictus mos est periculo plenus. Etsi maxima namque praeditus sit sensibilitate eaque maxime exulta, tam exigua est verisimilitudo praedictionis quam obtinere valet a pendulo, ut agatur verum iudicium temerarium quoties superioris advenientis definitur adversa sive prava voluntas. Sed exinde male ipse erga superiorem affectus erit atque facile perducetur ut eius non nisi defectus videat atque exaggeret.

1 Ferreres, *Casus Conse.*, I. 281, ed. 1926.

405 *C. III* —Cum filius dilectissimus, in longinquum bellum profectus, iamiam a multis mensibus nec per se nec per alios dederit sui notitiam, Silvia mater, de eius sorte anxia, ad radiaestheticum recurrit, qui super illius photographiam scrutationem peragit et pronuntiat mortuum fuisse in praelio. Haec audiens tanto dolore Silvia affecta est ut post dies de vita excederet. Subinde autem coniux accepit litteras quibus filius se vivum et vegetum nuntiabat; quapropter radiaestheticum detulit auctoritati publicae puniendum utpote causam mortis uxoris.

Sol.—Luctuosus eventus huiusmodi (profecto historicus) satis demonstrat novae, ut aiunt, scientiae incertitudinem et consequens credulis periculum. Ostendit etiam opportunitatem decreti S. Officii (400), ne clerici et religiosi in similes angustias coniciantur cum status dedecore et suae auctoritatis detrimento \

406 *C. IV.*—Deogratias medicus et arte radiaestheticae peritus solet pendulo uti ad diagnosim habendam de aegrotantium morbis occultis. Estne ideo damnandus?

Sol.—Si agitur de usu penduli super aegrotum medico praesentem, non improbabilis videtur naturalis eius efficacia. Cauto tamen ne, plus fidens arti radiaestheticae quam medicinali, illam huic subroget et eius indiciis dubiis quidpiam agat, contra probatos medicinae canones,

1 «Suprema S. Congregatio S. Officii, incommodis mature perpensis, quae in religionis veraeque pietatis detrimentum cedunt ex *Radiaestheticae* consultationibus a clericis peractis circa personarum circumstantias et eventus divinandos, ac prae oculis habitis quae in can. 138 et 139, § 1, Codicis Iuris Canonici statuuntur ad clericos religiososque ab illis rebus arcendos quae ipsorum officium dignitatemque dedeant aut eorum auctoritati nocere possint, haec quae sequuntur decernit, quin tamen quaestiones scientificas de Radiaesthetica hoc Decreto attingere velit: Excellentissimis nempe locorum Ordinariis et Religiosorum Superioribus mandat, ut suis clericis et religiosis districta ratione prohibeant quominus ad illas Radiaestheticae scrutationes unquam procedant, quae supradictas consultationes respiciant...» (AAS, 34, 1942, p. 148).

unde morbus in deterius vergat vel aegroti periclitetur vita aut integritas.

C. V.—Rupertus virga divinatoria utitur ad designandum locum in quo puteus sit effodiendus. Estne carpendus quasi superstitiosus? 407

Sol.—Usum virgae divinatoriae qui nunc agitur iam S. Alphonsi tempore¹ non modo doctores medicinae verum etiam theologi conati sunt naturalem probare et innocentem. Nostris hisce diebus «communiter docent auctores usum virgae divinatoriae esse licitum ad quaerendum aquam et metalla, dummodo protestatio fiat contra omnem efficientiam diabolicam. Ratio est, quia satis probabiliter explicari potest inclinari virgam ad aquam aut ad metalla ex viribus magneticis et electricis; unde etiam viri probi utuntur virga divinatoria ad hunc effectum»² z. Nec modo viri probi, quinimmo et sacerdotes hodie non pauci adhibent et virgam et pendulum pro aquis et metabis detegendis: haec enim perscrutatio non prohibetur clericis, sed illa dumtaxat quae dat operam personarum circumstantiis et eventibus divinandis (405).

C. VI.—Auxanus, rectae conscientiae vir, simul autem 408 radiaesthesiae acer amator, a confessario critérium petit pro terminis signandis eiusdem praxi licitae.

Sol.—«In iudicanda liceitate huius praxis attendendum est quaenam facta probabiliter naturaliter explicari possint, quaenam non ita. Certe eventus futuri et a causa libera futura dependentes tali medio cognosci non possunt, cum eventus nondum reales nullos *radios* in tempus praesens emanare queant. Quapropter eo in casu huiusmodi praxis serio exercitata ad occultismum perti-

¹ S. Alphonsus, *Th. Mor.*, III, 8, ed. Gaudé.

² Prümmer, *Th. Mor.*, II, 511. ed. 1928.

nere dicenda est. Quoad cetera autem si a personis moraliter integris et iusta causa excerceantur, nihil obiciendum est». Sic cl. Visser \

XXXII. VANAE OBSERVANTIAE

Doctrina.

409 Vanae observantiae illae sunt quibus nec a natura nec a Deo virtus inest quam eis attribuit homo in vitae et activitatis directionem. Et quia effectum quem quis non expectat a natura neque a Deo, expectare relinquitur a diabolo, vanae observantiae ad superstitionem reducuntur, qua quis diabodi patrocinium postulat. Ideo definiuntur: daemonis invocatio ad vitam vel activitatem dirigendam. Prouti divinatio, valent esse cum daemonis invocatione pactoque explicito et implicito (389); verum dum divinatio ad instructionem, ipsae in directionem ordinantur.

Distinguuntur in artem notoriam, observantiam sanitatum et observantiam eventuum. Ars notoria est illa qua quis utitur ut obtineat sine labore vel studio scientiam, v. gr. per solam inspectionem quarundam figurarum vel prolationem verborum ignotorum. Observantia sanitatum innuit verba, signa caeremoniasve adhibitas ad morbos sive curandos sive oraecavendos². Observantia demum eventuum praecognitionem nominat rei prosperae aut adversae ex eventibus fortuitis observatis³.

¹ Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I, 428, ed. 17.

² In his Salmanticenses *Mor.* illos enumerant «qui secum gestant quasdam figuras astronomicas ad varios morbos curandos, v. gr. figuram Leonis scultam in auro in Leonis signo, quam fingunt valere contra hydropem, pestem, febres et phantasmata melancholica» (tr. 21, de praecipis Decalogi, c. 11, n. 102).

³ «His adiunguntur millia Inanissimarum observantiarum, si membrum aliquod salierit, si iunctim ambulantis amicis, lapis, aut ca-

Ad vanas observantias timor fascini pertinet; creditur enim homo nocere posse hominem solo intuitu. Quod si timor dumtaxat adsit, habemus eventuum observantiam; si vero utatur aliquis amuleti aliisque mediis ad nocumenta corporis propulsanda, observantiam habemus sanitatum. 410

Ad eventuum vel sanitatum observantias spectant quoque quae male ominosa dicuntur passim, utputa numerus tredecimus, occursum vetulae et alia huiusmodi, quae ideo nonnulli fugiunt quod ab illis infortunium corporale aut temporale timeant; vanae insuper viae atque deprecationes, assumptae sive ad medendos morbos | sive ad bonam fortunam inducendam, adversam elongandam.

Somnia denique, etsi in divinationibus numerentur prout faciunt ad cognitionem futurorum (389), adnumerari possunt ad vanas observantias, si accipiantur uti indicia futuri prosperi aut infensi.

Quod ad moralitatem observantiarum attinet, iam 411 Caietanus² animadvertit observantiam vanam quem vacare posse quatenus vanam, id est non expectans notitiam vel fortunam ex ipsis nisi a casu; tunc aderit peccatum veniale ob vanitatem sive otiositatem. At potest quis vacare ipsis quatenus utilibus, hoc est expectans notitiam vel fortunam ex secreta illorum virtute.

Hanc secretam virtutem qui naturalem putat proba-

nis, aut puer medius intervenerit...; limen calcare, cum ante domum suam transit; redire ad lectum, si quis cum se calceat, sternutaverit; redire domum, si procedens offenderit; cum vestis a soricibus roditur, plus tremere suspitione mali futuri quam praesens damnum dolere» (S. Augustinus, 2, *De doctrina Christiana*, cap. 29; PL 34, 50s).

¹ Huc pertinet *ensalmus*, qui «nihil aliud est quam orationes quaedam ex certis verborum, praesertim sacrarum, formulis coordinatae ad morbos et vulnera sananda» (Salmanticenses Mor., l. c., n. 123); quique ideo sic appellatus fuit quoniam ex psalmorum verbis ut plurimum compositus (Id., ib.).

² Caietanus, in *II-II*, 95, 2, n. 3.

bilem aut possibilem peccare potest ob nimiam credulitatem vel formidinem; superstitionis tamen non incurrit peccatum. Verum incurrit culpam gravem qui ex credulitate vel timore ducatur inde ad praeceptum aliquod transgrediendum obligans sub mortali; immo si totam vitam suam dirigeret illis mediis, nam tunc peccaret graviter imprudentia (392). Ut plurimum attamen erit culpa levis maxime dum credulus vel timidus id facit aut omittit quod nullo praecepto adstringatur ut omittat vel faciat \ Et hoc quidem praecipuum locum obtinet ubi mutua relatio ex personali petitur experientia, seniorum traditione, vel opinione vulgi.

Qui secretam illam virtutem aestimaret rei inesse a Deo, is peccare potest credulitate, nec continuo superstitione peccat. Ita qui putat somnium sibi divinitus immissum; qui alicui orationi aut certis praecandi formulis omnimodam tribuit efficaciam 2.

412 Si secretam denique virtutem quis attribuat diabolo, aut quia certis mediis utitur quasi ritu diabolico vel magico—quasi sacramentis vel sacramentalibus ipsius daemoneis—, aut quia cum diabolo pactum iniit, aut quia diabolicum petit patrocinium, immo quia conscius rei inefficaciae naturalis, praeternaturalem neque divinam tentât, is omnis peccat superstitione, cum expresse aut tacite invocet diaboli interventum. Hoc peccatum, specificè unum in diversis observantiis vanis, specificè distinctum a peccatis cultus indebiti, idololatriae atque divinationis, licet omnia superstitiosa sint et religioni adversa,

1 «Cum nullo praecepto cogantur tredecim numero mensae assidere vel ferla VI iter facere, vel tali gestu abstinere, aliquam maiorem securitatem ex observantia, quam ceterum parum rationabilem esse fatebuntur, capere cogitant... Ac maior est inordinatio eius qui positive quaedam adhibet quam qui quaedam ex isto timore omittit» (Vermeersch. *Th. Mot.*, II. 242. ed. 1928).

1 Ipsi Ecclesiae exorcismi non habent effectum infallibilem; a fortiori igitur aliae preces privatae.

hoc inquam peccatum est grave ex toto genere, quia non admittit materiae parvitatem. Potest tamen fieri veniale propter actus humani imperfectionem. Ideo extra casum invocationis daemonis expressae, plures a mortali excusantur, tum propter inconsiderationem seu ignorantiam tum ob fidei defectum quam tribuunt hisce mediis: sicut etenim dum sumus in angustiis, v. gr. morbo, tentamus omnia media sive remedia, quin fidem illis certam tribuamus, sic valet quis adhibere vanas observantias absque plena fiducia.

Casus primus.

Priscilla, nobilis atque pia matrona, licet in rebus cum 413 profanis tum religiosis videatur satis exulta, non raro attamen somniis in sua agendi ratione ducitur iisdemque ut publica ludat alea, praesertim si defunctorum species in somniis obversetur, utitur.

Estne de mortali arguenda?

Solutio

Somnia, imprimis, discernenda sunt naturalia a prae- 414 ternaturalibus, quorum quaedam immissa a causa bona (Deo, angelis), quaedam a causa mala (nempe diabolo). Qui somniis fidem tribuat quae petiit ipse a diabolo aut putat a diabolo inspirata, is peccaret superstitione; in primo casu, graviter; leviter, in altero—nisi absque errandi formidine illis se committeret vel sua—. At qui

1 Id est «ob ignorantiam in re physica vel religiosa, qua certis rebus vim naturalem aut supernaturalem tribuunt. Quod praesertim facile fit ex credulitate erga illa quae acceperunt traditione vel auctoritate seniorum, et etiam aliquando si in casu fortuito eventus congruus adfuerit. qui falso inferunt id provenire ex rerum virtute» (Merkelbach. *Th. Mor.*, II. 787, ed. 3).

somnium reputat naturale, is tunc tantum superstitione peccat cum causandi vel signandi vim somnio innatam amplificat.

Est autem somnium causa futuri eventus dum aliquis, sollicitus de iis quae in somnio vidit, inducitur ad aliquid agendum vel omittendum; eius ergo in effectum efficacia non dominatur homini, cuius potius dominio subditur. Est vero signum, dum se habet cum futuro eventu veluti duplex effectus eiusdem causae, quem ad modum arcus in caelo est signum serenitatis, quia est effectus causae communis sibi et serenitati \ Et somniorum quidem naturalis causa alia est cogitatio et affectio quae somnium praecesserunt, et haec somniorum causa non est causa futurorum eventuum; alia est interior corporis dispositio, et ideo aer et caelum, quorum in corpus non tenuis est influxus, et talis somniorum causa, proxima vel remota, in futuros potest habere eventus nonnullam efficaciam, ita ut somnia significare valeant futura, necessaria certitudinaliter, libera vero secundum aliquam probabilitatem seu coniecturam¹*

¹ Caietanus, l. c., a. 5, n. 2.

- Cfr. S. Thomam, *Summa Theol.*, II-II, 95. 6.—«Pluvia futura primo producitur in quodam effectu conformi ipsi pluviae in animali crocitante; et deinde producitur in esse materiali, quando actualiter pluit. Et tunc crocitatio avis est signum pluviae, tamquam co-effectus unius communis causae utriusque. Et hoc modo somnia quae a corporibus caelestibus habemus, sunt signa futurorum eventuum. Prae-causant namque in hominibus motus phantasiae conformes ipsi communi causae et effectui futuro, ita quod somnium et futurus effectus sunt effectus unius communis causae caelestis... Sed quia nos latent proportionem et correspondentiam motuum phantasiae in nobis ad futuros vel existentes effectus, quis motus respondeat effectui..., hoc scire per certitudinem impossibile est. Quoniam id quod habet multas causas, neutram determinate monstrat...; constat autem nullum esse somnium a caelo quod non possit ex alia causa provenire, et consequenter non significare illum effectum quem significaret si a caelo esset. Et hoc bene nota, tu qui philosopharis. Et propter hoc ego, qui tot habui in vita mea somnia vera, de remotis praecipue, hoc modo, scilicet per huiusmodi correspondentiam et aliquam similitudinem—ut si ea scripsissem cum suis eventibus

Peccaret igitur qui ex medio probabili concluderet ad 415
 eventum certo futurum, id est ad certitudinem futuri
 eventus. Unde Salmanticenses: «Si quis ita sit observator
 somniorum ut passim per illa gubernetur et moveatur
 ad negotia agenda aut omittenda, non potest a gravi su-
 perstitione excusari» * Et Noldin: «Somniis naturalibus
 caeca fide ita credere, ut quis ordinarie iuxta illa actio-
 nes suas dirigat, mortale peccatum divinationis est...
 Graviter autem ordinarie non peccat qui numeros, quos
 somniavit, ludo exponit, vel qui equum non conscendit
 quia lapsum somniavit, vel qui terram effodit, quia ibi
 thesaurum reconditum esse somniavit, quia id non tam
 ex certa fide futuri eventus facit, quam ex nimia quadam
 timiditate vel spe» † Demum, qui somniis crederet divi-
 nitus immissis, is de peccato non esset arguendus; dum-
 modo tamen constet de somnii origine nec fides se exten-
 dat ultra id quod permittunt argumenta, sic scilicet ut
 eventus non nisi probabiliter expectetur quandiu proba-
 bilis manet somnii divina origo aut somnii divinitus im-
 missi interpretatio. Nec inficiendum est Deus permittere
 aliquando species defunctorum obversari in somniis;
 beati atque animae detentae in purgatorio possunt orare
 Deum pro viatoribus sanguine aut caritate sibi coniun-
 ctis; orantes valent petere collationem bonorum spiri-
 tualium atque, subordinate, temporalium. Deus potest eis
 committere ut vias ipsis revelent huic fini accommodas.
 Quoties propterea revelatio nihil habeat inhonesti, ex
 fine aut circumstantiis, licite credi potest facta divinitus
 ubi firmata eventu nequeat explicari naturaliter; prae

(quorum forte aliqui adhuc pendent) non mirarentur philosophi et theo-
 logi, sed stuperent—, incertus de causa eorundem, sto suspensus, nec
 unquam me aut mea illis credidi, ne forte illusio daemoniaca se im-
 misceat. Fateor tamen quod paucorum aut nullorum interpretationem
 determinatam novi ante eventum» (Caietanus, l. c., a. 6, n. 2).

1 Salmanticenses Mor., l. c., n. 64.

2 Noldin, *Th. Mor.*, II, 156, ed. 1932.

omni confirmatione licebit quaedam facere aut omittere veluti probabiliter prospera vel adversa, si horum omissio vel positio moraliter nec mala sit neque periculosa \

Non constat igitur Priscillam graviter peccare.

Alii casus.

416 C. II.—Rosula nimis fascino credit, ideoque valde sollicitatur ut filioli vitent occursum cuiusdam vetulae.

Sol.—Quoniam dicitur fascino nimis credere, putat ergo Rosula quasdam feminas, vetulas praecipue, nocere posse parvulos, tenellos maxime, solo aspectu. Porro si huiusmodi efficaciam attribuat diabolo, cum quo fascinatores in societatem venerint vel pactum, peccare quidem potest credulitate—immo et temeraria proximi suspicione—, verum credulitatis hoc peccatum non existit mortale: cum diabolus potens sit qui hominem noceat, etiam per alium hominem. At si ulterius, ut filiolos a fascino nocumento immunes servet, vanis mediis utatur, oportet perscrutari undenam ista media putet nacta virtutem: si quidem a Deo, ne loquamur de peccato gravi, licet forsitan monenda sit ne tantam fidem praebeat¹³

1 «Requirere impletionem naturalis desiderii non est peccatum, nisi Inordinatio aliqua adiungatur; sicut patet in sumptione cibi et potus. Homo autem naturaliter scire desiderat... Nulla autem inordinatio in hac inquisitione videtur, si aliquis requirat a moriente cognoscere statum suum post mortem, submitiendo hoc tamen divino iudicio» (S. Thomas, *Quodl.* 3. a. 22). Et ad objectionem: «Diviti petenti ut Lazarus mitteretur ad fratres suos viventes, est hoc denegatum», respondit Angelicus: «Non est mirum, si superbis fratribus divitis Deus aliqua noluit revelari, quae tamen vult revelari fidelibus ple et humiliter requirentibus» (ib.).

3 «In multis vanis observantiis habetur bona fides, et idcirco rudes aliquando in sua simplicitate sunt relinquendi; cum difficulter abducantur ab eo quod bona fide a suis maioribus receperunt. Videat parochus, num res in bonum sensum detorqueri possit, vel mutari in alium usum quasi similem, sed pium et bonum» (Marc, *Inst. Mor.*, I, 568, ed. 1927).

si tamen a diabolo, huius cum patrocinium postulet, huic vel se commendet ne damnum sibi inferat, facile de peccato gravi reprehendenda; si, denique, nihil cogitans de Deo aut de daemone, illa media putavit naturaliter efficacia ob vulgi aestimationem vel propriam experientiam, tunc fortasse (ut supra) ab huiusmodi praxi est prohibenda. Quod si virtutem fascinandi putaret naturalem, de errore Rosula arguatur, non de peccato. Nam quamvis oculis non sit damnificandi vis quam ipsis tribuerunt veteres scholastici¹, ex timore tamen quem aspectus alicuius valet aliis incutere, hi possunt damno affici etiam notabili². Non quod aspectus nocivus sit, sed quod timor ex aspectu causatus revera noceat. Qui ergo facile alicuius aspectu conturbatur, is absque peccato potest eius aspectum declinare; immo, si psychologicè timor diminuatur aut spes roboretur quibusdam mediis, haec fas est adhibeat, ab omni tamen superstitione alienus.

C. III.—Edmundus, ut intelligentia praeditus et religionis colens, nonnulla tamen uti male ominosa veretur; ait enim eorum occasione adversas res crebro et sibi et aliis accidisse atque haud nimius esse sibi, eadem vitando, praecavere. 417

Sol.—Agitur, ut puto, de vitando numero tredecimo, occurso quarundam personarum, etc.; porro si nulla lege adstringitur ut illum acceptet numerum, his obviam vadat personis, non est de gravi peccato condemnandus.

¹ Cf. S. Thomam, *Summa Theol.*, I. 117. 3, 2m; Salmanticenses Mor., l. c., n. 127 ss.

= Ex ipsa imaginatione sequitur contractio appetitus animalis, caloris et spirituum (S. Thomas, l. c., I-II, 44. 1); hinc deseritur cor (ib., a. 3. 3m), oritur tremor (ib., a. 3), operatio impeditur (ib., a. 4); quod si malum apprehendatur inevitabile, tristitia exurgit, quae inter passiones animae precipue nocet corpori (ib., q. 37, a. 4). Cum autem causa dispositiva timoris defectus sit eius qui timet, aspectus ille maxime parvulis, puellis, feminis est noxius (ib., q. 43, a. 2).

Verum, cum praeditus intelligentia ipse laudetur, monendus est de illorum vanitate; neque desunt exempla. Si spes tamen non adsit correctionis, ob factorum quae narrat multitudinem et constantiam, reliquatur in bona fide (416n); cum enim religionem colat, gratis supponeretur fovere scienter cum daemone commercium; insuper, quia propriam atque alienam invocat experientiam, ne quidem suspicatur interventum diabolicum; agit potius ex nimia credulitate vel timiditate. Neque constat eousque duci ut omittat quae sub gravi praecepta sunt agenda vel agat quae sub letali vetita.

418 C. IV.—Utrum peccent superstitione qui efficaciam adiudicant non praecise orationi sed orationis verbis, iterationi vel diebus.

Sol.—Affirmative, cum eius vim circumstantiis tribuant potius quam substantiae. Attamen Caietanus: «Videntur ergo simplici corde similia credentes et facientes ex devotione, excusandi: quia non peccant, aut venialiter tantum, ex quo principale, puta quod divina assistat virtus, potest sustineri; licet nesciant aliam reddere rationem

1 «Risi olim quoad hanc rem et simul amicum sum illacrimatus. Tredecim canonici ad convivium invitati, simul discubere, eiusmodi superstitionem parvi facientes. Porro, die sequenti, quidam e collegio canonicorum, qui invitatus ad convivium non fuerat, obvius casu procedens uni ex convivis, dixit fore ut ex ipsis trededim unus eo anno moreretur; cui alter subridens respondit potius fore ut ipse non invitatus e vivis desineret, quam unus ex Invitatis: adeo vanam eam observantiam se existimare. Hanc non insulsam responsionem, mihi, idem qui respondit, cum risu narravit, et ego, fateor, illam cum plausu excepi; sed cum lacrimis non post multos dies amicum illum, qui convivio non interfuerat, e vita ab inexpectata febre sublatum, sum prosecutus» (Tamburinus, clt. a Ferreres, *Casus Conse.*, I, 277, ed. 1926).—Vitoria de se narrat: «Ego et aliqui fratres eramus tertianarii, et illis alligata fuerunt nescio quae verba, et sanitatem consecuti fuerunt; mihi autem non fuerunt alligata illa verba, et non sanavi; sed postea post paucos dies ipsi fuerunt quartanarii et ego mansi sanus» (in *II-II*, 96, 2, ed. Beltrân de Heredia).

quare has condiciones, quae vanae sunt, observant, nisi quia sic acceperunt a maioribus» \

C. V.—Gerafinia, ex gravi influentiae morbo ad sanitatem perfecte restituta, votum emittit abstinentiae et ieiunii per totam suam vitam diebus omnibus dominicis et Nativitatis et Paschatis. Audivit enim efficax et infallibile esse remedium ad relapsum praecavendum. Idque ipsa tamquam certum omnino habet, cum reapse in perfecta corporis sanitate per tres annos iam perseveravit. 419

Sol.—Ad casum Bucceroni: «Gerafinia rea est superstitionis. Ratio est quia ieiunium, praedictis diebus observatum, medium per se infallibile non est ad praecavendum relapsum in influentiam. Ipsa autem illud observare statuit cum certa fide secuturi effectus» 1

XXXIII. SPIRITISMUS

Doctrina.

Spiritismus valet sumi communiter pro collectione phenomenorum vel effectuum qui, quomodocumque obtineantur, spiritibus vulgo tribuuntur; et potest sumi proprie pro phenomenis seu effectibus evocatione spiritum quaesitis et obtentis. In hoc altero sensu, spiritismus definiri solet: ars evocandi animae defunctorum vel spiritus ut illorum ope, vera aut ficticia, occulta revelentur vel mira patrentur. 420

Haec evocatio, ut plurimum, revelatio et causalitas obtinentur auxilio *medii*, id est personae quae spiritibus optata deferat, quorum et revelationes notas faciat et

1 Caietanus, l. c., 96, 4.

2 Bucceroni, *Casus Conse.*, I. 43, ed. 1913.

causalitatis sit instrumentum x. Haec porro aptitudo non innuit excellentiam quandam moralem vel intellectualem, sed extraordinariam sensibilitatem, excitabilitatem, impressionabilitatem.

421 Phaenomenorum quae illam evocationem consecuta dicuntur alia ad ordinem physicum, alia ad psychicum sensitivum, alia denique ad psychicum intellectivum reducuntur. Ad primum pertinent: ictus, rumores, strepitus, rotationes tabularum, levitationes corporum horumque translatio, coruscationes, lumina, apparitio phantasmatum, materialisationes, etc. Ad alterum: transpositio sensuum—qua 7/zediim distinguere potest photographiam aut scripta legere clausis oculis, v. gr. digitorum auxilio—, exteriorisatio sensibilitatis—qua *medium* experitur veluti sibi facta quae fiunt in distans—, etc. Ad tertium: responsiones datae quaestionibus, cognitio ignotorum, intuitio occultorum vel longinquorum, usus ignotae linguae, etc.

422 Et aliqui quidem quae a spiritistis facta narrantur omnia attribuunt fraudibus et praestigiosis artibus; alii plura attribuunt animabus defunctorum, quibuscum *medium* communicat vi corporis astralis; alii concedunt plura diabolico interventui; alii, denique, omnia adscribunt ad naturales causas, id est ad vires físicas aut psychicas *medii* et cooperatorum, puta ad cryptomnesiam (seu memoriam inconsciam), ad telepathiam, ad vim quandam magneticam.

Porro si quaedam daemonis interventui tribuenda¹

1 «Il *medium*, funzionando contemporaneamente da apparecchio trasmettitore e ricevitore, puô, con maggiore o minore facilità e chiarezza. far conoscere al vivi le notizie dei cosiddetti morti, e a questi le notizie dei vivi» (Zacchi, *Lo Spiritisme» e la Sopravvivenza dell'Anima*, p. 7, ed. 1922).—«Le sale destinate aile sperienze medianiche sono per essi [l plù entusiasti splrtisti] delle vere e proprie central! telefoniche, che funzionano in modo perfetto tra l due mondi» (Id., *ib.*, p. 9).

» «Le démon n'a de pouvoir sur la matière ou sur les hommes que dans la mesure où Dieu le permet ou du moins le tolère. Mais si nous le

haec amplificare non oportet. Sunt enim phenomena quae valent explicari viribus naturae nobis notis; sunt alia, quae, ex analogia cum fenomenis quarundam ex condicionibus morborum, satis probabiliter possent naturae viribus causari; quae ulterius remanent explicanda, haec certo nondum subiacent legibus nobis notis et videntur interventionem praeternaturalem petere, quae in adiunctis esset diabolica; sed hoc potius suspicamur quam asserimus ‘.

His omnibus praemissis, dicamus de moralitate usus spiritism!; scilicet quod, licet omnia aut plura quae spiritisme tribuuntur habeant causas probabiles ipsas naturae vires, eius attamen usus est omnino improbandus. 423

Primo, propter pericula. Abunde enim constat praxim spiritisticam noxiam saluti corporis², adversam bonis

provoquons, soit consciemment et directement, soit indirectement en désobéissant gravement, par exemple pour consulter en vue de découvrir l'avenir en dehors d'une révélation divine, nous nous exposons à ce que Dieu nous libère à son action» (Omez, *Peut-on communiquer avec les morts?*, ch. 7, p. 173, ed. 1955).

1 «Non posso a meno di ritenere che nei riguardi di argomenti quali la psicologia morbosa, l'ipnotismo, la trasmissione del pensiero, e le facoltà psichiche dell'uomo, noi, ancora oggi, non siamo più ferrati di quanto non lo fossero i teologi del tempo di Galileo in fatto di astronomia. Non è impossibile che tra un secolo o due si riconoscano certe verità psichiche di cui oggi noi ignoriamo oppure sospettiamo appena l'esistenza. Di conseguenza, per il momento, sembra opportuno dogmatizzare il meno possibile, in attesa di una guida più chiara ed esplicita» (Thurston, *La Chiesa e lo Spiritismo*, p. 1, ed. 1938).—«Non vi è nulla che tenda a dimostrare l'inesistenza di una forza rudimentale di facoltà telepatica eccetto che fino ad ora questa non è stata riconosciuta come una delle doti naturali dell'uomo» (Id., *ib.*, p. 199 sq.).

2 «Léon Denis n'a pu manquer de constater la proportion énorme des adonnés au spiritisme qui finissent (s'ils n'ont point commencé par là) par le détraquement mental, sinon psychique et nerveux. Nous connaissons personnellement un certain nombre de ces victimes des émotions hallucinantes et bouleversantes provoquées par la pensée de se trouver en communication avec des morts» (Omez, *l. c.*, ch. 4, p. 129).

moribus 1 et praecipue contrariam esse et ideo impossibilem cum Christianae fidei dogmatibus 2. Et quoniam arbor cognoscitur ex fructibus, iure creditur spiritismus instigante daemone propagari, atque opus diabolicum merito appellatur. Hinc Ecclesia, licet de natura phaenomenorum ius non dixerit, spiritismum suspectum habet³ et ideo libros prohibet qui evocationem spirituum docent vel commendant^{*}; a fortiori spiritisticis sessionibus assistentiam (cf. 425).

1 «La ragione del pericolo morale non si deve vedere unicamente nel fatto che le sedute hanno luogo nell'oscurità, con l'aiuto di medium nevropatici e di povere isteriche a tendenze erotiche, bensì ancora nella natura e nel carattere dei messaggi spiritici... Non poche azioni immorali!, come furti, vendette, adulteri, sono state o consigliate o incoraggiate dal pretesto spiritico!» (Zacchi, l. c., p. 271).

3 «Per gli entusiasti, tipo Stead, lo spiritismo non è soltanto la base della credenza nella immortalità; è pure la base di ogni fede religiosa; anzi una vera e propria religione; *la sola religione*—sono parole del congresso spiritico americano del 1911—*che si trovi in pieno accordo con la scienza de' tempi in cui viviamo*» (Zacchi, l. c., p. 9).—«Nè il concetto che essi [gli spiritisti] hanno di Dio, nè quello che hanno di G. Cristo e della sua Chiesa, è conciliabile con la dottrina del cristianesimo tradizionale. Il loro Dio rassomiglia più a quello impersonate del panteismo, che a quello personate del cristianesimo. La divinità di G. Cristo—cardine del cristianesimo—o è negata apertamente, o è professata con frasi incerte ed ambigue. La Chiesa, che per il cristianesimo tradizionale è Tunica légitima continuatrice dell'opera di G. Cristo, per gli spiritisti è invece la rappresentante e custode del fanatismo e della superstizione» (Id., ib., p. 281).—«Per quanto ho potuto accertare, l'atteggiamento di quasi tutti gli spiritisti di lingua inglese che si sono occupati delle più profonde questioni della nuova corrente era e rimane irconciliabilmente anticattolico, se non anticristiano» (Thurston, l. c., p. 96).

3 «La Chiesa non si è pronunciata sulla natura essenziale dei fenomeni spiritici... Nelle manifestazioni che si verificano, la Chiesa sospetta che possano, *per accidens*, intervenire influenze diaboliche» (Mainage, *La Religion Spirite*, cit. per Thurston, l. c., p. 5).—«Indubbiamente la Chiesa considera lo spiritismo con profonda diffidenza, ed è precisamente nei suoi cattivi frutti, o per lo meno nelle sue promesse ingannevoli, che essa trova la giustificazione del proprio atteggiamento» (Thurston, l. c., p. 72).

* Can. 1399. n. 7.—«Se la Chiesa afferma il proprio diritto di vietare la diffusione della letteratura eretica o moralmente pericolosa tra i suoi

Praeter Ecclesiae tamen prohibitionem, ortam ex praesumptione periculi communis, urget vetitum naturalis et divini iuris, si assistentia activa, immo et passiva, locutionibus et manifestationibus spirituum periculosa, saltem scandalosa sit in particulari; maxime si evocatio spirituum aequipolleat daemonum invocationi expressae aut tacitae, quoniam tunc adessent divinatio atque superstitio (cf. 391).

Casus primus

Fabius, qui physicae in Universitate omni studio operam dat simulque metapsychicorum, quae vocant, phaenomenorum cupidus indagator est, spiriticis sessionibus haud semel interfuit cum ceteris active communicans; at, nedum credit evocatos spiritus praesentium provocationi respondere, omnia potius per naturales vires fieri arbitratur. 424

Hinc, dum confessario haec narrat, ab eodem licentiam ut in posterum huiusmodi sessionum particeps esse possit, vel saltem ut iisdem passive interesse valeat etiam atque etiam postulat; cum vero confessarius id prorsus esse illicitum atque ab Ecclesia prohibitum identidem respondeat, Fabius ipsum sciscitatur an saltem sibi liceat haec experimenta cum sociis peragere qui eadem naturae viribus tribuunt.

fedeli seguaci, ha ogni ragione di comprendere nello stesso bando la grande massa di scritti che riportano pretese comunicazioni di carattere spiritico. Il fatto stesso che tali comunicazioni emanino, a detta degli spiritisti, da intelligenze il cui campo visivo è stato ampliato dopo la loro liberazione agli intralci dell'esistenza corporea, tende a conferir loro una pericolosa importanza agli occhi della gente semplice, incapace d'indagare seriamente i problemi inerenti» (Thurston, l. c., p. 97).

Solutio

425 Recte respondit confessarius assistentiam activam aut passivam vetitam his in adiunctis ab Ecclesia. Ad quaestionem etenim: «An liceat per *Medium*, uti vocant, vel sine *Medio*, adhibito vel non hypnotisme, locutionibus aut manifestationibus spiritisticis quibuscumque adsistere, etiam speciem honestatis vel pietatis prae se ferentibus, sive interrogando animas aut spiritus, sive audiendo responsa, sive tantum aspiciendo, etiam cum protestatione tacita vel expressa, nullam cum malignis spiritibus partem se habere velle», respondit S. Officium (24 apr. 1917): «Negative in omnibus» (Denz. 2182). Posset quis obicere cum Vermeersch: «Non mere aspicit vir peritus et satis expertus, qui intervenire velit ad fraudem detegendam et denunciandam, ad fortunam huiusmodi superstitionum minuendam plurimumque deceptionem tollendam»¹; sed in casu nostro agitur de iuvene qui una curiositate ducitur.

426 Verum aliud est daemonem invocare aut animas defunctorum evocare, et aliud ea naturalibus viribus experiri quae post illam invocationem vel evocationem obtineri dicuntur; aliud ergo adsistere locutionibus et manifestationibus quae sunt, nuntiantur, praetenduntur vel accipiuntur quasi spiritisticae, et aliud vacare experimentis scientificis, a quibus expectantur facta non dissimilia, cauto tamen ne effectus expectentur manifesto supra vires naturae—v. gr. revelatio numeri praemiandi in loteria futura—, ne experiens pergat ultra—si quando eveniant quae supernaturalia prorsus indicantur—, ne experimenta cedant in scandalum. Ideoque si «periti viri prohibendi non sunt quin scientificam earum (virium naturalium) indagacionem peragant sine alieno scandalo

¹ Vermeersch, *Th. Mor.*, II, 248, ed. 1928.

et physicis corporis vel mentis detrimentis» * fideles atamen, communiter, ab huiusmodi experimentis deterrendi sunt ■. Porro Fabius noster adhuc iuvenis est atque metaphysicorum phaenomenorum investigator cupidus. Illa propterea experimenta non vacant a periculo.

Si confessarius tamen fundato timet Fabium privatis his experimentis non valedicturum quae cum sociis peragit qui una secum tribuunt illa phaenomena naturae viribus, eum sic muniat ut periculum proximum remotum fiat, atque illum excitet ut scopum sibi praefigat studiorum non curiositati satisfacere sed soiritismi fortunam minuere.

Alii casus.

C. II.—Titius, exclusa omni conventionem cum spiritu 427 maligno, evocare solet animas defunctorum. Ita procedit: Dum solus reperitur, quin aliquid aliud praemittat, precem dirigit ad ducem militiae caelestis, ut ab ipso obtineat facultatem communicandi cum spiritu talis determinatae personae. Aliquantulum expectat; tunc ipse praeparatam manum dum praebet ad scribendum, per sentit illam moveri, ex quo certior fit de praesentia spiritus. Ipse exponit quae scire cupit, et manus scribit responsa hisce quaesitis. Quae responsiones quadrant omnes cum fide et doctrina Ecclesiae relate ad vitam futuram. Plerumque spectant statum in quo reperitur anima alicuius defuncti, necessitatem suam de recipiendis suffragiis, quaerimoniis eiusdem circa ingratitude parentum, etc. Estne licita agendi ratio Titii?

Sol.—Ad hunc casum respondit (30 martii 1898) S. Officium: «Uti exponitur, non licere» \

1 Vermeersch, l. c.

2 Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I. 420. ed. 1939.

3 Bucciaroni, *Enchiridion morale*, ed. 1905. p. 80.

428 C. III.—Herminius, spiritisticis sessionibus assiduus, acriter contra parochum contendit defunctorum animas, maxime quae sunt in purgatorio, vere communicare, saltem vi astralis corporis 1, cum adstantibus, ut minimum cum medio, atque ad interrogata respondere.

Sol.—Specialiter quoad animas quae sunt in purgatorio nemo sanus admittet divinam permissionem ut faveant vel cognitionibus vanis et inutilibus vel phenomenis quae officiunt sanitati et sunt moribus et religioni periculosa. Corpus autem astrale, praeterquam non conciliatur facile cum substantiali hominis unitate, attribuitur, a fautoribus spiritism!, tum vivis tum defunctis; cur igitur illi effectus non sint effectus medii atque cooperatorum potius quam animarum? cur anima separata exerceat in materialia corpora influxum quem non habuit corpori sensibili coniuncta? De cetero mirum est quod ubi animae defunctorum interveniant, nihil hucusque revelatum fuerit mortalibus dignum conditioni excellentiori animae separatae 2.

429 C. IV.—Hoc ultimum Herminius noster explicat quo-

1 «Secondo questi [gli spiritisti], oltre il corpo materiale, esiste in ognuno di noi un corpo più sottile detto astrale, fluidico o perispirito, che è come l'involucro immediato dell'anima e lo strumento ad essa indispensabile per agire nella sfera sensibile ed entrare in contatto con gli esseri corporei. Al momento della morte fisiologica l'anima, che lascia alia terra il corpo materiale, si porta dietro quello astrale... La *trance* medianica, la catena che si fa al tavolino, ecc., non avrebbero altro scopo che quello di mettere a disposizione delle anime disincarnate la quantità di fluido simpatico e intonato indispensabile a facilitarne le manifestazioni con segni, gesti, movimenti, fantasmi, ecc.» (Zacchi, l. c., p. 56 ss.).

2 «Queste [comunicazioni], almeno ordinariamente, sembrano davvero poco degne tanto d'intelligenze superiori, quanto di spirit! immersi nella luce e usciti ormai fuori delle brume e delle nebbie dei sensi... A proposito del basso livello intellettuale di questi illustri *revenants*, il Janet osserva amaramente: *Saremmo quasi tentati di rinunciare alia vita futura, se la si dovesse conduire con individui di questo genere* (Zacchi, l. c., p. 71, 73).

niam sunt praecise imperfectiores (inquit) animae quae illas revelationes operantur.

Sol.— Ista tamen positio parum affert solatii mortalibus coniunctis. Sed et animae quae spiritisticis sessionibus intersunt asserunt nec raro se pertinuisse defunctis illustrioribus, esse videlicet animam S. Augustini, S. Thomae, Galilei, etc. Illae quoque quae imperfectiores sunt inter spiritus, superiores debent esse sine corpore quam in corpore; in earum tamen manifestationibus se exhibent subordinatas hominibus vivis, medio scilicet et cooperatoribus mediis¹.

C. V.— Potamius cuncta quae a spiritistis mira celebrantur tribuit artibus praestigiosis et fraudibus. 430

Sol.— Plura, abs dubio, concedere debemus fraudibus et praestigiosis artibus. Semel enim ipsamet media confessae sunt se huiusmodi fallaciis indulxisse. Imprudenter tamen is ageret qui omnia omnino facta spiritistica falsa aut mendacia pronuntiaret².

¹ «E' senza dubbio molto significativo il fatto che tutti i fenomeni spiritici sono strettamente collegati alle forze fisiche e psichiche dei medium e de' loro cooperatori. I pretesti spiritici! sembrano non aver nulla di veramente proprio ed autonomo; nulla che c'induca a ritenerli entità davvero distinte e indipendenti!... I messaggi spiritici, nella forma, nello stile, nel contenuto sono perfettamente intonati all'ambiente nel quale vengono dati. Elevati o pedestri, seri o frivoli, scientifici! o volgari, a seconda de' gusti, delle inclinazioni e delle attitudini de' convenuti alle sedute, appaiono sempre l'esatto riflesso delle cognizioni e de' sentimenti di questi» (Id., ib., p. 206 ss.).

² «Nonostante la vasta prevalenza della frode che naturalmente è molto favorita dalle condizioni in cui si svolgono le sedute, il fatto che dei fenomeni fisici si verificano, non può essere negato da coloro che studiano con serietà le prove e le testimonianze, a meno che non assumano a priori un atteggiamento scettico, che nuocerebbe al valore di qualunque testimonianza umana in favore del miracoloso» (Thurston, l. c., p. 6).

XXXIV. SACRILEGIUM

Doctrina.

431 Sacrilgium, etsi passim dicatur (sensu lato) omne peccatum contra religionem, proprie atque stricte (prout ab aliis contra religionem peccatis differt) innuit sacrorum violationem seu irreverentem tractationem; gravem ex toto genere, si intenta fuerit; gravem, ex genere dumtaxat, si volita, non tamen intenta.

Quia reverentia contra quam agit sacrilegus aliter debetur personis Deo dicatis—quibus sanctitas convenit ut sublectis—, aliter locis dicatis Deo—ut personas continentibus et res sacras—, et aliter rebus ceteris Deo destinatis—ut causantibus, significantibus, ordinatis ad personas cum sanctificandas tum etiam sanctas—, sacrilegii species infimae numerantur sacrilegium personale, locale et reale. Ubi oportet animadvertamus tempus, secundum se, non esse sacrum, licet sacrum interdum nominetur ratione festi aut mysterii in ipso celebrati, nec ideo committi sacrilegium propterea quod quis peccet die dominica.

432 Sacrilgium igitur personale violationem nominat personae sacrae. Constituitur autem persona sacra ordine, ut inserviat Ecclesiae, et voto, ut vacet Deo.

Sacrilgium locale **importat** violationem loci sacri. Locus fit sacer **consecratione** vel **benedictione** qua deputatur ad divinum cultum, si agitur de ecclesia vel oratorio publico¹, aut ad fidelium sepulturam, si de coemeterio.

1 «Excipe, nisi ex proposito notabilis irreverentia irrogetur cultui divino, ut si quis in Parasceve exhiberet comoedias, ludos publicos, etc.» (Marc, *Inst. Mor.*, I, 580, ed. 1927).

2 «Quoad oratoria semi-publica, nequit affirmari a priori illa esse loca stride sacra, eo quod ex can. 1196 satis est si vel communi locorum

Sacrilegium reale violationem nominat rei sacrae, prout res differt a loco et a persona. Est autem res sacra aut ex divina institutione—ut sacramenta—aut ex repraesentatione—uti imagines et reliquiae—aut ex consecratione vel benedictione—uti vasa et vestes—aut ex destinatione—uti bona quae sunt ecclesiae ad sustentationem propriam aut ministrorum vel hospitalium eius.

Sacrilegium personale committitur violatione privilegiorum canonis (can. 119), fori (can. 120) atque immunitatis personalis (can. 121). Idipsum sacrilegium certo committit qui violat actu luxurioso personam voto publico castitatis sacram; peccata interna luxuriae a persona voto publico sacra commissa sacrilegia communius reputantur; nec desunt qui sacrilegium putent violationem personae castitati adstrictae ex privato voto |; sunt immo qui violationem cuiuscumque voti dicant sacrilegium—liquet autem non nisi materialiter sacrilegii nomen attribui peccatis ceteris quae persona sacra committat. 433

Sacrilegium locale iis actionibus, etsi occultis, committitur quibus ecclesia vel coemeterium violatur—in iusto nempe homicidio, iniuriosa et gravi sanguinis effusione, impiis et sordibus usibus quibus locus addictus fuerit, sepultura infidelis vel excommunicati post declaratoriam vel condemnatoriam sententiam (can. 1172)—et actionibus profanis, a fortiori peccaminosis, quae vel ex sola communi aestimatione² sanctitatem ecclesiae vel

benedictione donentur. Sunt tamen stricte sacra post benedictionem sollemnem» (Marc, l. c. n. 582).

| Hac tamen differentia quod dum votum publicum (acceptatum nempe ab Ecclesia) adstringit ceteros ut voventem agnoscant sacrum, quem igitur tractent reverenter, votum privatum (non acceptatum ab Ecclesia) nonnisi voventem obligat ut se sacrum agnoscat quem reverenter tractet.

J Minus recte, ut puto. Vermeersch loquitur (*Th. Mor.* II. η. 268. ed. 1928). Qui nec sibi constat dum adicit sacrilegium locale etiam committi violatione immunitatis atque iuris asyli, de hac duplici violatione etsi canon 1172 omnino sileat.

coemeteriis dedecent, v. gr., mercatus, convivia, pollutio, et, iuxta plures, quaecumque peccata gravia atque externa luxuriae, furtum grave—saltem si rei traditae ecclesiae in pignus vel custodiam—et laesio immunitatis localis, ideoque iuris asyli (can. 1178 s.)—saltem ubi viget 2.

Sacrilegium reale locum obtinet dum quis sacramenta indigne recipit, administrat, tractat, dum quis vasa et vestes integras, etc. 3 ad profanos adhibet usus, dum quis divinum Nomen vane usurpat, dum quis Scripturae verbis abutitur ad haereses, ad turpia, ad facetias, dum quis imagines et reliquias indecenter tractat vel irreverenter, dum quis bona ecclesiastica inique occupat, detinet aut destruit.

Casus pri us.

434 Titus, annuam confessionem instituens, cum alia tum haec confessario patefecit se haud semel in ecclesia libidinosi cogitationibus atque stimulis induisisse, oculis lascivis mulieres contutum esse, easque aliquando turpiter contractasse.

Quibus auditis, confessarius, confessionis integritati omnino consulere volens, sollicite Titum interrogat quoties singula in ecclesia acciderint.

An confessarius in casu recte egerit.

1 Non constat violari coemeterium peccatis v. gr. pollutionis, commensationum, etc., etsi violetur ecclesia (Marc, l. c.).

* «Per meros actus internos non violatur sanctitas loci; ideoque non committit sacrilegium qui in ecclesia habet voluntatem occidendi hominem extra ecclesiam. Secus, si quis extra ecclesiam proponit occidere in ecclesia. Eadem valent quoad desideria et proposita circa actus externos turpes graviter culpabiles» (Marc, l. c.).

• Dummodo haec sint consecrata vel benedictione constitutiva benedicta (Marc, l. c., n. 583); nam adhibere ad usus profanos quae non solent benedici, v. gr. candelabra, non est sacrilegium (Noldin, *Th. Mor.*, II. 179, ed. 1932).

Solutio

Non agitur de integritate quoad numerum peccatorum luxuriae aut impudicitiae (cf. I, 216-8), sed quoad numerum sacrilegiorum: *in ecclesia*. 435

Porro cum ad confessionis integritatem satis sit declarare peccata gravia, gravitatem habeant ex obiecto aut ex circumstantiis quae speciem mutant (Denz. 899, 917; can. 901), integritati confessionis Titi satis consulitur si gravia sacrilegia declarentur.

Sed cogitationes libidinosae non induunt malitiam sacrilegii—nisi agatur de desideriis externe luxuriandi in ipsa ecclesia; quae quidem desideria pariter sunt sacrilega licet foris habita—; superflua ergo, ad rem, sollicitudo confessarii.

Ipsi aspectus, prout habiti in ecclesia, non facile praesumuntur graviter lascivi—nisi ob graviter pravam intentionem, quae interna manet—; confessarius igitur non indiget sollicitari de ipsis ut sacrilegis.

Quod Titus tamen libidinis indulxerit stimulis—nisi prava dumtaxat desideria hac formula significet—, peccatum grave externum (quantumcumque occultum) clare insinuat, pollutiones videlicet aut tactus. Recte propterea confessarius ipsum interrogavit de horum sacrilegiorum numero.

Demum, quod feminas turpiter contrectavit, verbum satis ambiguum. Quaerendum fuit propterea a confessario num turpitudine inesset tactibus ipsis, nec uni solummodo intentioni; et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam, recte confessarius egit dum ulterius petit quot vicibus (moraliter distinctis) Titus his contrectationibus vacaverit.

Alii casus.

436 C. II.—Cantianilla abduxit SS. Species in finem turpissimum. Intimo post mensem dolore affecta confessarium petit, qui cum eam sat dispositam invenerit atque durum ipsi compexerit in statu peccati permanere, absolutionem concessit quidem, iniuncto tamen onere recurrendi per epistolam et intra mensem ad S. Paenitentiarium et standi huius mandatis.

Sol.—Confessarius recte egit absolvens Cantianiilam a censura et peccato, vi can. 2254, § 1; et quoniam agebatur de excommunicatione specialissimo modo reservata S. Sedi (can. 2320), recte pariter fecit onus imponens recurrendi ad S. Paenitentiarium, pro foro interno. Tamen quoniam casus conscientiae non solent pertractari a S. Paenitentia nisi cum paenitentis confessario, recursum imponere debuit per confessarium. reticito nomine atque cognomine paenitentis (cf. II, 60n).

437 C. III.—Irene, sanctimonialis, sic post quaedam alia confessario: Commisi maximum sacrilegium, quin et peccatum. Interrogata de quo ageretur: AUSA sum, inquit, accedere ad sacram communionem in peccato mortali; timebam enim ne consorores et maxime abbatissa meum statum suspicarentur si ad sacram synaxim, pro more, non accederem.

Sol.—Exaggerat Irene malitiam proprii criminis. Communio sacrilega non est maximum sacrilegiorum; gravius enim sacrilegium foret Eucharisticum panem proicere sive canibus ad manducandum sive in lutum ad conculcandum; gravius adhuc fuit sacrilegium occidentium Christum, quippe qui peccarunt contra corpus Christi in specie propria, Irene autem contra corpus Christi in specie sacramenti. Sed nec fuit maximum peccatorum, nam

gravior est infidelitas, gravissimum odium Dei. Immo, gravior fuisset sacrilega communio facta ex contemptu quam facta, prout in casu, ex timore, ne abstinens nempe a sacra mensa, suspecta haberetur de peccato mortali. Sic D. Thomas¹.

C. IV.—Absque praevia confessione vel contritionis actu, luventinus, etsi peccati mortalis conscius, ad audiendas confessiones accessit. Sed ex viginti paenitentibus tres inabsolutos, iure quidem, dimisit. Quot sacrilegia fecit? 438

Sol.—Tot sunt numero peccata quot obiecta moralia totalia. Sed utrum plura sacramenta paenitentiae sine interruptione ministrata constituent obiectum morale atque totale multiplex, inter Auctores disputatur. Plures tenent tot esse numero sacrilegia quot fuerunt absolutiones, eo quod absolutione compleatur paenitentiae sacramentum, nec illa quae datur uni paenitenti habeat aliquid quo coalescat cum iam data alteri. Putant alii, ex adverso, plures absolutiones in una sessione datas coalescere posse, quia cum simus, inquit, in moralibus et iniuria indignae administrationis sacramenti in unum Deum redundet, moraliter conficit unum opus qui ex intentione unica audiendi paenitentes quotquot accedat, eos successive audit et absolvit.

In prima ergo sententia, nobis probabiliori, luventinus commisit 17 sacrilegia consummata et ulterius 3 inchoata seu attentata. In altera vero, commisit unicum sacrilegium; vult attamen Merkelbach (*Th. Mor.*, I, 440, ed. 3) luventinum debere declarare pluralitatem in sacrilegii accusatione, ne in errorem inducat confessarium, qui alias putaret administrationem unicam sacrilegam. (Videsis quae iamiam diximus I, 218, 223).

¹ S. Thomas, *Summa Theol.*, III, 80. 5.

439 C. V.—Sigefridus parochus repertas in sacristia obseletas casulas et pluviale pauperi familiae tradidit ut ex iis sibi vestimenta conficeret. Item cum sollemne convivium ageret et domesticae mappae deficerent, mappas altaris adhibuit ad partem mensarum operiendam. His auditis, a Decano damnatur de duplici gravi sacrilegio.

Sol.—«Licite egit Sigefridus ubi vestimenta illa sacra pauperi familiae distribuit, modo eidem commendaverit (quod vix sponte non faciet) ut in convertendis illis vestibus sacris in profana vestimenta tam sedulo earum formam immutet ut a nemine agnosci queant. Peccavit Sigefridus ubi mappas profanas mappis sacris supplevit: hae enim stricte usibus sacris deputantur tum benedictione..., tum usu ad quem adhibentur, nempe in ipso altari, tempore divini sacrificii. Neque hic stricta necessitas invocari potest, sed tantum maior commoditas quam si aliae mappae apud vicinos quaerendae forent. Grave tamen sacrilegium commisisse non videtur parochus: siquidem deest in mappa directa illa cum rebus sanctissimis conexio quae similem abusum calicis gravem redderet». Ita Genicotl.

440 C. VI.—Aurelia falso denunciavit sacerdotem tamquam sollicitantem in confessione; peccavitne sacrilegio personali ob calumniam impositam personae sacrae?

Sol.—Negative, quoniam etsi persona sit sacra, non fama eius; saltem, quoniam ita ab Ecclesia constitutum est ut persona censeatur sacra in se, non in fama sua.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Furtum rei sacrae (I, 145); Porrigens Eucharistiam peccatori occulto (I, 168); Reus sacrilegii realis et personalis (I, 212); Consentiens delectationi pravae in ecclesia (I, 241).

1 Genicot, *Casus Cons.*, 76, ed. 1928.

XXXV. SIMONIA

Doctrina.

Simonia iuris divini¹ definitur in Codice I. C.: «Stu- 441
 diosa voluntas emendi vel vendendi pro pretio temporali
 rem intrinsece spiritualem, ex. gr. Sacramenta, eccle-
 siasticam jurisdictionem, consecrationem, indulgentias,
 etc. 3 vel rem temporalem rei spirituali adnexam ita ut
 res temporalis sine spirituali nullo modo esse possit, ex.
 gr. beneficium ecclesiasticum, etc., aut res spiritualis sit
 obiectum, etsi partiale, contractus, ex. gr. consecratio in
 calicis consecrati venditione» (can. 727, § 1). Ad hanc
 igitur habendam simoniam oportet adsit voluntas deli-
 berata dandi vel repetendi temporale pretium pro re spi-
 rituali aut spirituali necessario adnexa. Verum aliud est
 largiri temporale *pro* spirituali vel huic adnexo, et aliud
 est largiri temporale *occasione* spiritualis vel huic adne-
 xi: occasio enim differt a causa, ideoque importat titulum
 superadditum, utputa gratitudinem, remunerationem
 laboris extrinseci, sustentationem, redemptionem vexa-

1 Simonia in genere—prout eam quae iuris divini et iuris ecclesiasti-
 ci complectitur—definiri nequit. Definitio D. Thomae est simoniae iuris
 divini, quae una attinet ad theologum; altera enim canonistas potius
 spectat.—Etsi plures definiant simoniam: sacrilegium reale..., simonia
 non continetur sub sacrilegio reali; alias omnis simonia esset sacrile-
 gium reale, et tamen illa potest esse de re non sacra—spirituali, tempo-
 rali adnexa spirituali, immo et temporali, si agitur simonia iuris eccle-
 siastici—. Prout nec sacrilegium reale venit sub simonia, cum illud valeat
 locum habere etiam absque venditione, rei nempe sacrae. Ergo sacri-
 legium reale et simonia sunt species disparatae sub genere irreligiositatis
 simul contentae. Sacrilegium reale dicit usum rei sacrae quasi profa-
 nae; simonia dicit venditionem rei praetio inaestimabilis quasi rei prae-
 tio aestimabilis; ibi adest iniuria Deo—rei domino et invito quoad illum
 usum—, hic vero non adest iniuria commutanti—utpote qui voluntarie
 commutationi acquiescit.

3 Verbum etc., hic et inferius positum, ostendit satis ea quae exem-
 pla in Codice ponuntur non esse habenda veluti capita sive categoriae
 ad quas omnes omnino casus revocandi essent.

tionis iniustae. Unde in can. 730: «Non habetur simonia, cum temporale datur non pro re spirituali, sed eius occasione ex iusto titulo a sacris canonibus vel a legitima consuetudine recognito; item cum datur res temporalis pro re temporali, quae tamquam subiectum habeat adnexum aliquid spirituale, ex gr. calix consecratus, dummodo pretium non augeatur propter adnexam rem spiritualem».

Simonia iuris ecclesiastici venit in ipso Codice: «Dare res temporales spirituali adnexas pro temporalibus spirituali adnexis, vel res spirituales pro spiritualibus, vel etiam temporales pro temporalibus, si id ob periculum irreverentiae erga res spirituales ab Ecclesia prohibeatur» (can. 727, § 2). At etiam hic oportet ut res detur *pro* re—temporale spirituali adnexum pro temporali adnexo spirituali, spirituale pro spirituali, temporale pro temporali—; insuper quod huiusmodi datio sit vetita ab Ecclesia et quidem ob periculum irreverentiae erga res spirituales.

- 442 Ex dictis, simonia iuris divini committitur emendo vel vendendo pro pretio temporali sacramenta, ecclesiasticam iurisdictionem, consecrationem, indulgentias, beneficium ecclesiasticum, calicem quatenus consecratum; insuper emendo vel vendendo pro pretio temporali sacramentalia, instructionem catechetica ad primam communionem, concionem, preces, missam, indulgentiarum applicationem, dispensationem voti, iuramenti, impedimenti matrimonialis; electionem, praesentationem, confirmationem vel collationem beneficii; sepulturam ecclesiasticam. usum iurisdictionis ecclesiasticae, reliquias sacras, laborem intrinsecum seu necessarium administrationi sacramentorum; rem consecratam vel benedictione constitutiva benedictam vel indulgentiis ditatam, si ideo augetur pretium; admissionem ad religionem.

Simonia iuris ecclesiastici his praecipue modis committitur: deductionibus ex fructibus, compensationibus ac solutionibus a clerico in actu provisionis beneficiorum faciendis, quae collatori, patrono aliisque cedant (canon 1441); permutatione beneficiorum facta privata auctoritate (can. 1487, § 1), aut si beneficia inaequalia compensentur reservatione fructuum vel praestatione pecuniae sive cuiusque rei pretio aestimabilis (can. 1488, § 1); dimissione beneficiorum in commodum aliorum vel sub aliqua condicione quae ipsam beneficii provisionem aut reddituum erogationem attingat (can. 1486); qualibet specie negotiationis vel mercaturae circa stipem missarum (can. 827, 840, § 1; 2340); aliquid recipiendo pro litteris testimonialibus aspirantium ad statum religiosum (canon 545, § 1) aut pro exploranda voluntate puellae admittendae (can. 552, § 2).

C a s u s p r i m u s .

Vincentius parochus qui, ad nonnulla expedienda negotia, Romae per aliquot dies invenitur, occasione non deest ut extraordinariam confessionem peragat. Super cetera confessario narrat se ex more stipem pro missae applicatione, a fidelibus qui expresse sciscitantur quae sit eleemosyna tradenda, supra taxam dioecesanam exigere, cum iam diu soleant ceteri superiorem stipem ultro offerre, nec ipse teneatur huiusmodi lucrum amittere.

Cupiens tamen suae conscientiae serio consulere, a confessario quaerit an hoc liceat et quibusdam forsitan obligationibus ipse teneatur.

Quid dicendum?

Solutio

445 Stipem quidem supra taxam exigere nonnulli de simonia condemnant, non certo iuris divini—excessum cum non petat aliquis *pro* missa—, verum ecclesiastici; alii damnant tantummodo de iniustitia—quia exaggerat, qui petit, titulum sustentationis licitum—. In quocumque casu Vincentius tenetur ad restitutionem illius excessus, utpote quem exegit sine iusto titulo (cf. can. 2408). Hanc autem restitutionem potest facere missam aut missas applicans (ad excedentis pecuniae summam, cum taxa dioecesana comparatam) pro illis quos defraudavit oblatores. Nec valet ratio allata de superiore stipe quam ceteri ultronei offerunt, cum horum liberalitas non tribuat ius ad talem exigentiam. Dum tamen opponit se non teneri lucrum amittere huiusmodi, interrogandus esset num haec acceptans quae stipendia exaggerat impediatur revera a lucrosioribus sponte oblatis celebrandis; quoniam si negative (potens cum sit omnibus satisfacere), titulus est nullus, prout nullum lucrum cessans; si vero affirmative, num satis sibi cavere nequeat illas missas ad taxam dioecesanam non acceptans, aut saltem transmittens aliis sacerdotibus, nam si neutrum possibile, haberemus revera lucrum cessans, quod de se (abstractione facta a scandalo, etc.) videtur sufficiens titulus. In quocumque casu, potius quam decipere fideles qui de tradenda eleemosyna sciscitantur, respondeat «communitate alios tantam dare».

Alii casus.

44G C. II.—Peccatne simonia vendens vel emens omissionem sive administrationis sive receptionis sacramentorum?

Sol.—Negative: omissio siquidem non est res spiritualis, licet in adiunctis rem spiritualem habeat obiectum. Si quis attamen vendat vel emat denegationem absolutionis paenitenti rite confessi atque contriti dandae, is vendit vel emit non nudam omissionem, sed potestatis spiritualis exercitium sive sententiam.

C. III.—Arbogastus, parochus, se in confessione accusat quod nonnumquam, ut possit generosi offerentis postulationi obsecundare, bis die dominica pro stipendio litavit, dilata in proximiorum diem missae pro populo applicatione. 447

Sol.—Bis in die dominica litasse pro stipendio significat quod parochus noster utramque quam Missam binans celebrat pro stipendio celebravit. Hoc autem in Codice expresse vetatur (can. 824, § 2), et ideo a quibusdam de simonia iuris ecclesiastici damnatur. Sed cum non constet hanc prohibitionem factam esse ob periculum irreverentiae erga res spirituales—magis videtur facta ob periculum avaritiae—, potius dicendum est Vincen- tium peccasse dumtaxat iniustitia, cum careat titulo legitimo, ab auctoritate ecclesiastica recognito, ut celebrans unam missam ex titulo iustitiae—pro stipendio scilicet aut pro populo—pro alia missa recipiat stipendium. Tenetur ergo ad restitutionem stipendii aut ad iteratam celebrationem missarum quas illo modo celebravit. Oportet insuper attendat ad obligationem celebrandi die dominica missam pro populo: etsi enim can. 339 admittat translationem legitimam, translatio non redditur legitima ob quancumque causam. Immo, si casus frequens, rem Ordinario deferat, penes quem est facultas translationem hanc permittendi.

C. IV.—Vocatus ad confessiones audiendas in collegio puerorum, Wolfgangus pecuniariam praetendit remune- 448

rationem, non quidem tamquam pretium administrationis sacramenti sed tamquam pretium laboris qui est in audiendis confessionibus. Rector autem collegii Wolfangum arguit de simonia.

Sol.—Recte, quidem. Ut Vitoria etenim loquitur: <Pro labore necessario ad administrationem rerum spiritualium non plus licet recipere ratione illius laboris quam ratione ipsius rei spiritualis. Non plus licet recipere pro labore necessario confessionis quam pro ipsa confessione. Et tamen pro confessione nihil temporale licet recipere. Ergo nec pro labore illo necessario ad audiendam confessionem. Certe esset commentum dicere contrarium... Confirmatur. Est simile sicut si artifex vellet vendere laborem suum et opera sua. Nonne esset fraus et iniustitia si exigeret laborem et opus? Clarum est quod sic, sicut etiam si pictor venderet imaginem pro tanto, et pro labore peteret aliquid aliud, esset fraus et iniustitia, quia labor eius consistit in illa imagine» \

449 C. v.—Bassianus parochus in suam paroeciam morem induxit, in aliis paroeciis ceterum non ignotum, quo honor atque ius Sanctorum imagines in sacris processionibus deferendi iis tribuitur qui maiorem stipem offerunt. Num ideo sit de simonia carpendus?

Sol.—Mos introductus quod ad imagines attinet deferendas simoniae labe non afficitur, cum non agatur de venditione rei spiritualis—simonia iuris divini—. Id quod venditur est honor quidam humanus, prout in venditione Commendae¹ et in venditione loci honorabilioris pro sepultura. Et licet venditio huius honoris redundare posset in irreventiam rerum sacrarum, non est tamen iure canonico prohibita; nec ideo adest simonia iuris ecclesiastici. Immo nec iniustitia, cum huiusmodi stipes

¹ Vitoria, in *II-II*, q. 100, a. 2, n. 4, ed. Beltrân de Heredia.

* Salmanticenses *Mor.*, l. c., n. 65 sq.

colligantur ad solvendas expensas festi atque ecclesiae. Attamen si praxis huiuscemodi, quae aliis paroeciis dicitur non ignota, ignota esset dioecesi, Vincentius priusquam morem inducat in paroeciam deberet episcopum consulere.

C. VI.—An pretium simoniacum dandum sit pauperibus? 450

Sol.—Hoc docet D. Thomas I, quippe qui supponit esse iure prohibitum quominus, simonia consummata ex utraque parte, pretium restituatur ei qui ipsum solvit. Ad quae Vitoria: «Hoc non est de iure divino vel naturali, sed de iure positivo. Ego non invenio hoc in iure, tamen ita dicunt doctores... Supponamus ergo quod ita sit, postquam iura debent intellegi ut omnes doctores dicunt» a. Hodie attamen pretium restituendum esset vel danti, iuxta quosdam, vel ecclesiae cuius est beneficium, iuxta alios.

XXXVI. FILIORUM OBLIGATIONES

Doctrina.

Sicut stricto debito tenemur erga Deum, primum 451 creationis et gubernationis nostrae principium, sic quoque erga parentes, sub Deo principium alterum productionis et gubernationis nostrae. Quem ad modum ad Illum est religio, ad hos habetur pietas.

Et actus quidem per se pietatis ad parentes sunt honor et obsequium; quoniam, per se loquendo, parentes sunt benefactores nostri, superiores nobis et gubernato-

› S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 32, 7; 62, 5, 2m.

a Vitoria, l. c., q. 32, a. 7, n. 3.

res societatis domesticae; eis igitur debemus honorem—excellētiaē recognitionem—et obsequium, sive oboedientiaē—imperio—, sive timoris—coactioni—, sive gratitudinis—beneficio—. Et quantumvis parentum, utpote superiorum, sit subvenire filiis, ipsi tamen possunt versari in indigentia quam filii valeant ideoque teneantur sive alleviare sive explere; actus ergo per accidens pietatis ad parentes corporale venit subsidium.

452 Peccant ergo graviter filii: Qui parentes, etsi pauperes, contemnunt, contumelia vel maledictione afficiunt; qui parentes percutiunt, quamvis leviter; immo qui deliberate manus in eos extollunt aut baculum arripiunt quo videantur parati ad percutiendum; qui e domo vel societate ipsos repellunt; qui de crimine, etsi vero, eos in foro externo accusant—aliud nisi medium desit ad divinum communeve malum vitandum—; qui praesentes non alloquuntur, vicinos, maxime si aegrotos aut senio confectos, non visitant; qui absentibus litteras nullas mittunt; qui eos malis artibus a conficiendo testamento impediunt, eorumve voluntatem ultimam, ingressi hereditatem, non exsequuntur; qui pro eis vita functis non curant ut suffragia communia fiant; qui parentibus, denique, non succurrunt versantibus in necessitate sive spirituali sive corporali.

453 Oboedientia debita parentibus urget sub gravi dum parentes vere praecipiant—non solum adhortantur vel dumtaxat monent—atque materia est gravis. «Quaenam autem materia sit revera gravis, difficulter potest regula generali determinari. Generatim tamen dici potest illam materiam esse gravem, cuius omissio causât grave nocuum aut filio aut familiae» x. Saepius tamen iuniores a mortali excusantur ob animi levitatem atque inadvertentiam.

» Prümmeck, *Th. Mor.*, II, 583, ed. 1928.

Prout nullus tamen hominum est divinitus constitutus secundarius motor qui universaliter ipse moveat, verum personas determinatas quoad determinata tantum negotia, sic nemo tenetur superiori oboedire nisi proprio, huic autem intra limites competentiae eius.

Oboedientiae igitur ad parentes obligatio non est perpetua: cessat enim simpliciter quando filius a paterna auctoritate emancipatur; quoad partem vero, quando filius maioritatem obtinet—is etenim quandiu manet in domo paterna parentibus subicitur quoad ea quae ordinem domesticum spectant.

Ceteri subsunt paternae auctoritati quoad regimen sive gubernationem domus, quoad litterarum vel artis accommodae studium vel exercitium, quoad morum et religionis disciplinam. Hinc peccant graviter: si impositam operam praestare pertinaciter renuunt; si contra parentum praeceptum debito tempore domum non redeunt, vespere praesertim, idque non semel; si sine gravi causa a paterna domo aufugiunt; si litterarum studio vacare aut artem conditioni illorum convenientem addiscere neglegunt, cum iactura temporis et expensarum; si contra parentum vetitum prava consortia, popinas, theatra et alia loca periculosa frequentant, ludos prohibitos inquirunt, illicitas procationes habent; si contra parentum praeceptum preces, doctrinam Christianam, conciones, Missas, in notabili materia praetermittunt; si per notabile tempus a Sacramentorum susceptione abstinent \

Extra hos limites nullam habent parentes competentiam. Ideo quoad status electionem non tenentur filii imperium parentum observare «quia omnes homines natura sunt pares: puta in his quae pertinent ad corporis

1 Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I. 540, ed. 1939.—«Ubi agitur de praecepto, quod ad plures actus successivos refertur, e. g. ne ad cauponam accedant, ne tardius domum redeant, etc., grave peccatum (excluso contemptu) non committitur nisi praeceptum saepius violetur» (Noldin, *Th. Mor.*, II, 287. ed. 1932).

sustentationem et prolis generationem» 1; at cum agitur de matrimonio cum hac illave persona, debent eorum consilium et assensum petere: «saepe enim filii vesano amore obcaecati volunt contrahere matrimonium quod certo verget in ipsorum perniciem et familiae dedecus» 2. Ideo in Codice I. C.: «Parochus graviter filios familias minores hortetur, ne nuptias ineant insciis aut rationaliter invitis parentibus; quod si abnuerint, eorum matrimonio ne assistat, nisi consulto prius loci Ordinario» (can. 1034). Insuper «quod attinet ad salutem animae, filii sunt semper sui iuris, quatenus conscii et veram religionem amplecti et pietatem modo approbato colere semper possunt» 3. Immo, quod intra hos limites ipsi parentes superiori auctoritati subsint, non sunt audiendi si ad id filios inducant quod fieri vel omitti nequit absque peccato. Bonum igitur ad quod faciendum tenetur filius ex necessitate, ob legem naturalem, divinam vel ecclesiasticam, non est praetermittendum propter parentum oboedientiam 4. Ubi agatur, contra, de bono ad quod filius non tenetur ex necessitate, de bono tamen meliori quod Deus vel Ecclesia commendat, parentes praecipere non valent huius boni omissionem: non urgeret igitur parentum prohibitio de non frequentanda ecclesia, missa, meditatione, sacramentis, pietatis exercitiis, coetibus actionis catholicae, quandiu huiusmodi aliaque opera cum officiis domesticis componi possint. Si tamen impossibilia sunt cum his officiis, tunc et parentibus ius adest illa vetandi, et filii tenentur oboedire 5.

1 S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 104, 5.

2 Prümmer, l. c., n. 585.

3 Vermeersch, *Th. Mor.*, II, 291, ed. 1928.

♦ Necessitas abesset si lex Ecclesiae non urgeret in casu, v. gr. ob grave consequens filio incommodum.

5 «Duplex est bonum. Quoddam ad quod faciendum homo ex necessitate tenetur: sicut amare Deum, vel aliquid huiusmodi. Et tale bonum nullo modo debet propter oboedientiam praetermitti. Est autem aliud bonum ad quod homo non tenetur ex necessitate. Et tale bonum debet

Casus primus.

Iam a quindecim annis Pulcheria vivit in monasterio 456
sollemniter professa cum modo a patre instatur ut clau-
tro valedicens domum redeat: inopinato etenim viduus
mansit et filia prorsus indiget. Pulcheria obsistit. Verum
pater contendit praeceptum de parentum honoratione
prius esse quam votum religiosum, ideoque per superve-
niens votum abrogari non posse. Pulcheria suas angu-
stias confessario pandit, ab eo petens quid sibi sit
agendum.

SoZwiiio

Respondet D. Thomas: «Ille qui iam est in religione 457
professus, reputatur iam quasi mortuus mundo. Unde
non debet occasione sustentationis parentum exire clau-
trum, in quo Christo consepelitur, et se iterum saeculari-
bus negotiis implicare. Tenetur tamen, salva sui praela-
ti oboedientia et suae religionis statu, pium studium ad-
hibere qualiter eius parentibus subveniatur» \

Ad quae Caietanus: «Sciendum est quod dupliciter
contingit patrem egere servitio filii religiosi: primo, ci-
tra extremam necessitatem; secundo, in extrema necessi-
tate. Et si quidem pater ita eget filio quod sine ipso ex-
trema necessitate manifeste laboraret, tenetur filius,
petita, licet non obtenta, licentia superioris, patri subve-

homo quandoque propter oboedientiam praetermittere, ad quam ex ne-
cessitate homo tenetur: quia non debet homo aliquid bonum facere cul-
pam Incurrere. Et tamen, sicut ibidem Gregorius dicit, *qui ab uno
quolibet bono subiectos vetat, necesse est ut multa concedat, ne oboe-
dientis mens funditus intereat, si a bonis omnibus penitus repulsa iei-
net*. Et sic per oboedientiam et alia bona potest damnum unius boni
recompensari» (S. Thomas, l. c., a. 3, 3m).

1 S. Thomas, l. c., 101, 4, 4m.

nire. Et ratio est quia praeceptum iuris naturae et divini in extrema necessitate praeceminet omni voto et vinculo. Nec solum pro patre, sed pro quocumque homine in simili necessitate tenetur quilibet. Non enim debent vota esse impeditiva operum iustitiae... Si vero pater citra extremam est necessitatem, tunc religiosus tenetur adiuvare patrem salvo suo statu, et non aliter, hoc est, salva oboedientia et regulari observantia: sicut filius uxoratus non tenetur patri nisi salvo statu coniugali... Nam praeceptum de honore parentum, licet verum sit quod priusquam votum, et ex naturae iure obligat, nec est abrogabile per superveniens votum; falsum tamen est quod eodem modo obliget filium in quocumque statu. Quoniam est praeceptum affirmativum, et obligat pro tempore unumquemque prout tunc invenit illum. Non enim eodem modo obligat filium liberum, et uxoratum: nam uxoratus non obligatur ad actum commanendi cum patre, quia iam est obligatus ad commanendum cum uxore. Et sic est in proposito, quod filius liber tenetur ex hoc praecepto ad subsidium paternum simpliciter: filius autem religionis vinculo adstrictus tenetur ut religiosus potest» \

Confessarius ergo Pulcheriam tranquillam esse iubeat. Indigentia in quam pater coniectus est ob viduitatem non est extrema. Si salva oboedientia et observantia regulari valet quidpiam auxilii conferre ei, id quidem faciat. Sed nullatenus debet ideo claustrum exire.

Alii casus.

458 C. II.— An patri extra gravem necessitatem teneatur filius subvenire de superfluo vitae quantumvis ad statum necessario?

Sol.— Ad rem Vitoria: «Parentibus dico quod non so-

1 Caietanus. in II-II, 101, 4, n. 2.

lum in istis duobus casibus, scilicet in extrema necessitate et in gravi de superfluis ad statum sine deminutione status tenemur subvenire, sed etiam extra extremam necessitatem, si graviter egeant, tenemur illis de necessariis ad statum et cum deminutione ipsius status subvenire. Nec dubito nisi quod si filius laute vivat, et permetteret patrem, non solum in extrema necessitate et gravi, sed quod ignobiliter vivat et patiatur nimiam iacturam et ignominiam, peccaret mortaliter ipse filius si non subveniret» \

C. III.—Num filius teneatur solvere de bonis suis debita patris solvendo imparis? 459

Sol.—«Imprimis distinguenda est obligatio iustitiae ab obligatione pietatis. Ex *iustitia* filius tenetur solvere debita patris, si accepit bona paterna, quae adhuc supersunt. Etenim a bonis paternis (sive donatione inter vivos sive testamento acceptis) semper subtrahenda sunt debita patri incumbentia. Filius autem non tenetur redde re expensas quas pater fecit pro ipsius educatione; cum habeat ius ut expensis patris debitam educationem accipiat. Ex *pietate* aliquando filius tenetur solvere debita patris, etiamsi hoc non potest ex bonis a patre perceptis, si scilicet secus honor patris valde laederetur. Nihilominus haec obligatio non solet esse gravis, ideoque ex sola pietate filius non tenetur cum suo gravi incommodo solvere debita patris». Ita Prümmer².

C. IV.—Num ingredi possint religionem illi quorum parentes, in gravi necessitate constituti, eorum opera indigent? 460

Sol.—«Ille qui est in saeculo constitutus, si habet parentes qui sine ipso sustentari non possunt, non debet,

1 Victoria, in *II-II*, 101, 2, n. 3, ed. Beltrân de Heredia.

2 Prümmer, l. c., n. 581.

eis relictis, religionem intrare: quia transgrederetur praeceptum de honoratione parentum. Quamvis dicant quidam quod etiam in hoc casu licite posset eos deserere, eorum curam Deo committens. Sed si quis recte consideret, hoc esset tentare Deum: cum habens ex humano consilio quid ageret, periculo parentes exponeret sub spe divini auxilii» \ Hinc in Codice I. C.: «Illicite sed valide (ad noviciatum) admittuntur... filii qui parentibus, idest patri vel matri, avo vel aviae, in gravi necessitate constitutis, opitulari debent» (can. 542, n. 2).

461 C. V.—Nympha, filiafamilias, multa pietatis facit opera ad quae nullo praecepto adstringitur. Verum inde parentes, religionis omnino incurii, graviter offenduntur, adeo ut domesticam pacem turbent quin et in blasphemias erumpant. Debetne propterea abstinere Nympha ab illis piis operibus?

Sol.—«Ea quae sunt de necessitate salutis praetermitti non debent propter scandalum vitandum. In his autem spiritualibus bonis quae non sunt de necessitate salutis videtur distinguendum. Quia scandalum quod ex eis oritur quandoque ex malitia procedit... Quod esse contemnendum Dominus docet, Matt. 15. Quandoque vero scandalum procedit ex infirmitate vel ignorantia: et huiusmodi scandalum est scandalum pusillorum. Propter quod sunt spiritualia opera vel occultanda, vel etiam interdum differenda, ubi periculum non imminet, quousque, reddita ratione, huiusmodi scandalum cesset. Si autem post redditam rationem huiusmodi scandalum duret, iam videtur ex malitia esse: et sic propter ipsum non sunt huiusmodi spiritualia opera dimittenda» 2. Ad haec postrema D. Thomae verba, Caietanus: «Adverte quod Auctor non assertivo verbo utitur, sed opinativo, dicen-

i S. Thomas, l. c.

2 Id., ib., 43, 7.

do: *lam videtur ex malitia esse*. Potest quidem contingere quod pusilli non sint capaces rationis redditae: vel propter pristinam consuetudinem, quae facit apparere dissonum quod veritati consonat, vel propter rationem apud eos magis apparentem, vel aliquid huiusmodi. Et tunc, ex quo malitia non facit scandalum, sed ignorantia vel infirmitas, quamvis reddita sit ratio, cessandum est ab huiusmodi spiritualibus non necessariis» \ Videsis t. II, n. 395.

C. VI.— Volens Eudociam nubere Martinianus petiit 462
consensum patris. Sed hic eum a cogitato matrimonio prohibet et iubet ut uxorem ducat Anatoliam, electionem rationibus confirmans. Anxius Martinianus confessarium adit quaerens num et quatenus teneatur patris oboedire praecepto.

Sol.— Respondet Billuart: «Quantum ad matrimonium in particulari cum tali persona non possunt etiam parentes cogere filios aut filias, neque isti tenentur oboedire propter rationes iam datas. Possunt tamen parentes filios aut filias inducere ex rationabili causa. Et tunc sicut se habet filius ad illam causam, ita se habet ad praeceptum patris, ut scilicet si causa illa cogat de necessitate vel honestate, praeceptum patris similiter cogat: puta, si pater iubeat filio ducere talem puellam, quia vel eam defloravit, vel tale matrimonium est necessarium ad sedandas inveteratas inimicitias, aut ad sustentandam inopiam patris, etc. Puto tamen filium in hoc casu debere acquiescere non tam vi praecepti oboedientiae, cum iuxta S. Th. quoad statum pater non sit superior filii, quam vi praecepti pietatis ex qua filius in talibus circumstantiis tenetur acquiescere voluntati patris, facturus alioquin illi magnam iniuriam in re gravi» 1.

1 Caietanus, in hunc locum.

8 Billuart, *Summa S. Thomae*, tr. de ceteris virtutibus iustitiae annexis, dlss. 2, a. 3.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Optare mortem patris ad hereditatem adeundam (I, 277); Puella vacans pietatis exercitiis contra parentum vetitum (I, 423).

XXXVII. PARENTUM OBLIGATIONES

Doctrina.

463 Ad pietatem parentum erga filios pertinet imprimis educatio, cum corporalis tum spiritualis. Ipsa siquidem animalia instinctu feruntur naturali ut proprios fetus indigentes nutriant et perducant ad perfectionem quibus dederunt initium. Homo, insuper, anima rationali ditatus est atque ad ordinem supernaturalem euectus. Hinc Codex I. C.: «Parentes gravissima obligatione tenentur prolis educationem tum religiosam et moralem, tum physicam et civilem pro viribus curandi, et etiam temporali eorum bono providendi» (can. 1113).

464 Et quod attinet ad educationem religiosam, parentes catholici adstringuntur ut prolem natam mox ad baptismum deferant (can. 770), instruant vel instruere faciant a pueritia in doctrina Christiana (can. 1335), praeparent, per se vel per alios, ad Paenitentiae et Eucharistiae debitam receptionem, promoveant ad frequentationem ecclesiae, ad exercitia pietatis solida (v. gr. ad preces matutinas et serotinas), ad devotionem erga B. Virginem I. Tenentur insuper vitare ne filii scholas acatholicas, neutras, mixtasve frequentent (II, 104, 106, 111).

Parentes quoque debent filios docere honestos mores,ⁱ

ⁱ «Idcirco graviter delinquent parentes... qui pietatem, Religionem, sacerdotes, aliasve res sacras irrident; praecepta Ecclesiae non observant» (Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I. 548, ed. 1939).

verbo et exemplo; eos arcere a mundi illecebris, a sociis pravis, ludis, lectionibus vel colloquiis periculosis; eos non locare apud familias—disciplinae vel famulatus causa—in quibus eorum castitas periclitetur; eos, denique, peccantes opportune corripere x.

Quoad educationem physicam parentes obligantur ne quicquam agant quod vitae, sanitati vel naturali perfectioni nocivum sit proli semel conceptae; ei provideant quoque semel natae de victu, vestitu, habitatione et cura—si infirmentur—secundum proprii illorum status conditionem; de honesta recreatione pariter, passim aequalibus concessa. 465

Quoad civilem, demum, educationem parentes obligantur ut filiis copiam faciant litteras vel artem pro conditione propria addiscendi.

Quod attinet ad status vitae electionem, filii sunt liberi nec tenentur parentibus morem gerere (455). Hinc colliges «gravissimi peccati reos esse parentes qui, sive directe metu, vi, fraude, sive indirecte durius cum liberis agendo in victu, vestitu, verbis, signis, etc. eos invitos compellunt ad religionem, clericatum aut matrimonium, quia contra iustitiam agunt violando filiorum libertatem, et eo gravius peccant quo graviora mala inde nata sunt sequi; quot enim inde maledictiones, imprecationes, desperationes, impudicitiae, sacrilegia, adulteria, etc. quae filios et filias in hac vita miseros, in altera miserimos efficiunt!»¹ Peccant parentes igitur qui filio sta- 466

1 «Graviter peccant *per se* parentes: a) qui nimia indulgentia filios corrigere notabiliter neglegunt, quando alioqui id necesse foret; b) sed non minus peccant qui gravioribus poenis in filios animadvertunt, v. gr. si eos mutilent, vel eis grave vulnus aut percussiones et verberationes adeo graves infligant ut vita vel sanitas eorum notabile detrimentum capiat» (Ferreres, *Th. Mor.*, I. 464, ed. 1932).

3 Billuart, *Summa S. Thomae*, tr. de ceteris virtutibus iustitiae adnesis, diss. 2, a. 3.—Parentes a gravi peccato «excusari possunt, saltem ad breve tempus, ratione ignorantiae vel inadvertentiae, quae facile.

tum clericalem amplectenti constituere patrimonium recusant; qui filiae dotem denegant ad religiosam vitam convolanti; qui filium aut filiam, ideo..quod ipsis invitis nuptias, post annos maioritatis, celebrarunt, laedunt in hereditatis parte legitima x.

467 Quantum ad matrimonium porro parentes, etsi nequeant suam prolem cogere ut huic vel illi nubat, possunt tamen ex causa rationabili ad id inducere immo et impedire (cf. 462); sed «matrimonium filii indebite impediendo aut etiam differendo facile peccant graviter cum saepe sint causa multorum peccatorum incontinentiae et odii aut etiam desperationis» 2.

Quoad statum vero sacerdotalem aut religiosum, eo minus habent parentes ius cogendi filios quo potiores obligationes assumuntur, quarum inobservatio et filiorum redundat in salutis discrimen et aliis facile in scandalum 3. Tenentur autem filios non impedire a sectanda vocatione; peccarent alias et contra iustitiam, filiorum libertatem violantes, et contra caritatem et pietatem, eos retrahendo tum a maiori Dei obsequio tum ab ipso-

ob nimium eorum (filiorum) amorem, admitti potest» (Marc, *Inst. Mor.*, I. 700, ed. 1927).

1 Filiae «si ante annos maioritatis indigno nupserit, non debetur dos. iuxta sententiam probabiliorem; sed indigenti debentur alimenta. Simili modo si filius, patre invito, uxorem duxerit, tenetur pater eum indigentem eiusque uxorem alere» (Marc, l. c.).

2 Prümmer, *Th. Mor.*, II, 585, ed. 1928.

• Ideo in Codice I. C.: «Excommunicatione nemini reservata Ipso facto plectuntur omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoquo modo cogant sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem tam sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam» (can. 2352).—«Censura incurritur cum vir fit clericus, vel cum candidatus Religionem ingreditur aut professionem emittit. Iamvero status clericalis initur prima tonsura (can. 108, § 1); ingressus in Religionem vero fit incipiendo tempus postulatus vel noviciatus (si nempe postulatus non praerequiritur). Qui cogit ad postulatum et postea ad professionem in duplicem censuram incurrit» (Marc, l. c., n. 1355).

rum meliori bono¹. Quin propterea sint illico culpandi si ad tempus vocationi filiorum non accedunt, ipsam ut probent; «caveant autem ne diutius hanc probationem protrahant, aut sub pretextu probationis, suae malae voluntati indulgeant»².

Casus prius.

Annae duae filiae sunt, Virginia et Clara: haec, quae 468 antea amoribus et levitatibus induisit, nunc, horum taedio affecta, vitae religiosae desiderio flagrat; illa, e contra, levem atque liberam vitam adhuc agit. Iamvero earum mater, dum Virginiae licentiam libertatemque vivendi agnoscit ac permittit—ait enim haud coartatione sed consiliis tantum filios educari posse—, Claram, e contra, ut de suo proposito desistat, quod arbitrio potius quam vocationi tribuit, omni ope conatur.

Quae omnia, cum confessario narrat, eiusdem assensum exigit. Hic conatur sane recta educationis principia eidem indicare; at incassum. Quare, ne debeat cum huiusmodi muliere disputando profundere ac perdere laborem, paenitentiam imponit et absolvit.

Quid dicendum?

¹ <At vero, vel ex iis qui de catholica fide se lactant, parentes saepenumero non desunt—praesertim in sublimioribus atque eruditioribus Civitatis ordinibus—qui non modo aegre ferant Deo mancipari filios suos, verum etiam huic delectui eiusmodi fallaciis obniti non vereantur, quibus carissimae sobolis simul divinitus facta selectio, simul fides aeternaeque salus periclitentur... Res ipsa antiquo et paracerbo experimento confirmat multas lacrimas tum liberis suis, tum sibi nullius consilii parentes excussisse, qui prodicione quadam—vocem hanc ne habeatis aequo duriores—sobolem suam a divino delectu abduxissent. Atque utinam eorum lacrimae ne adeo effundantur serius, ut in aeternitatis aevum eliciantur» (Pius XI. enc. *De sacerdotio catholico*, AAS, 28 [1936], p. 48 s.).

² Billuart, l. c.

Solutio

469 Anna quidem videtur numeranda in illis matribus quibus, non obstante Christiano nomine, sollicitudo est potius de filiarum vita temporali quam morali atque religiosa; inde licentia quam Virginiae tribuit vel tunc cum Clarae libertatem denegat.

Eius imprimis educationis methodus est omnino improbanda. Sufficiunt quidem monitiones sive consilia quoad illas iuvenes quae sunt pronae ad actus virtutum, vel ex bona dispositione naturae, vel ex consuetudine, vel ex divino praecipue munere. Attamen, quoniam inveniuntur quaedam protervae et ad vitia propensae, quae verbis de facili moveri nequeunt, necessarium omnino est quod hae per vim et metum a malo cohibeantur, ut saltem sic malefacere desistentes, per huiusmodi assuetudinem ad hoc denique perducantur ut voluntarie agant quod prius metu implebant, et sic fiant virtuosae*. Hinc habent parentes ius una atque officium praecipendi et puniendi. «Ideo peccant parentes, qui filiorum excessus castigatione congrua non compescunt. Tristissimum exemplum castigationis neglectae est Heli, qui exinde graviter punitus fuit. Pariter peccant parentes, qui sorditer relinquunt filios suos in proxima occasione peccandi»¹. Scite Merkerbach: «Parentes in vigilantiae et correptionis officio valde neglegentes, erga filios graviter rei sunt»³. Annae igitur erga filiam Virginiam indulgentia facile mortalis.

Eius insuper severitas ad Claram certo est damnanda. Potuit quidem vocationem huius probare, per breve tempus nempe. Nequit autem omni conare ope ut filia de

¹ S. Thomas, *Summa Theol.*, I-II, 95. 1.

» Prümmer, l. c., n. 589.

³ Merkerbach, *Th. Mor.*, II, 826, ed. 3.

suo proposito desistat. Ipsa, de reliquo, discrepantia inter methodum quam educationis celebrat et ad Virginiam applicat, atque modum agendi quem erga Claram tenet liquido ostendit Annam, sub praetextu licet probationis, suae malae indulgere voluntati.

Sed etiam dato rationem erga filias agendi non pertingere penes Annam ad peccatum mortale, ob erroneam eius de educatione et vocatione sententiam, confessarius debuit absolutionem recusare quandiu paenitens non promittat morem erga filias emendare. Sicut enim nefas est medico adhibere sanitatis media probabilia dum ei adsunt tutiora (48), sic nec fas est parentibus adhibere media educationis quae, probabiliter etsi prosint, nocent attamen probabilius; quoniam non obstante opinione medici, aegrotus morti exponitur, et non obstante parentum opinione, filiarum sors aeterna committitur discrimini.

Confessarius igitur male egit, dum timens disputationem vanam, matremfamilias nostram absolvit.

Alii casus.

C. II.— Acisclus nullam omnino curam gerit ut filii literas addiscant; ait enim scholarum institutionem esse inutilem, cum ipsemet, quantumcumque legendi et scribendi ignarus, lautum lucretur stipendium manuum labore. Estne carpendus? 471

Sol.— Affirmative, nam «cum scientia saltem elementaris in regionibus nostris excultis requiri soleat fere in quolibet vitae statu, ne quis cum dedecore inferiorem aliis locum occupare cogatur, recte censent (theologi) parentes quoslibet teneri ad illam scientiam liberis suis procurandam, nisi morali impossibilitate excusentur; quae impos-

sibilitas raro existit, nam etiam pauperes inveniunt medium instructionis convenientis» 1.

472 C. III.—Callinica, post contentionem habitam cum marito, rogat sententiam confessarii de temporis spatio quo parentes ad filios adstringuntur alendos, vestiendos, domo excipiendos et aegrotos curandos.

Sol.—Respondet Prümmer: «Tenentur parentes filiis subministrare haec omnia usque ad illud tempus quo ipsi necessaria providere possunt; immo etiam toto tempore vitae, si filii versantur in gravi necessitate. Sin autem filii ex propria perversitate victum acquirere non valent, parentes tenentur quidem subministrare ea quae prorsus sunt necessaria ad vitam, sed non alia. Hinc e. gr. si filius dissipavit totam hereditatem iam acceptam, nihilominus pater tenetur eum alere et debita forsitan pro alimentis emendis contracta solvere; minime autem tenetur alia debita solvere aut filio prodigo aliquid aliud praestare ac stricte necessaria ad vitam» 2.

473 C. IV.—Melania, vidua, duos habet filios; unum valde diligit, alterum vix videre potest, hunc enim ipsa non lactavit. Quamvis iste sit bonae indolis et non communis ingenii, mater erga eum naturalem experitur antipathiam, quam, ut ipsa ait, vincere non potest. Unde est quod constanter eum verbis reprehendat, iniuriis atque etiam verberibus afficiat.

Sol.—«Dubium esse non potest quin Melania, ea agendi ratione peccet et peccet graviter contra pietatem. In correctione enim et castigatione sui filii graviter moderationem excedit, et in eis nullo ducitur honesto motivo boni erga filium, sed ex naturali et inordinata passione; quam utique vincere forte non potest, quatenus eam non

1 Merkelbach, l. c., n. 828.

2 Prümmer, l. c., n. 588.

possit in se extinguere; sed vincere certe potest, quatenus non agat secundum eam, sed secundum rectam rationem. Tam pertinax Melaniae agendi ratio grave tandem damnum suo filio inferre potest. Vos *patres*, ait Apost., *nolite ad iracundiam provocare filios vestros*. Ad Eph. 6, 4. Immoderata castigatio filiis multum nocet. Eos reddit morosos, stupidos, pusillanimes, et quandoque desperatione affectos. Pro amore parentibus debito, contemptum et odium parere solet. Sic Bucceroni '.

C. V.—Kilianus, numerosae prolis pater, exiguo cibo 474 vestituque vix sufficienti uxori et filiis aegre concesso, quidquid labore acquirit, ocius inter pocula cum aliis bibulis dilapidat. Uxori vero adhortanti et lacrimis efflagitanti ut maiorem curam filiorum suscipiat, ait: Nudus ego ingressus mundum, nudus inde egrediar; a parentibus nihil obtinui, sed labore et industria quaesivi unde me sustentarem; filii exemplum patris sequantur et sibimetipsis provideant.

Sol.—Respondet Ferreres: «Kilianus graviter contra pietatem peccavit, nec inde excusari potest quod nudus mundum ingressus fuerit, nihil a parentibus acceperit; etenim attendendum non est ad id quod parentes Kiliani fecerint, sed ad id quod facere debuissent, si potuissent, et quod et ipse paterfamilias, de hire naturae, praestare debuerit» 2.

C. VI.—Utrum parentes possint aliquando exheredare 475 filios?

Sol.—Ad hoc dubium Fanfani: «Affirmative, ob iustam tamen causam quae talem poenam mereatur. Id constat: a) *ex iure naturali*: aequum enim est ut parentes possint filios graviter delinquentes tali poena plecte-

» Bucceroni, *Casus Conse.*, I, 55/1, ed. 1913.

2 Ferreres, *Casus Conse.*, I, 418, ed. 1926.

re et eiusdem poenae timore in proprio officio continere;
 b) praeterea constat iure positivo, prouti patet ex iure Romano et etiam ex Codicibus modernis, in quibus determinantur etiam casus iustae exheredationis ex parte parentum» \

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Optare mortem filiae deformis (I, 278); Filios mittens ad scholas neutras (II, 111 s.); Parentes tradentes filios scholis communistarum (II, 125 s.); Num mater teneatur periculosissimam subire operationem pro prole baptizanda (II, 283); Femina mortem cupiens filiorum (II, 286); Parentes, propter gravem offensam, filium non alloquentes et e domo eicientes (II, 300); Filios adolescentes secum ducens in publica theatra (II, 427).

XXXVIII. OBLIGATIONES PARENTUM NATURALIUM

Doctrina.

476 Ex iure canonico: «Legitimi sunt filii concepti aut nati ex matrimonio valido vel putativo, nisi parentibus ob sollemnem professionem religiosam vel susceptum ordinem sacrum prohibitus tempore conceptionis fuerit usus matrimonii antea contracti» (can. 1114); «Legitimi praesumuntur filii qui nati sunt saltem post sex menses a die celebrati matrimonii, vel intra decem menses a die dissolutae vitae coniugalis» (can. 1115, § 2). Sed et civiles codices fere eodem modo definiunt legitimitatem, aliis quamvis verbis **utantur**.

Omnes alii filii sunt vel praesumuntur illegitimi.

Qui quidem distinguuntur in naturales et spurios;

1 Fanfani, *Th. Mor.*, III, 266.

naturales sunt nati ex parentibus inter quos tempore conceptionis, vel praegnationis, vel natiuitatis validum consistere potuit matrimonium (cf. can. 1116); ceteri sunt spurii, quorum alii adulterini—seu nati ex adulterio—, alii sacrilegi—seu ex uno vel utroque parente ligato voto castitatis, sive sollemni sive sollemnizato—, alii incestuosi—quorum parentes consanguinei vel affines sunt in linea collateralis—, alii nefarii—quorum parentes consanguinei vel affines sunt in linea recta—, ceteri, simpliciter spurii—puta si ex parentibus detentis impedimento aetatis, disparitatis cultus, etc. '.

Iura illegitimorum non sunt eadem atque legitimorum. 477
 «Promovetur hodie tendentia, tum matrem tum filios illegitimos equiparandi legitimis. In hac re dicendum videtur...: b) quoad natos illegitimos. Etiam familia a Deo socialiter ordinata est ita, ut infantes participant tum bonis tum detrimentis parentum sive temporalibus sive moralibus sive socialibus. Et sicut talis participatio in bonis utilis est, ut parentes quaerant sanitatem, bona temporalia, honores, ita illa participatio in detrimentis

1 Filii naturales legitimantur per subsequens parentum matrimonium sive verum sive putativum sive noviter contractum sive convalidatum, etiam non consummatum (can. 1116). Spurii vero legitimantur: I.» «Per dispensationem super impedimento dirimente concessam sive ex potestate ordinaria, sive ex potestate delegata per indultum generale, non vero per rescriptum in casibus particularibus... ; excepta (tamen) prole adulterina et sacrilega» (can. 1051); 2.^o Per rescriptum S. Sedis aut habentis potestatem legitimandi, prout data fuit cuidam Vicario Apostolico, quantum ad prolem natam ex parentibus detentis impedimento disparitatis cultus vel aetatis, dummodo non sit ex adulterio vel sacrilegio procedens (Sartori, *Enchiridion canonicum*, ad can. 1116); non enim sufficit ad prolem legitimandam quod tempore subsequentis matrimonii iam impedimentum pristinum cessaverit (AAS, 23 [1931], p. 25).— «Per professionem sollemnem in ordinibus religiosis aut per professionem simplicem in nonnullis institutis religiosis speciale privilegium habentibus, obtinetur eo ipso legitimatio filiorum tum naturalium tum spuriorum, sed pro suscipiendis ss. ordinibus tantum, non autem pro acceptandis dignitatibus» (Prümmer, *Th. Mor.*, III, 884, ed. 1928).

est stimulus perpetuus pro parentibus, ne noceant proli. Insuper filii illegitimi saepe patiuntur ex male refrenata concupiscentia parentum et ex defectu educationis familiaris. Ex altera parte, si filius illegitimus propria virtute expiat culpam parentum, occasio praebenda erit purgandi ignominiam parentum et obtinendi statum convenientem virtuti. Ideo Ecclesia, si reliquae dotes adsunt, facile dispensat ab irregularitate» \

478 Obligationes igitur parentum ad filios illegitimos non sunt eadem ac erga legitimos.

Ex iure naturali ambo parentes, in solidum, tenentur ad alendam et educandam prolem illegitimam—nisi mater vi fuerit oppressa, quia tunc onus sustentationis et educationis pater portare debet—: ei etenim dederunt initium. Urget haec obligatio quandiu filius non potest sua industria sustentari. Codices civiles interdum patrem obligant ut proli tribuat convenientem sustentationem usque ad annum decimumsextum; interdum, ne illicitis commerciis faveant, patrem ad nihil obligant; quem nonnulli codices vel inquirere vetant. Educatio oportet sit ad condicionem personae, quam a matre proles sortitur.

Ideo, per se, non licet, quandiu parentes valent congruam sustentationem praebere proli, hanc in hospicio seu brephotrophio collocare. Possunt tamen per accidens, cum prolis illegitimitas est ex occulto crimine, ut vitetur videlicet infamia 2.

Casus primus.

479 Berta, nobili genere orta et a marito perfidiose derelicta, in laqueum lascivi amoris misere incidit, atque pro-

» Noldin, *Th. Mor.*, II, 297/4, ed. 1932.

3 Cum tanto enim dedecore eos per se alere non tenentur et sufficit curare ut debite nutriantur (*Salmanticenses Mor.*, tr. 24, de quarto Dec. praecepto, n. 36).

lem ex turpi consuetudine cum Mario concepit. Re cognita, eiusdem frater, ad familiae famam tuendam, curavit ut in remota regione occulte pareret atque a Berta exegit ut natum puerum publici hospitii curae relinqueret.

Peccatum re vera occultum servatum est, atque potuit Berta, decursu temporis, marito reconciliari. At nunc acri scrupulo angitur, et a confessario quaerit num aliqua obligatione erga prolem adulterinam teneatur. Ipsum insuper sciscitatur an debeat Mario qui puerum adfiliare desiderat necessarias suppeditare notitias quibus valeat illum invenire: timet enim ne maternitatem quoque postea puer, ob patris inconsiderantiam, agnoscat, atque ita suum crimen reveletur.

Quid confessarius respondere debet?

Solutio

Quoad prolis commissionem hospicio, nihil mali. Ut ait etenim Merkelbach, «si possibile sit prolem adulterinam in hospicio vel brephotrophio educare quin suspensiones oriantur, curandum est ut ita fiat»¹. Restitutio hospicio non gravat fratrem Bertae, quippe qui rationabiliter cogit adulteram ad hanc agendi rationem, cui propterea infantes pauperes, quibus hospitium forte destinatum erat, nequeunt esse rationabiliter inviti. Neque gravat Bertam, quae irrationabiliter invita diceretur morem fratri non gerens. 486

Sed Marius vult puerum adfiliare, nempe per agnitionem, de qua Codex civ. italus: «I figli adulterini possono essere riconosciuti dal genitore che al tempo del concepimento non era unito in matrimonio» (art. 252). Porro, per se loquendo, huic voto Marii Berta nequit obstere, cum in eodem codice habeamus: «Il riconoscimen-

¹ Merkelbach, *Th. Mor.*, II, 388, ed. 3.

to non ha effetto che riguardo a quello dei genitori da cui fu fatto. L'atto di riconoscimento di uno dei genitori non può contenere indicazioni relative all'altro genitore. Queste indicazioni, qualora siano fatte, sono senza effetto. Il pubblico ufficiale che le riceve e l'ufficiale dello stato civile che le riproduce sui registri dello stato civile sono puniti con l'amenda da lire 500 a lire 2000. Le indicazioni devono essere cancellate» (art. 258).

481 Attamen in casu Berta timet ne Marius indicet filio nomen matris «atque ita suum (Bertae scilicet) crimen reveletur». Et si quidem ageretur de revelatione soli proli spuriae, non adesset tacendi sufficiens ratio; sed neque ubi ageretur de infamia dumtaxat apud aliquos, qui anteactae vitae iam habebant indicia. Verum si revelatio agitur quae ad aures pertingeret mariti, a quo propterea Berta—etsi prius perfidiose derelicta—iterum separari deberet aut pati gravia incommoda, tunc non tenetur indicationes dare.

Excusata tamen, v. gr. ob infamiae periculum, ab indicationibus *nunc* suppeditandis, Berta non excusatur ne res ita disponat ut cessante periculo, puta post eius mortem, Mario notitiae huiusmodi procurentur—quem in finem potest ipsa fratri commendare ut has notitias Mario communicet, qui saltem in testamento filium agnoscat. At si post mortem quoque matris esset periculum infamiae pro Bertae nobili familia, ab his etiam indicationibus abstinendum foret.

Et quamvis Berta, agnitionem filii sacrificans proprio et familiae commodo, teneatur ex gratitudine sacrificium hoc compensare, v. gr. ei dans quod a marito recipit pro eleemosynis vel quae a marito impetrat pro consanguineo paupere, non puto exaggerandam esse compensationem huiuscemodi, quoniam filius, quantumvis agnitus, licet iura obtineat ad hereditatem, etc., non

ωι

M

i*

)

^

..

vi†

liberatur originali macula, ex defectu natalium; maxime si noverit se filium adulterinum, quem vel educatio in brephotrophio suspectum reddit de filiatione naturali.

Alii casus.

C. II.—Centolla, coniugata, rem habuit cum Berardo et Egberto. Prole concepta atque mariti expensis nutrita et educata, Egbertus dubitans num proles sit sua aut alterius confessarium sciscitatur an teneatur ad restitutionem illarum expensarum. 482

Sol.—Respondet Fanfani: «Cum distinctione: *a)* si dubitat an (proles) sit sua vel veri mariti, negative, saltem probabilius: quia praesumptio in casu stat pro matrimonio in favorem prolis; aliunde nemo tenetur ad reparationem damni, nisi certo constet ipsum damni causam fuisse, *b)* si vero dubium est inter duos adulteros, tunc aut isti ex communi consilio (quod raro accidit) adulterium commiserunt, et ambo tenerentur in casu ad reparationem in solidum et pro rata parte, cum ambo fuerint causa efficax et formalis totius damni; aut unus omnino independentis ab alio adulterium patravit, nec cogitando de incertitudine prolis, et tunc probabilius neuter tenetur ad restitutionem, cum nullus teneatur ad reparandum damnum nisi certo constet se fuisse causam efficacem et formalem damni; aut tandem secundus adulter advertit, saltem in confuso, se sua actione causam fore cur dignosci amplius nequeat cuius sit proles, et tunc certo tenetur, et ipse solus, ad damnum ex illa incertitudine ortum reparandum, cum ipse fuit causa efficax et formalis illius incertitudinis, ac proinde totius damni» ‘.

i Fanfani, *Th. Mor.*, II, 322.

483 *C. III.*—Calliopa cum multum diligat filium quem habet spurium anxia petit a confessario quid ei valeat ipsa met paterve largiri.

Sol.—Parentes qui filios suos spurios non agnoverunt aut legitimarunt prohibentur civili lege ne, praeterquam alimenta, aliquid eis largiantur per testamentum, ab intestato, per contractum. Nonnulli tamen codices conferunt illegitimo condicionem cum legitimis parem quoad ius ad hereditatem maternam. Semper attamen mater potest spurio id tradere quod ad propriam condicionem erogare potest in eleemosynas et quae impetraret a marito pro consanguineo paupere. Semel autem agniti vel légitimât! obtinent spurii iura quae codicibus signantur nationalibus.

484 *C. IV.*—Num parentes qui non sunt pauperes teneantur restitutionem facere hospicio pro sustentatione et educatione illegitimi quem ibi collocarunt.

Sol.—Iam Salmanticenses¹ aestimarunt probabilem sententiam negativam, quod huiusmodi hospitia non tantum in favorem parentum pauperum erecta sint, sed in gratiam quoque, forsan maxime, parvulorum illegitimorum. Moderni distinguunt inter hospitia quae aluntur privata caritate aut civitatis potius expensis; non imponunt restitutionem dum de illis agitur; imponunt attamen si de his, casu tamen excepto quo lex civilis inquisitionem patris vetaret.

485 *C. V.*—Si testator, vivente prima uxore, novum matrimonium civile inivit, possuntne filii, ex hoc concubinato adulterino nati, partem legitimam, ipsis sicut et filiis legitimis assignatam, accipere; vel, si nihil assignatum fuit, partem legitimam repetere?

Sol.—«Respondemus: ad Ium, affirmative, quia ad

¹ Salmanticenses Mor.. tr 13. de restitutione, c. 3, n. 29.

tramitem iuris positivi haec pars ipsis relicta est; nec obstat ius naturae, quia testator, ita omnia disponendo, ius strictum filiorum legitimorum non laesit; ad 2um vero, negative, si nempe in testamento clare exprimitur ultima defuncti voluntas. Ratio huius: filii ex primo matrimonio nati, in casu, immediate post mortem testatoris strictum dominium partis ipsis assignatae obtinuerunt. Praeterea, est contra pietatem expressam patris voluntatem impugnare. Lex civilis utique secundum matrimonium in paris iuris condicionem atque primum recipit, sed ipsa filiis illegitimis in casu favere non potest, cum sit evidenter iniqua. Tandem addimus: si in testamento exprimitur, etc.; in dubio enim de testatoris voluntate, impugnatio licite fieri posset. Similiter, si defunctus testamentum non confecit: tunc enim censetur voluisse ut omnia ad normam iuris positivi distribuantur». Ita Mare \

XXXIX. VINDICATIO

Doctrina.

Vindicta nominat ultionem damni illati per remedium 486 poenale seu punitionem damnificatoris. Prout est nobis siquidem inclinatio prorsus innata ad conservationem et perfectionem nostram, sic et naturaliter inclinamur contra illos qui huic conservationi et perfectioni obstant, ut ab his videlicet habeamus compensationem damni illati et eos ab ulteriori damno inferendo terreamus. Hanc inclinationem naturalem virtus vindicationis perficit, hominem disponens ad iniuriam illatam ulciscendam, «non intentione nocendi, sed intentione removendi impedimenta» 2. Quoniam ultio est ad alterum et quidem ad iniuriae

J. Marc, *Inst. Mor.*, I, 1083, ed. 1927.

1 S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 108, 2.

illatae mensuram, vindicatio per ultionem aequam est pars iustitiae. Quia tamen ulcisci non tenemur, illa saltem obligatione quam alius urgere valeat coram lege, vindicatio deficit a debiti ratione et ideo iustitiae ponitur potentialis dumtaxat pars.

Porro si vindicatio disponit hominem ut vindictam aequam sibi velit, hanc immo inchoet per recursum ad legitimam auctoritatem, non ideo ut eam consummet seu perficiat. Vindictae perfectio seu consummatio coactivam potestatem exigit in auctore, propter condicionem materiae reddendae, mali poenae scilicet. Et si quidem pater, qui domesticae praest sive imperfectae societati, habet potestatem subditos coercendi poenis levioribus¹, solus princeps civitatis, quae est perfecta communitas, plena potestate coercitiva gaudet ut poenas in delinquentem ponat, graviores quoque immo et irreparabiles, v. gr. carceris, mutilationis, occisionis. Hinc non licet privatis hominem, quantumvis mortis reum, directe occidere, mutilare, graviter percutere. Qui absque principis auctoritate sic alium punit, is non modo contra iustitiam legalem peccat—usurpans jurisdictionem quam leges principi reservarunt—, sed contra iustitiam commutativam insuper, cogens alterum ad sustinendam poenam quam unus princeps poterat ei infligere.

487 Practice, quoniam per recursum ad tribunalia facile indulget homo et nimis sibiipsi et non satis proximo—cuius persaepe malum optat sub ratione mali—, vindicatio pro iniuria personali non est continuo apud iudicem appetenda. Pluries insuper ne appetatur suadet scandalum quod sequitur. De reliquo iniuriam propriam potest persona condonare offensa, utpote cui et licet no-

¹ <Si agitur de punctionibus minoribus, licentia legitimi superioris merito praesumi potest, ut etiam homo privatus valeat vindictam licitam sumere. Sic e. gr. non videtur illicitum dare levem alapam puero, qui aliquod nocumentum intulit> (Prümmer, *Th. Mor.*, II, 610, ed. 1928).

cumentum pati ut proximo sive indigenti misericorditer subveniat, sive non indigenti donum largiatur gratis (148). «Unde vindicatio solet vocari *parva virtus*, et consulitur potius delicta proximi remittere quam punire; nisi tamen caritas Dei aut proximi vel bonum publicum reparationem iniuriae exigant»

Casus primus.

Beatrix, puella nubilis, narrat fratribus se a Cerbonio 488 fuisse stupratam. Consilio inito de vindicta, fratres quaerunt Cerbonium, inventum autem tam graviter percutiunt ut per mensem lecto detineatur.

Quaeritur: num fratres Beatricis teneantur compensare percussioneis damna.

Solutio

Ne videamur difficultatem fugere, supponimus: *a)* agi 489 revera de vindicta, non de defensione contra aggressionem quamlibet iniustam—aggressio namque de qua sermo iam est consummata; de imminente forsitan aliis puellis nihil prorsus in casu—; *b)* Beatricem plene dignam fide dum narrat fratribus stuprum—quo magis etenim dubia offensa, eo et magis obvia iniustitia—; *c)* vindictam de qua loquimur Beatricem fratribus commisisse, sive expresse—eos rogans de vindicta—sive tacite—eis significans vindictam acceptam sibi fore—, facilius enim intellegitur fratres peccasse contra iustitiam commutativam atque restitutioni propterea adstringi si ipsi agerent proprio Marte.

Ne tamen difficultates absque causa multiplicemus,

i Prümmer, l. c.

supponimus quoque Beatricem atque Cerbonium unius esse socialis condicionis.

490 Solutionis haec sunt principia:

Stuprator, praeterquam tenetur solus de expensis pro alenda prole (si forsan nascitur), tenetur de damnis illatis feminae; de damno personali (iniuria, defloratione, etc.), plurimum opinione; omnium autem sententia, de damnis realibus—quae non sunt semper eadem, sequitur tamen omne stuprum damnum hoc commune, scilicet quod defloratae feminae nuptiae reddantur impossibiles, minimum difficiliores—. Saltem haec damna realia stuprator compensare tenetur ante sententiam iudicis; quoad postremum quidem optima compensatio fit accipiendo feminam in uxorem, sed nec femina huic generi compensationis tenetur consentire, nec stuprator hanc cogitur compensationem facere si potest aliam; aequa namque compensatio fit media dote, qua restituitur feminae corruptae nubendi copia.

Damnorum compensationem aequam valet urgere femina tam per se quam per fratres, etiam sub comminatione deferendi stupratorem ad indices civiles.

491 His praemissis, responsio ad quaesitum danda est affirmativa. Fratres etenim contra iustitiam commutativam peccaverunt.

Graviter ergo percutientes tenentur ut compensent percussionis damna; damna quidem realia, iuxta omnes, qualia sunt expensae curationis, lucrum cessans, damnum emergens; damnum insuper personale, iuxta plures, id est dolores corporales, iniuriam, etc. Haec damna compensare tenentur omnes qui vindictam sunt exsecuti; prae illis attamen iubens sive mandans. Si mandans dispensetur a compensatione debita facienda, exsecutores quoque dispensantur; non tamen dispensatur mandans quando exsecutores dispensantur (cf. 82).

In causis a restitutione excusantibus condonationem novimus atque compensationem (75). Condonat restitutionem sibi debitam v. gr. stuprator qui, post iniustam percussione[m] acceptam, aut nubit feminam stupratam—quam ideo sibi vinculat in matrimonium—aut renuit damna compensare ab ipsomet illata—nequit enim rationabiliter exigere ut ab ea cui ipse nondum compensavit damnum gravius et prius compensetur sibi damnum posterius minus grave. Sibi compensat v. gr. stuprator qui solvens damna stupri deduceret percussione[m] damna.

Alii casus.

C. II.—Martialis et Hector, milites immo et duces, nescio qua de causa, litem inter se movent et verbis asperis contendunt. Verum post verba ventum est ad verbera. Hector, sui impotens, coram pluribus viris conspicuis, insignem alapam sodali suo inflixit; Martialis pari cum dexteritate argumentum retorsit. Crescebat procella, cum ab aliis mediatoribus duo certantes alius ab alio fuere avulsi. 492

Sol.—Plures censent Martialem, alapam retorquendo, peccasse graviter, nam reperiens et vindictam sumit et honorem non reparat ablatum—sed novum eumque falsum honorem obtinet—et provocat ad peiora, vulnerationem, caedem, saltem odia. Aliis videtur, ex epikeia, Martialem loco iudicis poenam illam infligere potuisse sodali absque peccato. In his Fanfani: «Si quis, in honore aut fama laesus, statim suum honorem recuperare conetur reperiens e. g. qui eum ignominiose percussit; vel ei qui probroso nomine aliquem appellavit, puta *vigliacco*, simile nomen reddit, non videtur statim reprehendus de peccato. Certo non peccat contra iustitiam;

1 Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I, 571, ed. 1939.

maxime si per iudicem sine molestia, ut ordinarie his in casibus accidit, suum honorem recuperare non posset»^{*}

493 C. III.—In proprio quidem fundo Authbertus foveam fodit ea tamen atque sola intentione ut inimicus, quem novit transiturum, cadens crus frangat. Teneturne, post eventum, ad damnum compensandum?

Sol.—Affirmative, quoniam non agitur sui defensio verum vindicta. Porro, etsi non teneamur ex iustitia positive impedire damnum inimici, tenemur attamen ex iustitia inimicum non damnificare; atqui qui foveam fodit ut crus sibi frangat inimicus, per locum transiturus hucusque tutum et ideo sine periculi suspitione, exstat positiva causa lapsus sive fractionis cruris; ergo. Unde Prümmer, loquens de caupone propinante vinum ebrioso, praevidens hunc in ebrietate passurum damnum grave, dicit: «Si caupo directe intendit hoc damnum ideoque propinat vinum ut homo in ebrietate constitutus illud damnum patiat, tunc revera iniuste agit eiusque actio est causa per se (saltem instrumentalis) damni, ac proinde debet damnum causatum resarcire»².

494 C. IV.—Populari facta commotione in magna quadam

¹ Fanfani, *Th. Mor.*, II, 231,—«Neque ex incommodis huius sententiae recte argui censemus ad eius improbabilitatem. Incommoda enim illa tanta non sunt, modo percipiendi omnino moderate se gerat; immo e recursu ad iudicem saepe graviora odia et dissensiones manabunt, ob maius offensoris damnum, quam ex alapa confestim reddita» (Genicot, *Casus Conse.*, 151, ed. 1928).

² Prümmer, l. c., n. 95.—Nonnulli Auctores videntur contrarium dicere, sed loquuntur, non de inimico seu de vindicta, verum de latrone seu defensione; sic Marc (*Inst. Mor.*, I, 949, ed. 1927), qui tamen exigit «modo tamen aliqua sufficiens pro publico non desit monitio et in adhibendis mediis (iustae defensionis, ut suppono) moderamen servetur». Merkelbach (*Th. Mor.*, II, 292, ed. 3) loquens de causa per accidens, dat exemplum; «qui veneno inficit poculum sed illud ponit in loco remotissimo ad quem inimicus non solet accedere, optans tamen ut bibat»; ergo si solet accedere vel est certo accessurus, nequit dici causa per accidens.

civitate, Princeps expellitur et anarchia per plures hebdomadas proclamatur. Interim latrones et viarum grassatores impune furta, rapinas et homicidia committunt. Carolus, vir potens et honestus, existimans delicta debere puniri ad honestos cives tutandos, publica deficiente auctoritate, ipse sibi hoc munus assumit. Hinc cum audit vel furta et rapinas vel homicidia ab aliquo commissa, reputans nullam aliam poenam in praesenti esse possibilem et efficacem nisi poenam mortis, noctu ipse cum suis famulis latrones et homicidas occidit.

Sol.—Ad hunc casum Bucceroni: «Carolus omnino male agit. Nullam enim ipse habet potestatem exercendi publicam delictorum vindictam, cum nullam habeat in civili societate auctoritatem. Cives autem ad se tutandos bene uti possunt, si eos latrones et homicidae aggrediantur, naturali defensionis iure, vim vi repellendo cum moderamine inculpatae tutelae» \

c. V.—Catholici huius dioeceseos sunt inexorabiles 495 quoad vindictam, nemo cum adsit in regione qui ius administret. Ideo quaeritur: 1.º Utrum, si aliud medium non adest vindicandi iniurias, Christiani se habere valeant hac in re ac si essent in statu naturali. 2.º Utrum sint sacramentorum capaces quandiu perstant in vindictae appetitu. Ratio ab ipsis allata pro necessitate in qua inveniuntur sese vindicandi est quod homicida eiusque fautores ferociosiores et intolerabiliores fient ad familiares interempti et patrabunt ulteriora homicidia si isti non resistant opposcentes vim violentiae.

Sol.—Huic quaesito respondit (21 maii 1759) S. Congr. de Propaganda Fide: «Negative ad utramque partem» 1

Huc e superioribus voluminibus Casus accedat: Inimicum deferens ad iudicem ut puniatur (II, 301).

1 Bucceroni, *Casus Conse.*, I, 60/3. ed. 1913.

- *Collectanea S. Congr. de Prop. Fide*, n. 419, ed. 1907.

XL. MENDACIUM

Doctrina.

496 Signis utimur ad alios: in veracitate quidem ut mens nostra proximis innotescat—quid sentimus de nobis, de ceteris hominibus aut rebus—; in mendacio, contra, ut proximus decipiatur circa mentem nostram. Ideo utimur ibi signis quae respondent menti; hic ex adverso signis inadaequatis menti.

Si haec signa quibus utimur sint verba, habemus mendacium prout a simulatione distinctum; simulationem vero si sint facta.

Mendacium propterea, quatenus ingreditur provinciam morum, dicit inadaequationem signi volitam, signa deceptiva voluntarie usurpata, enuntiationem intentionaliter falsam.

497 «Ante Augustinum, Patres mendacium ut Christianae veracitati contrarium modo generali reprobarunt; pauci tamen, ut Clem. Alex., Origenes, S. Chrysostomus et S. Hilarius docuerant in casu necessitatis, ad maximum damnum avertendum, licite uti mendacio quemadmodum medicamento; et hoc sensu intellegebant quaedam facta in utroque Testamento relata. Hac de re interrogatus, S. Augustinus suam doctrinam exposuit in duplici opere, *De Mendacio* (circa annum 365) et *Contra Mendacium* (circa an. 420); in utroque aperte docet—non quidem ut doctrinam catholicam, sed ut opinionem cui firmiter adhaeret—omne mendacium esse peccatum, nec umquam mentiendum esse» x. Haec doctrina facta est communis inter theologos catholicos. «S. Augustino adhaerentes doctores scholastici tam Thomistae quam Scotistae, uno

» Tanqueray, *Th. Mor.*, III, 372, ed. 1931.

fere ore mendacium absolute damnant. In quam severitatem auctores e Societate Iesu postea quoque concesserunt»¹.

Talis quoque videtur omnium hominum sensus: ut enim Vitoria animadvertit: «Si aliter non probaretur quam ex sententia omnium gentium dicentium quod mentiri est peccatum, certe esset sufficiens probatio. Numquam aliquis laudatus est propter mendacium. Bene de intentione laudatur volendo prodesse alteri, non tamen de mendacio ipso»².

Ratio accedit: locutio enim intentionaliter falsa est⁴⁹⁸ actus malus ex obiecto; verba sunt etenim signa quaedam eaque naturalia intellectus; eis ergo contra naturalem ordinem abutitur qui intentionaliter loquitur contra mentem.

Quapropter reicenda est Grotii et Pufendorffii theoria de malitia mendacii, quo violatur alienum ius aut damnum infertur alteri, simul ac de liceitate falsiloquii, quo nec laeditur ius proximi nec alteri infertur nocumentum.

In quantum oppositum virtuti veracitatis mendacium est peccatum dumtaxat veniale; potest esse mortale si simul opponitur alteri virtuti—ut cum agitur mendacium perniciosum—aut ex fine mentientis—v. gr. si quis utitur mendacio iocoso ad obtinendum consensum fornicarium—aut ex alia pariter circumstantia—v. gr. si ex officioso episcopi mendacio magnum scandalum fidelium oriretur.

Casus primus.

Eulalia obstetrix, quaesita ab aliqua puella, Aristeia⁴⁹⁹ nomine, quae, stupro a teneris annis oppressa, virginita-

¹ Vermeersch, *De mendacio*, in *Grecjorianum*, 1 (1920). p. 26.

² Vitoria, in *II-II*, q. 110, a. 3. n. 2, ed. Beltran de Heredia.

tern perdiderat, quomodo possit amissae virginitatis statum futuro sponso abscondere, lacrimis eiusdem puellae mota, consilium dat ut operatione quadam plastica amissam virginitatem occultet et nomen medici suggerit, qui ab huiusmodi operationibus non abhorret.

Postea tamen dubitat quin illicitum consilium praestiterit, attento praesertim dolo contra virum adhibito, qui, uti ipsa Aristeia dixerat, virginitatem futurae sponsae adeo faciebat ut non virginem ducturus fuisset numquam. Ad parochum proinde perguit et expostulat utrum consilium revocare debeat, an sponsum admonere.

Quid parocho dicendum?

Solutio

500 Si quidem femina quae carnis integritatem petit reparandam, id peteret ad finem pravum, utputa ad decipiendum, tunc peccaret sane cum intendat mendacium. Ergo quoties medico constat de prava feminae intentione, is profecto nequit deceptioni, vel etiam iniustitiae, cooperari. Nec ullus alius, conscius propositi, cooperari potest approbatione vel consilio.

At valet femina virginitatem petere reficiendam ad finem non moraliter malum, ad occultandam tantum sui corruptionem. Sic qui caret naturali oculo utitur saepe v'treo; non ad decipiendum, sed ad occultandum defectum proprium. Tunc quaestio vertitur: habetne femina corrupta ius suam corruptionem occultandi?

501 Omnium sententia, imprimis, ubi sponsus virginitatem materialem apponeret condicionem sine qua non consentit matrimonio—accipio te in uxorem dummodo virgo sis—, femina teneretur aut corruptionem manifestare—cuius igitur occultatio illicita—aut nuptiis cum tali sponso valedicere. Nam agitur defectus qui matrimonium illud redderet invalidum.

Item, communi auctorum placito, si inde ex defloratione (libera aut violenta) femina prolem habet, defloratio est manifestanda aut nuptiis valedicendum: in casu namque proles damnosum aut notabiliter difficilius reddet sponso matrimonium.

Ubi proles autem non subsecuta sit deflorationem, quidem distinguunt inter fornicationem—deflorationem liberam—et stuprum—deflorationem violentam—, et feminae in hoc altero casu licentiam tribuunt ut operatione chirurgica suum occultet defectum, quam attamen in primo casu prorsus denegant

Oportet igitur in mentem revocare principia moralis classicis familiaria.'

Salmanticenses¹ permittunt feminae ut occultet verbis aequivocis corruptionem sponso qui corruptione cognita non contraheret. «Et ratio est (inquiunt) quia nemo tenetur defectus suos proclamare et se infamare, quando alteri iniustitiam non facit». Casum attamen excipiunt quo femina timeat ne eius corruptio veniat postmodum in notitiam viri indeque «malus exitus futurus sit matrimonii, aut male a viro tractandam, aut rixas et contentiones inter illos futuras, quia tunc ex lege caritatis erga se tenetur sibi haec damna praecavere».

S. Alphonsus³ vero nec casum hunc exceptit, ideo quod «caritas non videtur obligare cum tanto incommodo, nimirum vel se infamandi vel remanendi semper inupta»; potest igitur femina sibi eligere vitam matrimonialem duram potius quam vitam celibem⁴.

1 Sic Scremin, cit. in Roberti, *Dizionario di Teologia Morale*, v. Gynecologia, p. 566.

2 Salmanticenses Mor., tr 9, de matrimonio, c. 2, n. 97 sq.

3 S. Alphonsus, *Th. Mor.*, VI, 865, ed. Gaudé.

4 Benigniori huic sententiae subscribunt quoque Pani, in *Palestra del Clero*, 1953, pp. 395-7; Mancini, ibidem. 1955, p. 1155 sq. atque 1956, p. 390 s., et cl. Palazzini, in Palazzini-De Iorio, *Casus Conse.*, II. 352.

503 Porro si licet feminae corruptionem occultare verbis, ei a fortiori licet ipsam tegere factis: facta namque prae verbis aequivocationem admittunt

Cum agatur igitur de puella quae a teneris annis virginitatem amiserat stupro quaeque operatione plastica vult corruptionem suam futuro sponso abscondere, obstetrix, horum conscia, potuit licite consilio cooperari atque puellae suggerere nomen medici qui operationem huiusmodi perficiat¹³ Puellam tamen admonere oportuit de operationis inutilitate in casu quo sponsus virginitatem materialem apponat condicionem sine qua non consentit matrimonio: tunc enim ei adest obligatio aut deflorationem revelandi aut nuptiis cum eo valedicendi.

504 Quare ergo dubitat Eulalia nostra de liceitate consilii praestiti Aristeae? Quoniam recogitans quod, verbis Aristeae, sponsus tanti faciebat integritatem carnis ut non virginem ducturus fuisset numquam, putat nunc puellam adhibere dolum in virum. Sed ideo quod sponsus adeo abhorret corruptam, non apponit virginitatem condicionem sine qua non consentit matrimonio: si sciret

¹ «Aliter sunt signa verba et aliter signa facta, quia ex maiori parte verba sunt univoca, quia non sunt imposita ad plures significationes, nisi verba sint aequivoca, ut aliquando sunt. Sed facta exteriora de se non sunt imposita ad significandum, et ideo illa de se non sunt signa univoca, sed pro maiori parte sunt aequivoca... Liceret uti vestem infidelium ut decipiam infideles, ne noceant in transitu... Sed verbis dicere se infidelem, nullo modo licet» (VITORIA, l. c., III, 1, n. 2).

³ Unum est quod mihi videtur male sonans in Eulaliae verbis, quod scilicet nomen suggerit medici «qui ab huiusmodi operationibus non abhorret»; videtur ergo puellam mittere ad medicum paratum operationem facere in quibuscumque adiunctis, agatur videlicet operatio ad occultandum aut operatio ad decipiendum; qui igitur operationem exsequeretur incuriosus de intentione petentis, et ideo paratus cooperari pravae quoque intentioni. Si res ita se habet, debuit Eulalia puellam mittere ad medicum honestum, qui operationem nempe perficiet si conscius sit de intentione recta. Si tamen medicus huius generis irreperibilis sit aut imperitus, tunc licite fecit puellae nomen illius medici, prout licite daremus quaerenti mutuum nomen avari, qui solus praestationem, quantumcumque sub usura, concedet.

n

bl

I**

;

t

U

I
iw

Vi

quidem corruptam, non nuberet hanc puellam; eam attamen nubet, quam virginem existimat—aliis verbis, si suspicaretur corruptionem, condicionem apponeret; hanc tamen, de facto, non apponit, quoniam corruptionem non suspicatur.

Non debet igitur Eulalia revocare consilium datum vel admonere sponsum Aristeae. Teneretur forsitan Aristeam ipsam praemonere de infelici matrimonii exitu, si quando sponsus veniat post in stupri notitiam, ut perpendat illa quid eligat, an nuptiis valedicere aut nubere potius cum pacis domesticae discrimine. Sed, quoniam oppressa vi, idque a teneris annis, discrimen huiusmodi non est, mea quidem sententia, exaggerandum.

Alii casus.

C. II.—Castorius reicit argumentum allatum ex communi hominum sensu, nam de facto, inquit, non vituperamus homines qui mendacium officiosum proferunt ut se vel alios salvent ab imminente damno gravi. 505

Sol.—Iam D. Thomas observaverat: «Dicit (Philosophus) quod in quibusdam operationibus propter metum factis non meretur aliquis laudem, sed solum veniam, ut, supple *aliquis* inde non multum vituperetur, quod scilicet operatur quaedam quae non oportet, non aliqua puta decentia ad statum suum, cum tamen non sint multum gravia, propter timorem aliorum malorum, quorum sustinentia excedit humanam naturam, et quae nullus posset sustinere, praecipue propter hanc causam, puta si alicui immineret sustinere ignis adustionem nisi diceret aliquid iocosum mendacium. Vel nisi aliqua vilia et abiecta opera faceret quae non decerent eius dignitatem»¹.

¹ S. Thomas, in 3 *Ethic.*, lect. 2. n. 394. ed. Pirotta

506 C. III.— Celerina materfamilias se in confessione accusat de mendacio quod cogebatur dicere ut filios liberaret a patris iracundia.

Sol.— In quibusdam casibus, repentinis praecipue, possunt putare simplices mendacium esse sibi dicendum, aut quod existimant mendacium licitum in adiunctis, aut quod inveniuntur in casu, ut dicitur, perplexo, sic quod credant se peccare si mentiuntur atque si non mentiuntur, gravius attamen nisi mentiantur. Porro in casibus repentinis ipsa mentis turbatio valet impedire ne malitia mendacii appareat. In casu autem perplexo haec regula a moralistis traditur; eligat quisque quod sibi videtur minus malum. Sic possumus admittere plura mendacia officiosa penes simplices non esse *subiective* peccata.

507 C. IV.— Hermenegildus, theologicarum rerum non ignarus, opponit Celerinam in casu praecedenti non modo subiective at obiective quoque a peccato esse immunem: nam minus malum est eligendum ut vitetur maius, sicut medicus praescindit membrum ne corrumpatur totum corpus; porro minus nocumentum in eo est quod pater familias decipiatur quam in eo quod vel hic puniat vel filii puniantur ex ira.

Sol.— Inter duo mala physica, minus certo eligendum: ideo medicus praescindit membrum ne corpus corrumpatur, ideoque arguens loquitur de nocumento consequenti deceptionem et nocumento consequenti iram. Sed hic agitur de malo morali: an nobis peccandum sit, ne proximus gravius peccet. «Mendacium non solum habet rationem peccati ex damno quod infert proximo, sed ex sua inordinatione. Non autem licet aliqua illicita inordinatione uti ad impediendum nocumenta et defectus aliorum; sicut non licet furari ad hoc quod homo eleemosynam faciat»

C. V.—Donata famula saepe conscientia angitur quod 508
ex praecepto dominae debeat negare visitantibus hanc
esse domi, quantumcumque adsit.

Sol.—Donata a confessario doceatur nullum ibi men-
dacium dici, nam cum visitantes interrogant de domina,
ad hoc unum interrogant ut ipsam alloquantur; ideoque,
si domina non vult eos recipere, vere non est domi, pro
ipsis scilicet admittendis. Talis est sensus verbi commu-
niter receptus.

C. VI.—Nicanor mercator nonnumquam negat se id 509
habere de quo emptores interrogant. Postea tamen scrupulis
agitatur, quod illud quidem habebat, quamvis ad
usum proprium.

Sol.—Nicanor mendacium timet ubi non est timen-
dum; nam emptores interrogant de merce, dicamus cal-
ceamentis, quam acquirere possint, non de re, utputa
calceamentis, qua mercator utitur; et in hoc uno sensu
responsionem interpretantur. Alias incideremus in infan-
tilem illum errorem quo puer missus a matre ut peteret
a lanione num huic essent pedes porcini, putavit ex re-
sponsione affirmativa pedes lanionis esse huiuscemodi.

*Huc e superioribus voluminibus Casus accedat: Ma-
ter familias igiiorans malitiam mendacii (I, 322).*

XLI. RESTRICTIO MENTALIS

Doctrina.

Homo tenetur saepe celare veritatem: advocatus ne- 510
quit vitium causae sui clientis revelare adversario, medi-
cus non debet infirmitatem occultam manifestare nisi ad
vitandum contagium; confessario nulla umquam occasio-

ne licet peccatum prodere cuius habuit in sacramentali foro notitiam. Interrogati igitur advocatus et medicus de iis quae ad secretum commissum attinent, et interrogatus confessarius de iis quae novit ex confessione, tenentur omnino omnes celare veritatem.

Et interdum quidem officio celandi veritatem silentio satis fit: qui enim tacet, nihil dicit. Interdum quoque sufficit respondere indiscreto inquisitori: Quid ad te? Nec raro attamen huius omnis generis media probabile tribuunt indicium veritatis quae celanda est: qui enim tacet, consentire videtur.

Homo igitur, in adiunctis, tenetur loqui et loquens occultare veritatem. Quo medio?

511 Qui mendacium non aestimant malum intrinsece seu ex natura sua, congrue eo devenerunt ut illud habeant licitum in casibus gravioribus: ipsa enim occisio aggressoris iniusti interdum licita in defensionem propriam.

Illi pariter qui mendacii malitiam repetunt ex uno iure quod proximis est ad veritatem (498), logice procedunt dum mendacium pronuntiant licitum in iis adiunctis ubi interrogans omni iure careat ad veritatem agnoscendam. Et quia proximus qui inquit ab avvocato aut medico secretum commissum, a confessario pariter sacramentale, nullum ius habet ad huiusmodi secretum cognoscendum, his liceret omnibus mendacio uti—si mavis, falsiloquio.

512 Binae huic attamen, eique faciliori, theoriae valedicentes (ibid.), recursum fecerunt, uti plurimum, moralistae ad sic dictas mentales restrictiones.

Restrictio mentalis, universaliter accepta, mentis subaudit actum quo quis intus restringit significationem verbi vel sententiae, reddens hoc pacto auditori obscurum, ambiguum seu non obvium, verum locutionis sensum.

>
*
*
)

Utens enim signo quod intellegi potest diversimode, loquens id usurpat in uno eoque vero; sed hunc sensum non prodit determinatum extra, qui propterea remanet auditori incertus sive dubius.

Recondita seu non obvia valet esse significatio data signo aut quia non est connaturalis signo secundum se, aut quia non est ei connaturalis in positis etiam adiunctis. In altero hoc casu nemo, quantumvis prudens, valet signi significationem attingere; in primo autem, circumstantiae elavem interpretationis praebant prudenti. Si ex adiunctis significatio tributa verbo non transcendit captum prudentis auditoris, restrictio nuncupatur late mentalis; quod si illius captum exsuperat, dicitur stricta seu pure mentalis restrictio.

Et restrictio quidem pure mentalis numquam est licita: est etenim mendacium, nam habent, ex sua natura, signa ut eorum medio signatum innotescat alteri, at signatum est nihil aut id in quod ducit vel ducere potest signum—verbum est signum pro auditoribus. 513

Restrictio vero late mentalis est quandoque licita: in casu etenim quo signum adhibetur cuius significatio non exsuperat captum prudentis auditoris, hic potest signo duci in intellectum re signatum et vere; scopulus ergo, si quis est, audientis una deceptio. Sed tunc habemus positionem actus de se non pravi cui effectus duplex: alius bonus, immediatus atque intentus, celare veritatem, alius malus, mediatu et permissus, deceptio audientis. Illum igitur actum valet quis ponere cui ius celandi veritatem favet et est ratio proportionate gravis ad permitendam deceptionem seu errorem proximi.

Casus primus.

514 Trudo, sacerdos, interrogatur a indice de crimine quod ex sola confessione novit. Adhibens mentalem restrictionem, Trudo respondet se nihil scire, nempe ut homo vel ut revelet. Sed iudex, non ignarus doctrinae theologorum circa mentalem restrictionem, Trudonem urget an cum dicit se nihil scire loquatur necne sine restrictione.

Solutio

515 Ad hunc casum Billuart: «Confessarium sive in iudicio sive extra interrogatum de crimine quod ex sola confessione novit, si aliter non possit evadere, posse dicere *se nescire*, quia, iuxta usum communiter receptum in his circumstantiis, *nescio* significat *nescio ut homo, nescio ut revelem*, et ita intellegunt aut intellegere debent qui interrogant. Si autem magis urgeatur et interrogetur utrum nesciat ullo modo, etiam ex confessione, debet respondere se, sive sciat, sive nesciat, nec posse nec debere respondere ad hanc impiam et sacrilegam interrogationem; sed non potest dicere *nescio*, quia tunc *ly nescio* non significat amplius ipsum nescire ut hominem, nec Ita potest intelligi ab interrogante, cum expresse sua interrogatione excludat hunc sensum; unde sic respondere foret restrictio pure mentalis et mendacium»¹.

Mitius tamen Salmanticenses: «In opinione satis communi... quoties licitum est uti aliqua aequivocatione, adhuc licet uti illa quando urget interrogans omnem excludendo aequivocationem. Ut si iudex interroget testem, sed non iusto ordine iuris servato, an sciat hoc crimen et ille respondeat *nescio*, subintellegendo *ad tibi revelan-*

¹ Billuart, *Summa S. Thomae*, tr. de religione, etc., diss. 9, a. 2.

dum, et iudex urgeat an illud dicat sincere, absque ulla ambiguitate et aequivocatione, adhuc iurare potest se absque ulla aequivocatione loqui, intus retinendo ez *qua mihi uti non liceat*, et si millies interrogans reduplicet an id sciat, vel in secreto vel publico vel quocumque modo, vel ita ut manifestare non debeat, adhuc potest uti super hoc alia et alia, usque in infinitum, reflexa aequivocatione. Quia semper respondet iuxta legitimam interrogationem, quae inesse deberet interroganti, et improbitati suae attribuere debet quod aliud ex verbis percipiat et decipiatur» \ Ergo iterum iterumque interrogatus num loquatur absque mentali restrictione, potest toties iure respondere: Sine ulla restrictione (quam teneat, scilicet, tibi pandere).

A lii casus.

C. II.—Attalas, qui studiis theologicis vacavit, the- 516
riam mentalium restrictionum ideo reicit quod inserviat quidem hominibus cultis, qui soli cognoscunt duplicem sensum verbi—ut possint verbum adhibere in sensu vero—, dum tamen ius defendendi secretum adest pariter rusticis.

Sol.—Haec ratio, si valeret ad reiciendam illam the-
riam, valeret quoque ad communem doctrinam respuen-
dam de violenta defensione sui contra aggressorem in-
justum: non enim quilibet potest se defendere, sed illi
tantum qui fortiores vel callidiores sunt aggressore.
Porro, quod nimis probat, nihil probat.

C. III.—Cythinus docet multo faciliorem ad difficul- 517
tates practicas solvendas esse viam de legum collisione
seu conflictu. Si enim collidunt lex tacendi veritatem
atque lex omittendi mendacium, prima praevalet quoties

1 Salmanticenses Mor., tr. 17. de voto, etc., c. 2, n. 131.

tenemur nobis aut proximo subvenire—quoad famam, integritatis vitaeve periculum—, et ideo lex de omittendo mendacio cessat.

Sol.—Hac si via procedimus, oporteret mendacium pronuntiare non modo licitum sed et obligatorium: dum inferior lex cessat, superior urget; tamen plures sunt casus in quibus quaestio vertitur de mendacii liceitate potius quam de obligatione mentiendi. Insuper, si facilis collisio praeceptorum affirmativorum—v. gr. audire missam et aegroto assidere—, perdifficilis conflictus praeceptorum negativorum eorumque naturalium—non prode-
re secretum et non mentiri—, nam ad summum sequeretur: Ne loquaris. Qui silentium interpretetur in peiorem partem, propriae malitiae id tribuat.

518 *C. IV.*—Orientius, seminarii alumnus, hanc aliam sequitur agendi rationem ingeniosam. Mendacium, inquit, est verbum contra mentem dum quis rationabiliter supponitur propriam mentem manifestare. Interdum attamen quis loquitur contra mentem quin mentiri dicatur: sic quotquot in comoediis gerunt personam aliorum non habentur mendaces etsi personaliter non sentiant quae horum nomine proferunt. Ergo pariter, qui verbis indiget in legitimam defensionem, personam agens se defendentis nihil aliud dicit, quaecumque vocitet, nisi se defendere \

Sol.—Excludere a mendacii finibus locutionem falsam ideo quod loquens merito non praesumitur manifestare propriam mentem, est aut corrumpere locutionem—quae desinat significare mentem—, aut detorquere locutionem—ad aliud significandum, quod tamen est in mente— In primo equidem casu mendacium adest. In altero

1 Hanc theoriam proposuit Vermeersch latine in *Gregorianum*, 1 (1920), p. 460 sqq., gallice vero in *Diet. Apologétique de la Foi Cath.*, art. *Restriction Mentale*, col. 977 sqq.

uteremur verbis ad significandam tacendi voluntatem; sed hanc tacendi voluntatem non significat *loquens* —loquens scilicet non significat se tacere—; saltem eam non significat restrictione late mentali (quae una est licita), utpote quam si prudens, ex adiunctis, tangeret, non obligaret alium ad loquendum. In hac, de cetero, theoria, dum verbi restrictio abicitur, actionis attollitur restrictio: qui loquitur nihil dicit, at loquens se defendit; prout valet se defendere gladio, valet et vocibus. Tamen nec quando licita est defensio, omnia media sunt licita; alias qui iuste se defendit posset uti et calumnia. Si igitur actus habet primam moralitatem ex oblecto et locutio intentionalis contra mentem est ex proprio oblecto mala moraliter, hanc malitiam non exsui in quemcumque ordinatur finem operantis.

C. V.— Saturninus, dum in regione valde dissita peregrinabatur, telegramma accepit quo a Ferdinando cognato suo rogabatur ut ipsi mutua daret decem francorum millia. Noverat quam labilis esset huius cognati condicio; ex altera parte timebat ne, aperte petitum mutuum denegando, eius animum vehementer offenderet. Ubi vero, in patriam redux, interrogatus est a Ferdinando cur non respondisset, telegrammam sibi delatum esse negavit. 519

Sol.— Ad hunc casum Genicot: «Iure suo usus videtur Saturninus ubi hac industria molestiam e cognati sui petitione orituram vitavit. Hic enim ex ipsa natura suae petitionis intellegere poterat hanc negationem nihil aliud esse quam urbanam recusationem obsequii quod, ob labilem eius fortunarum statum, Saturninus sine magno periculo suo praestare non poterat. Haec igitur nihil aliud erat quam restrictio late mentalis ob iustam causam adhibita. Aliter dicendum esset si, ob faustam condicionem fortunarum suarum Ferdinandus non molestum obsequium suo telegrammate petiisset, sed contractum obtu-

lisset utrique parti profuturum: in his enim adiunctis, nihil indicasset sensum responsi a litterali verborum significatione recedere» x,

520 C. VI.—Suntne casus in quibus usus late mentalis restrictionis est illicitus?

Sol.—Affirmative. Sic legitime a iudice vel a superiore interrogatus nequit illa restrictione uti: non enim habet ius celandi veritatem ei cui, e contra, ipsam tenetur aperire. Nec licet illam restrictionem adhibere venditori qui de rei vendendae interrogatur ab emptore defectibus, nam habet emptor ius ut rei defectus cognoscat. Neque licite illam paenitens adhiberet a quo confessarius quaerit de peccati confessi consuetudine: adstringitur enim ut quaerenti confessario hanc manifestet (Denz. 1208). Sed nec potest uti restrictione late mentali qui sponte loquitur: eo namque quod sponte loquitur petit aures attentas, promittens sic audientibus id manifestare quod sentit; et prout obligatur quis dare quod promisit donum, sic et promissam veritatem.

J

11

a

*

H

•w

DE FORTITUDINE

I. MARTYRIUM

Doctrina.

Martyr dicitur qui dat fidei Christianae testimonium 521 et testimonium summum. Porro sicut praestantius est testimonium prolatum coram hostibus eo quod proferret quis coram amicis, sic illud excellentius, ex parte operis, post quod nullum superest opus testificativum quo perficiatur; sed quandiu vivit, nondum fert quis coram hominibus summum omnino testimonium pro fide Christi, quae visibilia cuncta docet pro invisibilibus contemnenda; vulneribus insuper susceptis, quamvis letalibus, remanet aut remanere potest spes aliqua de evadenda morte. Perfectae igitur rationi martyrii mors ipsa est necessaria.

Cum nominet firmitatem animi in veritate contra mortis pericula quae imminet in bello inito contra cunctos aut quemdam ex fidelibus, martyrium est actus fortitudinis, quae firmat animum contra mortis pericula quae sunt in bello generali—quod quis gerit vinculatus exercitui ut pars exercitus—et in bello quoque particulati—quod quis gerit sibi relictus, v. gr. cum iudex non abstinet a ferenda iusta sententia conscius sibi imminere mortem ab amicis eius quem damnat.

522 Sed ideo quod actus est virtutis, quapropter bonus ex obiecto simul ac circumstantiis, homo non debet, uti plurimum se martyrio offerre: daret enim persecutori occasionem peccati, quam vetat caritas ne proximo praebeamus sine causa proportionata; neque sumus ipsi vitae propriae domini quam pro libitu liceat exponere. Neque loquamur de martyrio si quis mortem pro fide sustineret ob unam vanam gloriam, v. gr. ut celebritatem nominis apud posteros vel cultum in Ecclesia militante obtineat.

Quoniam fides nos docet non dumtaxat id quod credendum est sed id insuper quod agendum—quoniam a Deo praeceptum, vel Deo placitum—aut vitandum—quoniam a Deo prohibitum—, omnium virtutum opera in Deum relata causam martyrio tribuunt: mors pro exercitio alicuius virtutis sive praecepto sive consulto a fide est fidei professio. Dummodo revera mors valeat dici testimonium fidei. Ad rem Vitoria: «Si esset aliqua mulier quae nollet pati adulterium, et tyrannus minaretur ei mortem nisi conveniat cum illo, si ipsa solum dicit: nolo pati adulterium, propter castitatem meam, et occiditur, illa non est martyr. Si tamen dicat; pro defensione praeceptorum Dei ego volo pati mortem; fides Christiana est quod non licet adulterari; si pro defensione huius patiatur mortem, ita quod potius velit mori quam frangere legem divinam, erit martyr»

523 Neque tamen requiritur ad martyrium quod persecutor expresse dicat se fidem impugnare. Unde Benedictus XIV iam animadvertit «satis esse ad martyrium, si

1 «Si quis se sponte sua offerendo martyrio, alios ad idololatriam ruentes se retrahere posse sic agendo probabiliter existimet, laudabiliter et merito se offerret... Dicimus secundo Episcopos ceterosque animarum curam habentes vetitum esse in persecutione fugere, si gregis unionem ex permansione, ex fuga autem praevideant eius dispersum» (Benedictus XIV, *De servorum Dei beatificatione*, etc., lib. 3, c. 16, n. 7 sqq.).

1 Vitoria, in *II-II*, q. 124, a. 5, n. 5. ed. Beltràn de Heredia.

revera persecutor seu tyrannus ab odio in fidem moveatur, licet aliam causam omnino disparatam prae se ferat, propter quam mortem se inflixisse fateatur», et adducit inter alia Neronis notissimum exemplum, qui Christianis persecutionem movit, odio quidem in fidem, at incendii Urbis sub praetextu x.

Fit denique martyrio satis si persecutor, motus ex odio in fidem, talia verba proferat quibus satellites incitati ad necem conspirent servi Dei eumque occidant: licet etenim expressis verbis mortem ipse non iubeat, ad ipsam vere atque efficaciter impellit¹.

Casus primus.

In quodam consessu feminarum sermo casualis incidit de S. Mariae Goretti canonizatione. Dum plures eius martyrium et heroicam virtutem extollebant, Cyria contrariam suam mentem patefecit dicens: Ego valde demirror Ecclesiam hanc puellam in numerum martyrum retulisse: primo, quia nihil fuit in ipsa heroicis, non enim requiritur magna virtus ut denegemus corpus nostrum petitori cuilibet importuno et praeferamus mori potius quam eius acquiescere voluntati, immo meretrix quaedam itala recens mortem sustinuit quod nolebat afro militi commisceri; insuper, quoniam omnes Christiani oportet animo sint parati mortem potius subire quam Deum offendere; denique, quia Maria Goretti, ex iis verbis quibus refutabat sollicitantem, formidabat infernum, non autem Dei offensam.

Quid dicendum?

¹ Benedictus XIV, l. c., n. 7 sq.

^a Id., ib., n. 10.

Solutio

525 Cyriae debemus dicere quod pridem Iob uxori: «Quasi una de stultis mulieribus locuta est» (Iob, 2, 10).

Ut meretrix, imprimis, de qua loquitur sineret se occidi potius quam afro militi commisceri, non indigebat castitatis vel fortitudinis virtute: se morti exposuit ob personae (afri scilicet militis) repugnantiam; sicut potuit se exponere quoniam non obtinebat tantum lucrum quantum ambiabat, malens mori quam recedere a pristino proposito. Unde D. Thomas: «Exteriores virtutis actum quandoque aliqui efficiunt non habentes virtutem, ex aliqua alia causa quam ex virtute» Nemo autem diceret puellam castam quae propterea non vacat luxuriae quod non solvitur ei praetium quod exigit ut sui faciat alteri copiam.

A fortiori non requiritur virtus ut femina non condescendat sollicitanti cuivis, aut quia carnis stimulum tunc non sentit, saltem attractionem ad sollicitantem, aut quia timet damnum, puta dehonorationis vel ignominiae. Nam ipsae immanissimae bestiae, teste Augustino, a maximis voluptatibus absterrentur dolorum metu²; quin eas tamen dicamus pollere castitatis virtute. Virtuosus is unus est qui virtutum exsequitur opus ob solam virtutis honestatem.

526 At constat ex processu S. Mariam Goretti mortem elegisse potius quam committere peccatum. Omnes quidem oportet sic habitualiter nos dispositos ut velimus mortem sustinere magis quam consentire peccato gravi; tamen, cum periculum mortis imminet, non omnis Christianus praeeligit mori. De facto atque uti plurimum peccamus

² S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 123, 1. 2m.

¹ S. Augustinus, *De diversis quaestionibus*, LXXXIIH, q. 36; PL 40, 25.

gratis; ideo Apostolus: «Quem fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis?» (Rom. 6, 21); peccamus enim pro momentanea voluptate, pro victu lucrando vel pecunia, pro obtinenda vel retinenda aestimatione et amicitia hominum; peccabimus, a fortiori, pro conservanda vita: cuncta enim quae habet homo dabit pro vita sua (Iob, 2, 4).

Si sollicitantem ergo puella refutabat eum commonens de inferno, quem non deterreret memoria de peccato, hinc non evincitur ipsam timuisse infernum prae Dei offensa. Sed vel mortem acceptans ob timorem inferni, adhuc daret fidei supremum sanguinis testimonium, cum inferni existentiam fide dumtaxat noverit. Hoc autem testimonium non affertur a Christianis communitate: quoties enim sic agimus ac si non crederemus infernum esse! et tamen nemo minatur mortem si agamus aliter.

Non est ergo mirandum Ecclesiam canonizasse ut martyrem puellam nostram. Virtutem enim heroicam quam pro canonizatione semper exigit Ecclesia eam intellegit quae sive ob excellentiam operis sive ob circumstantiam quae difficillimum reddat opus, erumpit in actum superantem communem modum operandi hominum, etiam virtuose operantium.

Alii casus.

C. II.— Ollegarius nequit mente percipere quomodo sit 52" martyrio locus cum ipse persecutor, ut in casu S. Mariae Goretti, fidem tenet catholicam; quo pacto nempe valeat homo fidelis aliquem occidere in odium fidei.

Sol.— Eodem prorsus pacto ac valet ebrietate et luxuria peccare qui fidem habet atque fidem retinet. Fides enim, quamvis nos doceat omnem ebrietatem et fornicationem esse malum morale, non tamen impedit quin

indicemus hanc ebrietatem et fornicationem esse nobis bonum delectabile et ideo prosequamur hoc bonum et prosecutionis obstacula, quantum possumus, superemus. Potest igitur fidelis sollicitare fidelem ad fornicationem secum habendam; potest quoque renitentem morte afficere. «Quocirca non solum inter martyres recensentur S. Petrus Martyr, Martyres Gorcomienses et alii ab haereticis interfecti, sed etiam Stanislaus Cracoviensis, Thomas Cantuariensis et Ioannes Nepomucenus, licet primo a Boleslao rege polonorum, secundo ab Henrico anglorum rege, tertio a rege Germaniae Wenceslao, qui omnes erant catholici, mors fuerit inflicta» 1.

528 C. III.—Aedesius fuit accusatus, falso attamen, de homicidio. Poterat quidem se a capitali sententia liberare imponens calumniam accusatori immo etiam testibus. Cum tamen ex fide noverit calumniam esse illicitam, maluit sententiam subire capitalem quam illo medio uti. Estne propterea martyr?

Sol.—Negative. Quia non damnatur capite propter fidem, sed propter homicidium. Quod posset quidem se liberare adversariis imponens calumniam, quam vitat attamen, doctrinam Christianam edoctus, demonstrat ipsum mori iustum, fidelem, non autem pro iustitia, fide. Sic et contingit quem furari cum timore, ne deprehendatur a custodibus; nec tamen furatur quoniam timet; metus concomittans non afficit actum, sed unum nempe agens (I, 49, 149).

529 C. IV.—Cum immanis pestis grassaretur in civitate, Serapia, mota caritate Dei et proximi, se dedit totam aegrotantium servitio, praevidens probabile contagium et ideo acceptans secuturam mortem. De facto luem con-

1 Benedictus XIV, l. c., c. 13, n. 3.

traxit ex qua post mensem obiit. Plures ex superstitibus ipsam proclamant martyrem. Num iure et merito?

Sol.—Prouti casus iacet, negative. Martyrium enim est actus fortitudinis, quae firmat animum contra mortis pericula, non ex latronibus, aegritudine, naufragio, etc., sed in bello—sive generali, contra plures; sive particulari, contra unum—; bellum autem petit oppugnatorem, et ideo martyrium persecutorem exigit; sed in casu proposito nemo est persecutor. Contra, «si infidelis fidei persecutor Christianum in odium fidei peste laborantium servitio addiceret ex intentione illum per pestem occidendi, Christianus sic per pestem occisus dici posset martyr, nam prout sic mors illa a persecutore esset illata in odium fidei ex intentione occidendi»

C. V.—In regione infidelium missionarius quidam necatus fuit certo certius in odium fidei, noctis attamen tempore cum dormiebat profunde. Nonnulli inter confratres martyrem eum pronuntiant; at ceteri contradicunt. 530

Sol.—Oporteret potius distinguere. Nam cum martyrium sit actus virtutis et virtutis sit operari ex electione, sustinentia mortis debet esse voluntaria penes martyrem; non quidem voluntate actuali, at virtual! saltem. Si missionarius igitur ille, prorsus conscius periculi quod sibi mortis imminet, manet tamen in sua statione, dubitandum non est quin mortem acceptaverit. Aliter, contra, si inopinato occiditur, si neque cogitavit sibi parari insidias; tunc nequit dici mortem acceptasse, nihil enim volitum quin praecognitum.

C. VI.—Instat unus ex iis qui martyrium indistincte celebrat: Eo ipso quo quis Christiane vivit iam videtur mortem acceptasse propter Christum, sicut videtur con- 531

¹ Capizucchi, *Controversiae*, de martyrio, q. 1, § 11; ed. 1670, p. 722.

sentire in receptionem Extremae Uctionis quae sibi moribundo conferretur sensibus destituto.

Sol.—Ad hoc Capizucchi: «Homo per iustitiam habitalem et bonam vitam non censetur consentire in omne medium iustitiae conferendae vel augendae quantumcumque arduum, sed tantum in media ordinaria, per quae salus communiter comparari solet; unde cum martyrium magnam contineat difficultatem, quam suscipere velle non censetur quisquis bene vivit, et martyrium non sit medium ordinarium, bona vita non potest censi continere aliquam illius acceptationem»¹.

II. INANIS GLORIA

Doctrina.

532 Sicut fortitudo habet firmare animum in magis arduis seu in maximis malis, ne homo nempe recedat a bono rationis propter mortis pericula, magnanimitas habet firmare animum in minus arduis, in bonis scilicet etsi maximis, ut homo nempe magnum honorem appetens in id tendat idque prosequatur quod magno honore est dignum. Hinc magnanimitas venit pars potentialis fortitudinis.

Magnanimitati—quae ut virtus moralis est in medio—opponitur inanis gloria per excessum, verum aut extinatum: dum magnanimus enim quaerit gloriam cum moderamine, seu secundum rationem, inanis gloriae cupidus eam ultra moderamen seu contra rationem insectatur; et si quidem frequenter de parvis re, semper tamen de iis quae ipse reputat magna.

Hinc quod gloriam quaerat aut de re quae non est—seu perfectione quam non habet—vel non est digna

¹ Capizucchi, l. c. § 13. p. 731.

gloria, aut de re quae, licet digna gloria, non tanta gloria ac quaeritur, aut ab iis qui inter gloria dignum et indignum nequeunt discernere.

Etsi quidam non ponant inanem gloriam in vitiis capitalibus—ponunt potius superbiam—, alii inter capitalia vitia illam enumerant, quod superbia sit initium omnis peccati (Eccli. 10, 15). In his D. Thomas: «Superbia enim importat inordinatum appetitum excellentiae. Ex omni autem bono quod quis appetit, quandam perfectionem et excellentiam consequitur. Et ideo fines omnium vitiorum ordinantur in finem superbiae. Et propter hoc videtur quod habeat quandam generalem causalitatem super alia vitia, et non debeat computari inter specialia virtutum principia, quae sunt vitia capitalia» 533

Si vitia ergo capitalia dicuntur quae multorum peccatorum sunt principium et causa, in ipsis proculdubio est inanis gloria collocanda: gloria namque apud homines est multum appetibilis; eius igitur appetitus perducit ad plurima peccata. Sic cupidus inanis gloriae tendit ad manifestationem propriae excellentiae directe et indirecte. Directe quidem: 1.^o per verba, et habemus iactantiam, «tendit enim lactator plerumque ad hoc quod gloriam consequatur per suam iactantiam»¹; 2.^o per facta, vera aut ficta, et locus est praesumptioni novitatum atque hypocrisi: novitates enim homines et attentius considerant et

¹ S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 132, 4.—«Quia finis et medium ad finem aliter se habent secundum ordinem intentionis, et aliter secundum ordinem executionis; prius enim est in intentione sanitas quam medicina, in executione autem prius adhibetur medicina quam acquiritur sanitas: ideo, cum superbia et inanis gloria se habeant ut finis et medium, prior est in intentione excellentia, quae est finis superbiae, et consequenter apparentia, quae est finis inanis gloriae; sed secundum ordinem executionis, primo quaerimus apparere, ut, manifesti iam et clari, excellentiam consequamur. Quaerunt siquidem superbi manifestare se tamquam virtute aut potestate aut industria praeditos, ut, manifesti, amentur et honorentur» (Caietanus, ibidem, n. S).

² S. Thomas, l. c., 112, 1, 2m.

magis admirantur, hypocrisi autem se quis méliorem simulat ut melior habeatur. Indirecte vero, se exhibens non minorem alio: 1.º quoad intellectum, per pertinaciam, qua quis mordicus tenet sententiam suam; 2.º quoad voluntatem, per discordiam, qua quis corde stat inordinate in propriis, haec praeferens alienis; 3.º quoad locutionem, per contentionem, qua vel malitiose vel saltem indecore propriam quis opinionem defendit; 4.º quoad factum, per inoboedientiam, «quia videtur ad quandam excellentiam pertinere quod homo praeceptis alterius non subdatur» \

Casus primus.

- 534 Hermes, confessarius, parvi omnino facit quae interdum paenitentes accusant peccata inanis gloriae; putat enim huiusmodi peccata numquam excedere malitiam levem.

Solutio

- 535 Hermes, imprimis, male agit parvipendens levia peccata. Licet siquidem directe atque primario actus peccati venialis non disponat nisi ad actum similem—ad actum igitur venialis peccati—, directe tamen et secundario disponit agens ad hoc ut **constituat finem suum ultimum** in obiecto illius **operationis**, convenientis modo propter habitum quem genuerunt **similes actus**—qualis enim unusquisque est, talis finis videtur ei—; at constituens finem suum in creatura, iam a Deo avertitur.

Porro si potest quis finem suum ultimum constituere in obiecto cuiuslibet peccati, praecipue tamen in humana gloria—cum gloria sit multum appetibilis—, in quam ordinet videlicet vel virtutum opera, propter quam et para-

1 S. Thomas, 1. c., 105, 1, 2m.

tus sit peccare graviter. Quo certe in casu vana gloria, de sese peccatum veniale, fit mortale ex capite intentionis; prout et fieret dum quis ut vanam gloriam consequatur exponeret proximum gravi damno—puta si medicus, ne aestimetur minoris excellentiae, in operatione periculosa recusaret socium.

Est insuper mortale ratione ipsius materiae, puta si quis gloriatur de falso contra Deum, de bono temporali quod praefert Deo, de peccato gravi vel de gravi proximi nocumento.

Sed etiam dum non attingit malitiam gravem, inanis gloria est peccatum periculosum et ideo praepediendum 536 «propter hoc quod est dispositio ad gravia peccata: inquantum scilicet per inanem gloriam redditur homo praesumptuosus et nimis de se ipso confidens. Et sic etiam paulatim disponit ad hoc quod homo privetur interioribus bonis» \ cum Deus superbis resistat atque solis humilibus det gratiam (Iacobi, 4, 6). Hinc S. Ioannes Climacus: «Vermis dum magis ac magis crescit, alis tandem natis in sublime tollitur, et vana gloria ubi ad supremum gradum pervenit, superbiam parit omnium malorum effectricem et perfectricem» 1

Alii casus.

C. II.— Si quis vicit in duello, laudat se et vult laudari 537 ab aliis; nemo tamen existimat peccare ideo mortaliter.

Sol.— Respondet Vitoria: 1.º Laudem petere vel conferre pro peccato mortali, est peccatum mortale: est enim se complacere in malo et approbare malum. 2.º In facto quod est peccatum mortale est aliquid quod potest laudari, ut fortitudo naturalis, dexteritas in se defendendo atque adversarium aggrediendo; et hoc, quod ut plu-

1 S. Thomas, 1. c., 132, 3. 3m.

2 S. Ioannes Climacus, *Scala paradisi*, gr. 22; PG 88, 955.

rimum laudamus, bene laudare possumus; quia non laudamus iniustitiam, sed industriam. 3.^o Quod tamen non vacat a periculo, cum difficile sit discernere quid revera laudemus, ideoque audientes pati possint scandalum; et quia vel dum constat nos laudare industriam, favemus et peccato, sicut enim si omnes vituperaremus duellantes, homines caverent a duello, dum illos laudamus, alii volunt hanc gloriam obtinere, quod vicerint scilicet in duello, et ideo duellum ineunt *.

- 538 C. III.—Briandus se iactat coram aliis: 1.^o quod a nemine in peritia equitandi superetur; 2.^o quod a viginti annis confessus non fuerit nec Missae interfuerit; 3.^o quod mulieres quamplurimas seduxerit. Haec et alia plura plerumque falsa, nec verisimilia, continuo et plenis quidem buccis decantare solet.

Sol.— «Briandus non videtur peccare graviter laudando et exaggerando peritiam ac dexteritatem suam... Sed graviter peccavit enarrando ea facta scandalosa et peccaminosa, tum ex eo quod gloriatur de gravi malo, tum etiam quia audientibus scandalum praebet. Ita Ferreres².

- 539 C. IV.—Quotquot videt Victorious pretiosis vestibus indutos eos omnes de inani gloria damnat, verbis fretus S. Gregorii: «Nam quia pro sola inani gloria vestimentum pretiosius quaeritur, ipsa res testatur quod nemo vult ibi pretiosis vestibus indui ubi ab aliis non possit videri» ■.

Sol.— Respondet D. Thomas aliter loquendum esse de persona publica et aliter de privata. In persona enim privata virtuosum est si propter humilitatem abiectoribus utatur indumentis quam status proprius requirat; quin

1 Vitoria, in *II-II*, 132, 3 n. 2. ed. Beltran de Heredia.

² Ferreres, *Casus Conse.*, I. 179, ed. 1926.

3 6. Gregorius M.. homil. de divlte epulone; PL 76, 1305.

propterea illicitum sit ei melioribus uti ad propriam conditionem seu statum. Personae vero publicae curandum est ne dignitatis auctoritas veniat in contemptum, et ideo valde congruit ut pretiosis vestibus utatur ad reverentiam auctoritatis inducendam. Attamen «quia pretiosum dicitur relative, sicut et magnum, cum id quod est pretiosum uni, non sit alteri pretiosum; pretiositas vestium semper sonat in excessum proprii modi; et secundum hoc semper est peccatum pretiosis vestibus uti; et sic iquitur Gregorius» *

C. v.—lovianus nequit mente percipere cur peccato 54q
damnetur qui humanam quaerit gloriam utputa in certaminibus. Dicit etenim: prouti natura apposuit delectationem actibus conservativis speciei et individui ut illi actus fiant a pluribus et frequentius (554), sic humana gloria validus est stimulus ad magna et heroica virtutum opera.

Sol.—Humanam gloriam quaerere ob actiones quae sunt dignae gloria, non est de se vitiosum. Potest tamen vitiosum reddi «si quaeratur gloria humana ultra humanos limites, vel quia quaeritur ab homine tamquam a certo vel magno testimonio, aut etiam ultimo testimonio; tunc vitium est inanis gloriae... Gloria siquidem humana, si quaeratur tamquam magnum et certum aliquid, cum minimum quid et incerti sit testimonii, vana est ex parte eius a quo quaeritur» 2.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Agens actus religionis pro insigni obtinendo (I, 152 s.); Eleemosyna intenta propter Deum atque facta pro hominibus (I, 156); Eleemosynam dans cum vana gloria (I, 157); lu-

1 S. Thomas, *quodl.* 10, a. 14.

1 Caietanus, l. c. a. 1, n. 3.

venes se iactantes de mortalibus in communi et exprobrantes aliquem de mortali omisso (I, 268); Periculum vanitatis in certaminibus (II, 438).

III. PATIENTIA

Doctrina.

541 Virtus moralis disponit ad servandum rationis bonum contra passionum impetum; sed in passionibus numeratur tristitia, efficax profecto quae rationis bonum impediatur—trahens ad se animi intentionem, nullam aut insufficientem ceteris relinquens—; patientia igitur quae firmat animum ne homo victus tristitia a rationis bono discedat, sive operando malum sive quaerendo delectationem pravam, virtus est omnino pronuntianda. Pars etiam potentialis fortitudinis, nam cum haec sustineat viriliter maiora mala, mortis nempe pericula, illa sustinet mala minora, id est tristitiam, qua non periclitatur vita.

Ei opponitur vitium duplex: *a)* insensibilitatis seu apathiae, quae nimis sustinet, ideo quod nullis malis homo tangitur, quaeque sapit brutam stoliditatem duritiemque inhumanam¹; et *b)* impatientiae, quae non sustinet satis, quoniam homo propter tristitiam a rationis bono deficit. «Utrumque peccatum, scii, insensibilitatis et impatientiae, ex se est tantum peccatum veniale; fit tamen mortale, si propter illud alia virtus, e. gr. caritas fraterna, graviter laeditur»¹

542 At potest quis tristitiam moderari ideo quod eius moderamen quaelibet virtus postulat: sic liberalitas mode-

¹ Billuart, *Summa S. Thomae*, tr. de fortitudine, diss. 2, a. 5.
- Prümmer, *Th. Mor.*, II, 641, ed. 1928.

ratur timorem amissionis pecuniarum et tristitiam pecuniae amissae; temperantia pariter, timores et tristitias contrarias delectationibus quae sunt tactus; quo quidem ex capite patientia dici potest modus seu condicio cuiuscumque virtutis. Verum tristitiam moderari quia hanc oportet moderatam esse, ne impediatur hominem a rationis bono, non in hac vel illa materia, sed absolute, innuit materiam specialem atque rationem peculiarem, uni patientiae propriam.

Obiectum igitur patientiae proximum «est tristitia et afflictio animi ob mala quae vel corpori inferuntur, vel aliter nobis accidunt, qualia sunt mors parentum vel amicorum, exsilia, morbi, contumeliae, et cetera huiusmodi; hanc enim tristitiam vel omnino comprimit patientia vel ita moderatur ut rationem plene sui competentem relinquat» *

Quoniam mala quibus affligimur innumera sunt et frequentissima, patientia est nobis /aide necessaria. Eo maxime quod cum tristi nemo vult convivere et propterea tristitia ducit hominem indirecte ad intemperantiam, directe vero ad iram, ad odium, ad nocumentum proximi. Hinc quod patientia dicatur (Iacobi, 1 4) habere opus perfectum, nam in malorum signata tolerantia «non solum excludit iniustam vindictam, quam etiam excludit iustitia; neque solum odium, quod facit caritas; neque solum iram, quod facit mansuetudo; sed etiam excludit tristitiam inordinatam, quae est radix omnium praedictorum» 2.

Ad rem Vallgornera: «Patientia heroica vincit omnia, sive lata, sive profunda, sive larga, sive longa, sive mala,

1 Sil vius, in II-II, 136, 1.

2 S. Thomas, *Summa Theol.*, I-II, 66, 4, 2m,—«Patientia dicitur esse radix et custos omnium virtutum, non quasi directe eas causando et conservando, sed solum removendo prohibens» (Id., lb., II-II, 136, 2, 3m).

sive privativa, sive affectiva, sive corporis infirmitates, sive animi aegritudines, sive mundi infelicitates, sive hominum credulitates, sive daemonis tentationes, sive Dei probationes. Patientia heroica de omni malo sibi inflictio non solum gaudet, sed et triumphat, quia cito transit calix tribulationis in horto, et dies resurrectionis in aeternum durat in caelo; non sunt autem condignae passionnes ad futuram gloriam quae revelabitur in viro patiente et iusto»

Casus primus.

544 Titus, vir doctus ac pius, qui munera quaedam, quibus maxime idoneus videbatur, ferventer optabat, ubi accepit eadem aliis minus idoneis, at magis commendatis, delata fuisse, vehementer ea de re doluit atque nunc cum confessario conqueritur. Hic, dum Titum consolari conatur, ipsum simul excitat ut consideret impatientiae mala—qua meritum amittitur patientiae proprium, detrimentum augetur potius quam minuatur, ianua laxatur ad plurima peccata—, patientiae vero fructus in hac et in futura vita—satisfactionem pro peccatis, gloriam aeternam, redemptionem a poenis inferni et purgatorii—. praeclara quoque exempla tum Sanctorum—qui tot mala-sustinuerunt—tum Dei—peccatores tolerantis—tum maxime Christi—qui non modo vitam pro nobis dedit sed et passus est posthaberi ipsi Barabbae—. Haec enim legerat apud Billuart³ media esse optima patientiae obtinendae et exercendae.

Quid dicendum?

¹ Vallgornera, *Mystica Theol. S. Thomae*, appendix, n. 421, ed. Berthier.

³ Billuart, l. c.

Solutio

De horum mediorum praestantia pro patientia obtinenda et exercenda nullum dubium. 545

Dubium tamen, nec leve, num Titus impatientia peccaverit.

Tristatur etenim de bono alieno. Bonum autem alienum causât in aliquo tristitiam quadrupliciter: *a)* quia apprehenditur ut sibi vel suis periculosum—haec tristitia, cum sit de malo reali atque futuro, *timoris* | nomen accipit—; *b)* quia apprehenditur uti sibi deficiens—haec tristitia, habens pro excitativo bonum alienum, pro oblecto malum sive defectum proprium, *zelus* seu *aemulatio*—nuncupatur—; *c)* quia apprehenditur ut accidens indigno—haec tristitia, cuius obiectum prosperitas indigni, *nemesis* seu *indignatio*³ dicitur—; et *d)* quia apprehenditur ut actu deminutivum gloriae propriae—haec tristitia² de bono alieno *invidia* | nominatur.

1 Tristitia quae timori annectitur respicit bonum proximi ut ex quo imminet nobis vel nostris malum, seu deminutio realis in bonis; nocumentum nondum accidit, potest tamen accidere. Sic timentes ne occidamur vel opprimamur a potentiori, ditiori, etc., tristamur de eius potestate, divitiis, etc.; timentes ne gloriam amittamus scientificam ex garruli loquacitate, tristamur de garruli in loquendo gratia seu peritia; timentes ne fideles perducatur usque ad haeresim, tristamur de haeresiarchae fama et eloquentia.

2 Zelus seu aemulatio non habet pro obiecto bonum proximi, sed carentiam sive defectum proprium huius boni; tristamur, non quia proximus habet divitias, potestatem, famam, scientiam vel virtutes, sed quia nos huiusmodi caremus vel in his deficiamus.

3 Nemesis seu indignatio respicit bonum proximi, non quatenus proximi, sed quatenus indigni; indignum dicimus, non propterea quod habens illud bonum proximus indignior efficiatur, sed ideo quod proximus prosperatur ultra suam quancumque dignitatem. Non oritur ideo nemesis ex bonis honestis—quibus omnis homo dignus fit—, sed ex bonis dumtaxat temporalibus, quae dignis et indignis contingunt, v. gr. quia quis adeptus est praelaturam, divitias, nomen quibus indignus erat.

4 Invidia habet pro obiecto bonum proximi, non quasi deminuens bonum nostrum, sed quatenus adauctum turbat relationem mutam

Titus, in casu, non videtur dolere quasi ex aliorum exaltatione et sui contemptu timeat futurum malum | aut se putet deminutionem passum in bono. Eum dolere dixeris quod non absque sui nominis imminutione careat muneribus exoptatis et quod eadem assecuti satis apti non sint qui ipsa gerant. Ex primo ergo capite, zelo seu aemulatione laborat, eoque magis intenso quo maior concupiscentia muneris et amor boni nominis; ex altero, indignatione afficitur sive nemesi, quod prosperentur nempe proximi ultra suam cuiusque dignitatem.

546 Porro de zelo D. Thomas: «Si iste zelus sit circa bona honesta, laudabilis est: secundum illud I *ad Cor.* 14 [1]: *Aemulamini spiritualia*. Si autem sit de bonis tempora-

praexistentem: vi illius augmenti non sumus amplius aequales vel superiores proximo. Haec deminutio relativa non est mala—quia revera non nocet—, *habet tamen speciem mali*, poenalis nempe—transitus enim de superlortate ad aequalitatem, de aequalitate ad inferioritatem, sicut dum contingit ex defectu proprio est verum malum, dum contingit absque proprio defectu quandam speciem mali prae se gerit.

| «Sicut timor potest esse cum peccato et sine peccato, ita et tristitia quae timorem sequitur. Qui enim timet bonis ne opprimantur, aut iustitiae vel cultui divino ne conculcetur, ob potentiam, divitias, etc., et propterea tristatur de potentia et divitiis alicuius, si clara est huiusmodi malorum sequela, non peccat.. Si autem aliquis timet ex alterius potentia laedi iuste vel non iniuste, et ideo de illius potentia tristatur, peccat... Similiter si ambiguum est an aliquis potentia vel divitiis abutetur in alterius damnum, quamvis licite timeat et caveat, non tamen licite tristatur absolute de illius potentia et divitiis . Unde collige quod huiusmodi timoris affectus et effectus qui est tristari de bono proximi ut nocivo, freno eget rectae rationis conferentis qualitatem mali suae causae, et praepo-
nentis praeponenda, ut tristitia de bono ex sancta seu recta detestatione mali excusanda sit» (Caietanus, in *II-II*, 36, 2, n. 3).

3 Invidiae malitia liquet satis: bonum etenim proximi, quo invidus tristatur, dignum certo est obiectum quo gauderet, sive ratione boni, sive ratione caritatis. Et quia secundum se, id est ex propriis, caritati est contraria. invidia peccatum dicit mortale ex genere. Si abstrahamus attamen ab invidia fraternae gratiae—quae contra Deum tendit—et sistamus in sola invidia proximi, omnia invidiae peccata intra eandem speciem continentur; quamvis una sit gravior altera—circa maiora bona quam circa minora, ideoque circa spiritualia quam circa temporalia (Cfr. Caetanum, l. c., a. 3, n. 2).

libus, potest esse cum peccato, et sine peccato»¹. Ad quae Caietanus: «Aemulatio temporalium regulanda est secundum regulas desiderii temporalium. Et sicut desiderare bona temporalia simpliciter et absolute nullum malum est, sed naturalis ac bonus affectus, quoniam his homo indiget; ita tristitia de eo quod est non habere temporalia nihil mali, sed naturalem affectum rationi consonum importat. Sed quemadmodum cum bono absolute desiderio temporalium stat quod ad hoc quod desiderium nunc sit rectum, requiruntur aliquae condiciones, puta quod congruat sibi (non enim congruit cuilibet quodcumque bonum temporale); ita tristitia quia non habeo tale temporale bonum eget aliqua condicione, sine qua est mala moraliter, et cum qua est bona. Si enim plebeius idiota tristatur quia non est rex, tristitia ista non est secundum rectam rationem... Aemulatio ambiciosorum et avarorum et indignorum non est boni moris»²

Nemesim autem putavit Aristoteles contineri intra bonos mores. Sed hoc ideo quia consideravit temporalia ut possunt magna videri non respicientibus ad aeterna et ignoravit divinam providentiam respectu singulorum hominum. «Sed secundum doctrinam fidei, temporalia bona quae indignis proveniunt ex iusta Dei ordinatione disponuntur vel ad eorum correctionem vel ad eorum damnationem: et huiusmodi bona quasi nihil sunt in comparatione ad bona futura, quae servantur bonis. Et ideo huiusmodi tristitia prohibetur in Scriptura sacra: secundum illud Psalm. [36, 1]: *Noli aemulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. Et alibi [Ps. 72, 2 sq.]: Pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns*»³. Unde

1 S. Thomas, l. c., II-II, 36, 2.

2 Caietanus, in h., a. 1, n. 4.

3 S. Thomas, l. c.

distinxit Caietanus quandam tristitiam simpliciter et quandam tristitiam secundum quid, prout et distinguimus simpliciter et secundum quid involuntarium, ad quod tristitia sequitur. Sicut enim proiectio mercis in mare, naufragii tempore, habet rationem mali secundum se seu facta abstractione a circumstantiis, ideoque est nolita et contristans, habet tamen rationem boni in his adiunctis, unde et est appetibilis et volita, sic etiam prosperitas indigni *secundum se considerata* habet rationem mali—non quidem mali poenae, quia non est poena habenti nec, necessario, aliis; nec etiam mali culpa, quia non necessario prosperitatem vel obtinuit proximus peccans vel alii contulerunt peccantes—, sed mali id est iniusti eo sensu quo monstra sunt iniusta; verum ipsa prosperitas indigni *ut in adiunctis* habet rationem boni: est enim distributio divinae Providentiae, quae «solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos» (Mt. 5, 45). Ideo concludit Caietanus: «Quo fit ut nullam rationem peccati videam quando aliquis tristatur de prosperitate indigni quia est indignus, si non extendit se tristitia ad idem bonum in quantum est a Deo distributum. Extendit siquidem se ad hoc quando simpliciter tristatur de bono indigni: non se extendit autem quando tristatur de bono indigni sic ut complaceat tamen sibi simpliciter divina distributio. Verumtamen quia huiusmodi tristitia secundum quid parat viam tristitiae simpliciter, quae est mala, ideo etiam cavenda videtur, quasi dispositio ad malum» x.

548 Quoniam attamen in sustinendo tristitiam consequentem zelum atque nemesim potest esse patientia, sicut in sustinentia alius tristitiae cuiuscumque, Titus peccare potuit impatientia si eius dolor ob sui contemptum et

1 Caietanus, l. c. n. 2.

aliorum exaltationem non continebatur intra rectae rationis terminos.

Alii casus.

C. II — Severus, vir etsi religiosus, patientiae denegat 549
virtutis laudem quod noverit avaros adversa plurima patienter tolerare ut pecuniam congregent; audivit autem virtutes sic inter se conexas ut habens unam habeat ceteras, et una carens ceteris quoque careat (1 ss.).

Sol.— Avarorum patientia non est vera sed dumtaxat apparens; sicut, ut iam S. Augustinus animadvertit, non est vera virtus avarorum prudentia, quae excogitat diversa genera lucellorum; et avarorum iustitia, qua gravium damnorum metu contemnunt aliena; et avarorum temperantia, qua luxuriae, quoniam sumptuosa est, cohibent appetitum; et avarorum fortitudo, qua, ut ait Horatius, *per mare pauperiem fugiunt, per saxa, per ignes*¹. Unde ad ipsummet Hipponensem, patientes proprie dicuntur qui mala malunt non committendo ferre, quam non ferendo committere. In illis autem qui mala sustinent ut mala faciant, nec miranda nec laudanda est patientia, quae nulla est: sed miranda duritia, neganda patientia².

C. III.— Ferreolus fert aequanimiter boni concupiti dilationem; eum attamen nemo de patientia sed omnes laudant de longanimitate vel magnanimitate. 550

Sol.— Longanimitas, quoniam respicit bonum—futurum seu longinquum—maiores convenientiam videtur habere cum magnanimitate quam cum tristitia, quae malum respicit. «Potest tamen convenire cum patientia duplici ratione. Primo quidem, quia patientia, sicut et fortitudo, sustinet aliqua mala propter aliquod bonum.

¹ S. Augustinus, 4 *Contra Julianum*, cap. 3; PL 44. 748.

² Id., *De patientia*, cap. 2 et 5; PL 40. 611, 613.

Quod si ex propinquo expectetur, facilius est sustinere: si autem in longinquum differatur, mala autem oporteat in praesenti sustinere, difficilius est. Secundo, quia hoc ipsum quod est differri bonum speratum, natum est causare tristitiam: secundum illud *Prov.* 13 [12]: *Spes quae differtur affligit animam.* Unde et in sustinendo huiusmodi afflictionem potest esse patientia, sicut et in sustinendo quascumque alias tristitias» *.

- 551 C. IV.—Talia tristitiae signa dedit Secundina ob mortem filii quod confessarius vehementer eam arguerit de impatientia. Secundina tamen opponit satis esse patientiae moderari tristitiam interiorem; ad moderandos autem gestus externos virtutem patientiae non pertinere.

Sol.—Tota via Secundina errat. Nam etsi obiectum proximum patientiae sit tristitia seu afflictio animi, est ipsi pariter et obiectum remotum, actiones, videlicet, verba et gestus, «quos ita regit ut per tristitiam homo nihil indecori faciat» 1; unde de B. Maria V. legimus: Stabat iuxta crucem Iesu (Ioan. 19, 25); ad quae verba Billuart: «Stabat, inquam, non eiulans, non indecore se gerens, non exanimis humi iacens, aut inter astantium brachia collapsa» 3.

- 552 C. V.—Instat Secundina: Visne dicere, pater, virtutem patientiae moderari quoque dolores corporales?

Sol.—Aliud est dolor corporalis, aliud tristitia animi eiusdemque tristitiae signa. Non est in potestate nostra impedire ne consurgat dolor si comburimur, eoque maior sentiatur quo maior est combustio. Est tamen in potestate nostra impedire ne consurgat tristitia, saltem hanc

1 S. Thomas, l. c., 136, 5.

3 Silvius, l. c.

3 Billuart, l. c., tr. de mysteriis Christi, diss. 9, a. 2.

moderari tum animo latentem tum externis gestibus redundantem. Dolor ille est obiectum sensationis, quapropter potentiae cognoscitivae, id est sensus externi et sensus interni. Tristitia, contra, est obiectum potentiae appetitivae.

C. VI.— In hebdomadaria confessione Pater Cremen- 553
tius, octogenarius, se constanter accusat de impatientiae peccatis. Quod quidem permirum confessario videtur, qui putat hominem tot annorum nec communis virtutis nullis amplius subditum passionibus.

Sol.— Non est cur miretur confessarius: habet quaevis aetas passionem suam; passio autem senectutis, tristitia. Senem etenim multa mala seu incommoda circumveniunt; senes quoque vivunt in memoria et ideo ad impatientiam commoventur quia recordantur et bonorum quae habuerunt nec amplius habent et improbitatis praeteritae eorum a quibus modo despiciuntur; vetustus, denique, appropinquans ad finem vitae, magis cupit vivere, et videns se deficere, contristatur \ De cetero, peccatum impatientiae est tantum veniale (541).

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Tristari quod indigni honorentur, quod improbi praevaleant et ditescant (I, 280); Monialis tristata de assistentia ad chorum (II, 266); Femina tristata de bonis operibus non praeceptis (II, 267).

i S. Thomas, in *ad Titum*, c. 2, lect. 1.

DE TEMPERANTIA

I. POLLUTIO VOLUNTARIA

Doctrina.

Miscens utile dulci, apposuit divina providentia delectationem maximam actui in speciei conservationem ordinato ut hic actus a pluribus, melius atque frequentius fieret—plures etenim hominum imperfecti, quos sola honestas operis non movet dum agitur commune bonum, maxime si difficile—. Ideo secundum ordinem institutum divinitus non est actus venereus propter delectationem, at delectatio propter actum. Est igitur perversio ordinis ubi homo praecipue propter delectationem actum venereum ageret. Hinc luxuria dicitur: inordinatus appetitus delectationis venereae.

Speciei humanae conservatio innuit non modo generationem sed et educationem prolis. Luxuria quae prolis dumtaxat educationi obest dicitur secundum naturam et universaliter fornicationem | audit, vel simplicem vel

1 «Actui fornicario secundum se convenit ut homo non teneatur post coitum feminae commanere: cum per ipsum nullo vinculo ad hoc arctetur, inquantum fornicator est; et quantum est ex ipsa ratione fornicarii actus, non prohibetur quis ad quancumque aliam accedere. Ideo, quantum est ex se, est impeditivus convenientis educationis prolis, quae convenienter non fit nisi post coitum masculus feminae commaneat. Et consequenter secundum se est contra hominis bonum, et est peccatum. Unde

qualificatam—ob superadditam malitiam contra pietatem, contra iustitiam, contra religionem: incestum, adulterium, stuprum, raptum, sacrilegium—. Luxuria vero qua prolis impeditur generatio vocatur contra naturam et locum obtinet in bestialitate—ob deordinationem speciei—in sodomia—ob deordinationem sexus, saltem vasis—et in pollutione voluntaria—ob unius actus deordinationem.

555 Pollutio voluntaria—masturbatio, mollities, vitium solitarium, onanismus—, etsi minimum in peccatis consummatis luxuriae contra naturam, est peccatum mortale. Constat ex Scriptura: «Neque molles... regnum Dei possidebunt» (I Cor. 6, 10); «Manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria...; qui talia agunt regnum Dei non consequentur» (Gal. 5, 19 ss.). Agitur enim de frustratione finis quem primario natura intendit, boni communis seu propagationis speciei seu prolis generationis.

Induere quoque potest malitiam novam ex circumstantiis, v. gr. subiecti—si se polluit sacerdos, coniugatus—, sive obiecti—si fiat cum affectu fornicationis, adulterii—, complicitis—si fiat cum alio vel ab alio, ob scandalum vel cooperationem—, rei aut loci, denique—si cum sacrilegio reali aut locali.

quamvis aliquis fornicator diu post coitum commaneat mulieri, et iuvet ad prolis educationem, hoc non tollit quin actus fornicarius sit peccatum: quia per accidens est ut hic commaneat mulieri. Secundum se autem illi actui non convenit ut habeat fornicator feminae commanere: quia nulla est ipsius ad hoc facta obligatio. Et quia ut dicitur [3 *Contra Gentiles*, 1221, in actibus humanis consideratur rectitudo aut obliquitas a ratione secundum id quod illis convenit per se, non autem secundum illud quod sibi per accidens convenit; ideo absolute dicendum est actum omnem fornicarium malum hominis esse, utpote impeditivum finis ad quem per se et ex natura sua seminis emissio ordinatur, et esse peccatum, non obstantibus iis quae quandoque hunc actum in aliquo homine per accidens concomitantur» (Ferrariensis, in 3 *Contra Gentiles*, 122, η. II, 2).

At non differt specie contingat in viris aut in feminis, obtineatur uno modo aut alio.

Recens Pius XII: «Plenum exercitium (facultatis generativae), extra coniugalem copulam peractum, secum fert directum et indebite usurpatum eiusdem facultatis usum. In hoc eiusmodi indebito facultatis usu propria sita est intrinseca regulae morum violatio. Haudquaquam enim homo ius ullum exercendi facultatem sexualem iam inde habet, quod facultatem eandem a natura recepit. Homini nempe (secus ac in ceteris animantibus rationis expertibus contingit) ius et potestas utendi atque exercendi eandem facultatem tantummodo in nuptiis valide initis tribuitur, atque in iure matrimoniali continetur, quod ipsis nuptiis traditur et acceptatur. Inde elucet hominem, ob solam hanc causam quod facultatem sexualem a natura recepit, non habere nisi potentiam et ius ad matrimonium ineundum. Hoc ius tamen, ad obiectum et ambitum quod attinet, naturae lege, non hominum voluntate describitur; vi huius legis naturae, homini non competit ius et potestas ad plenum facultatis sexualis exercitium, directe intentum, nisi cum coniugalem copulam exercet ad normam a natura ipsa imperatam et definitam. Extra hunc naturalem actum, ne in ipso quidem matrimonio ius datur ad sexuali hac facultate plene fruendum»¹.

Casus primus.

Augurius, confessarius, valde benignus est cum adu- 556
lescentibus qui se accusant de pollutione. Legit etenim investigationem peractam scientificam ex qua constat pubertatis tempore plus quam 90 % iuvenum indulgere masturbation! tum ob peculiare aetatis instabilitatem et immaturitatem, tum ob vehementem impulsu sexua-

¹ Pius XII, allocutio de 19 maii 1956; AAS. 45 (1956), p. 472 sq.

lem indeliberate in ipsis excitatum ab inconscio dynamico, tum ob habitum inveteratum et involuntarium. Tam frequentes ceteroquin lapsus aliter, inquit, explicari nequeunt. Ideo mordicus tenet pollutionem, etsi obiective peccatum grave, carere, ut plurimum, penes iuvenes illa deliberatione et libertate quae ad culpam subiective gravem omnino exigitur. Libenter ergo patitur adulescentes pollutione inquinatos accedere, sine confessione praevia, ad S. Communionem.

Quid dicendum?

Solutio

557 Dolendum imprimis quod confessarius noster tam facilis sit in acceptandis conclusionibus psychologiae clinicae modernae quasi hae funditus everterent conclusiones philosophiae traditionalis \

Nemo negavit umquam instabilitatem et immaturitatem aetatis iuvenilis circumstantias esse minuentes culpae malitiam subiectivam. Non tamen inde sequitur adulescentes qui pollutioni indulgent a peccato subiective gravi eximendos: habent enim moralem sensum sat evolutum ut malitiam actus percipiant, saltem propter sensum et instinctum modestiae seu pudoris qui sponte, una simul cum pubertate, oritur. Investigationes illae scientificae confirmant puberes apprehendere masturbationem uti graviter malam. Hinc quod fideles eam in confessione patefaciant.

Nec constat impulsum sexualem aut inconscium dynamicum talem influxum penes puberes normales exercere ut hos usque ad masturbationem valeant impellere.

i Quoad hunc et duos sequentes casus debitor sum alumno meo cl. Kosnik, cuius dissertatio *The Imputability of Acts of Masturbation among Males* his nostris diebus pervulgata.

Passiones non erumpunt subito, sed gradatim; ordinarie igitur advertitur periculum peccandi et obligatio a peccato abstinendi; praecipue cum de peccato externo agitur, cui oportet plures facultates cooperentur *.

ipse habitus inveteratus, si quidem voluntarius fit penes illum qui medium nullum adhibet pro eius extirpatione seu corruptione, etiam quandiu perstat involuntarius esse non continuo influit in actum—saepe quis agit *cum* habitu potius quam *ex* habitu—; verum etiam cum influit, nondum est demonstratum eousque influere ut ei resisti nullo modo possit (cfr. I, 99 ss.).

Hinc quod Pius XII uti prorsus erroneam illorum re- 558
iecerit sententiam qui contendunt lapsus carnis tempore pubertatis non imputandos esse in gravia peccata, ac si passio destrueret libertatem pro imputabilitate necessa-

1 «Quandoque passio (antecedens) non est tanta quae totaliter intercipiat usum rationis. Et tunc ratio potest passionem excludere, divertendo ad alias cogitationes; vel impedire ne suum consequatur effectum, quia membra non applicantur operi nisi per consensum rationis. Unde talis passio non totaliter excusat a peccato» (S. Thomas, *Summa Theol.* I-II, 77, 7).—«Ce qui constitue l'homme, c'est principalement l'âme, forme substantielle de sa nature. C'est d'elle que découle en dernier lieu toute la vie humaine; en elle, s'enracinent tous les dynamismes psychiques avec leur structure propre et leur loi organique; c'est elle que la nature charge de gouverner toutes les énergies, pour autant que celles-ci n'aient pas encore acquis leur dernière détermination. De ce donné ontologique et psychique, il s'ensuit que ce serait s'écarter du réel que de vouloir, en théorie ou en pratique, confier le rôle déterminant du tout à un facteur particulier, par exemple à l'un des dynamismes psychiques élémentaires, et installer ainsi au gouvernail une puissance secondaire. Ces dynamismes peuvent être *dans* l'âme, *dans* l'homme; ils ne sont cependant pas l'âme, ni l'homme: Us sont des énergies, d'une intensité -Onsidérable peut-être, mais la nature en a confié la direction au poste central, à l'âme spirituelle, douée d'intelligence et de volonté, capable normalement de gouverner ces énergies. Que ses dynamismes exercent leur pression sur une activité, ne signifie pas nécessairement qu'ils la contraignent. On nierait une réalité ontologique et psychique, en contestant à l'âme sa place centrale» (Pius XII. alloc, d 13 apr. 1953; AAS. 45, 1953, p. 279).

riam'. Hanc Summi Pontificis damnationem debet Augurius noster prae mente habere, potioris certo auctoritatis quam modernorum psychologorum placita, ne putet commune quod est rarum et erigat in regulam quod est exceptio; ne permittat igitur ut sine praevia confessione accedant ad S. Mensam iuvenes qui indulxerunt masturbationi.

Frequentes nimis lapsus in hac materia noverunt quidem optime theologi catholici, cum et S. Augustinus iamiam dixerit: «Inter omnia Christianorum certamina sola duriora sunt praelia castitatis, ubi quotidiana est pugna, et rara victoria»². Aliter tamen explicarunt, inde nempe quod ad delectationes sensibiles magis proni iuniores³ et contra domesticum hostem prae ceteris incauti ac immuniti. Quot ex illis adulescentibus qui se obtulerunt investigationi, de qua Augurius loquitur, vitarunt occasiones peccandi, se munierunt oratione atque sacramentis, corpus macerarunt sobrietate et ieiunio? Sine huiusmodi tamen armorum protectione facile superamur.

Alii casus.

559 C. II — Putat Marotas, confessarius, masturbationem penes impuberes a peccato gravi vacare ut plurimum,

¹ «Il comandamento divino della purezza dell'anima e dei corpo vale senza diminuzione anche per la gioventù odierna. Anch'essa ha l'obbligo morale e, con l'aiuto della grazia, la possibilità di conservarsi pura. Resplngiamo quindi come erronea l'affermazione di coloro, che considerano inevitabili le cadute negli anni della pubertà, le quali cost non meriterebbero che se ne faccia gran caso, quasi che non siano colpa grave perché ordinariamente, essi aggiungono, la passione toglie la libertà necessaria, affinché un atto sia moralmente imputabile» (Pros XII. nuntius radioph. *De Conscientia Christiana in iuvenibus recte ef/armanda*. d. 23 mart. 1952; AAS, 44 [1952], p. 275).

« S. Augustinus, sermo 293; PL 39. 2302.

¹ S. Thomas, *Summa Theol.*, I-II, 32, 7, 2m.

cum hi subsint impulsui sexuali neque gaudeant advertentia plena intellectus et perfecto consensu voluntatis.

Sol.—Imprimis impulsus sexualis non est, communitus, evolutus penes impuberes. Si qui illum impulsum praemature subeunt, admittamus in his oportet imputabilitatis deminutionem aliquam, non tantam attamen ut cunctas impuberum masturbationes vel potiore ipsarum numerum immunes pronuntiemus a mortali peccato. Plena enim intellectus advertentia ibi iam habetur ubi intellectus, sui utique compos, apprehendit, saltem in confuso, aut suspicatur gravem actus malitiam; qui hanc advertentiam consensus sequitur dicitur perfectus (cf. I, 294 ss.). Porro impuberes malitiam illam gravem suspicantur satis et apprehendunt inde saltem quod parentum atque superiorum percipiunt animum actionibus huiusmodi plane adversum. Praxis, ceteroquin, Ecclesiae debuit ipsa Marotam revocare ad meliores sensus. Nam Ecclesia agnoscit parvulis cum pertingunt ad rationis usum libertatem sufficientem pro baptismo petendo (can. 745); pollentes ergo libertate pro amplectenda (forsan atque mutanda) religione, cur eos diceres incapaces peccati mortalis? Sed et Ecclesia, ad confessionem annuam dum urget post completum (circiter) septennium, satis superque innuit adesse ut plurimum impuberibus illam advertentiam atque consensum pro peccato mortali requisita—lex enim fertur communitati et ideo ad communiter contingentia; peccata autem venialia non sunt confessionis materia necessaria.

C. III.—Quoad vitium solitarium valde benignus est 560
Adelphus parochus cum viris recens viduis immo atque coniugatis ab uxore loginquis. Ait etenim hos omnes assuetos esse coniugali copulae et ideo subiacere concupiscentiae impulsui irresistibili.

Sol.—Hic impulsus, etiamsi abnormalis, non est irre-

sistibilis. Plena maturitas iam permittit adultos, uti plurimum, dominari passionibus, sic ut etiam concupiscentia quae invaluit matrimonii usu ordinarie solitarium vitium excusare nequeat a peccato gravi. D. Thomas scripserat: «Passio appetitus sensitivi movet voluntatem ex ea parte qua voluntas movetur ab obiecto: inquantum scilicet homo aliquo modo dispositus per passionem, iudicat aliquid esse conveniens et bonum, quod extra passionem existens non iudicaret. Huiusmodi autem immutatio hominis per passionem duobus modis contingit. Uno modo, sic quod totaliter ratio ligetur, ita quod homo usum rationis non habet: sicut contingit in his qui propter vehementem iram vel concupiscentiam furiosi vel amentes fiunt... Aliquando autem ratio non totaliter absorbetur a passione, sed remanet quantum ad aliquid iudicium rationis liberum. Et secundum hoc remanet aliquid de motu voluntatis... Et sic aut motus voluntatis non est in homine, sed sola passio dominatur: aut, si motus voluntatis sit, non ex necessitate sequitur passionem»

561 C. IV.—Utrum licita sit masturbatio directe procurata, ut obtineatur sperma, quo contagiosus morbus *Zenorrhagia* detegatur et, quantum fieri potest, curetur?

Sol.—S. Officium respondit (2 aug. 1929): Negative (Denz. 2201). Quam responsionem Pius XII, saltem bis¹, non ad detegendum curandumque morbum illum limitat sed in quemcumque extendit alium finem masturbatio ordinetur. Unde adiecit: «Iidem actus tunc quoque respondendi sunt, cum graves rationes eos a culpa eximere videntur, uti sunt: remedia iis praestanda qui nimia nervorum intentione vel abnormibus animi spasmis laborant; me-

¹ S. Thomas, 1. c., 10, 3.

² Pius XII. allocutiones d. 8 oct. 1953 (AAS, 45 [1953], p. 673 ssj et d. 19 mali 1956 (AAS, 48 [1956], p. 467 ss.).

dicis peragenda, ope microscopii, spermatis inspectio, quod venerei vel alius generis morbi bacteriis infectum sit; diversarum partium examen, ex quibus semen ordinarie constat, ut vitalium spermatis elementorum praesentia, numerus, quantitas, forma, vis, habitus aliaque id genus dignoscuntur» x.

Iam pridem Gonet: «Mollitiem seu pollutionem voluntariam, etiam in casu extremae necessitatis (puta cum necessaria est ad salutem vel vitam tuendam) non licere, communiter docent Theologi, et patet exemplo plurimum virorum illustrium et piorum, qui mori maluerunt, quam seminis effusionem, ex cuius retentione mors imminebat, per pollutionem, vel per copulam procurare» 2.

C. V.— An liceat pollutione voluntaria vel copula onanistica semen obtinere quod inde in uxoris uterum artificialiter immittatur. 562

Sol.— Negative. Nam ad quaestionem: «An adhiberi possit artificialis mulieris fecundatio», S. Officium respondit (24 martii 1897): «Non licere»³. Agebatur enim in quaestione de inseminatione artificiali proprie dicta, semine videlicet obtento mediis illicitis, quae non iustificantur ideo quod per artem illud semen ad uxoris uterum pertingat.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Excitatio sexualis involuntaria noxi augenda (I, 111); Ignorans malitiam masturbationis (I, 178-80); Pollutionem nocturnam putans peccatum (I, 184); Multiplicatio pollutionum (I, 224).

1 Pius XII. in hac altera allocutione (p. 472).

2 Gonet, *Clypeus Theol. Thomist.*, diss. de conscientia probabili, a 3. n. 72. ed. 1876, vol. IV. p. 104.

3 Batzill, *Decisiones S. Sedis de usu et abusu matrimonii*, p. 26. ed. 1.

II. IRACUNDIA

Doctrina

563 Iracundia dicitur communiter inordinatus appetitus vindictae. Adest autem inordinatus huiusmodi appetitus si quis appetat eum puniri qui non meruit poenam, aut puniri plus quam meruit, aut puniri quidem iuxta meritum sed vel ordine indebito—utputa privata auctoritate dum recursus ad publicam possibilis—vel non in finem debitum—emendationem delinquentis, immunitatem propriam, compensationem iustam aliorum—. Adest quoque inordinatus appetitus si irae passio ferveat immoderate intus aut extra.

Iracundiae malitia ex appetitu iniustae vindictae est gravis ex suo genere, quamvis materiae parvitatem admittat. Iracundiae vero malitia ex modo quo quis irascitur aut prodit iram hac caret gravitate; quam induit attamen ob magnum scandalum alienum et ob notabile nocumentum valetudinis propriae.

Iracundiae peccatum opponitur directe mansuetudini, quae virtus moralis est subiciens appetitum rationi ac minuens passionem irae usque ad rationis normam. Mansuetudinis virtus venit pars potentialis temperantiae: refrenationem etenim quam haec facit in materia freno magis adversa, facit illa in materia freno minus contraria. At quatenus moderatur irae passionem, iudicium rationis impediens, mansuetudo servat hominem sui compotem, et sic habet excellentiam quandam in virtutibus; quin propterea sit in his potissima: nam melius est facere bonum quam elongari a malo, sed hanc unam remotionem mansuetudo causât.

564 Et iram quidem interdum esse licitam et laudabilem colligitur ex verbo «Iracimini et nolite peccare» (Ps. 4,

5; Eph. 4, 26); patet quoque ex exemplo Domini (Mc. 3, 5; Ioa. 2, 15). Ratione quoque ostenditur: Irae siquidem passio, cum nihil dicat nisi appetitus sensitivi motum in vindictam, malum non nominat morale secundum suam speciem, id est ex proprio obiecto; unde vindicta potest appeti confonniter ad rationem, prout videlicet in bonum ordinata—peccantis, offensi, ceterorum—continetur intra mensuram debitam.

Sicut passiones reliquae, ira distinguitur antecedens, consequens ex redundantia et consequens ex electione. Antecedit, actum scilicet voluntatis, in eo qui iratus provocatur ad rixam; consequitur ex redundantia in eo qui rixam agens irascitur; consequitur ex electione in eo qui rixae cupidus semetipsum excitat ad iram, qua reddatur animosior atque validior. Sed actus moralitatem, dum passio per redundantiam consequens non tangit, minuit passio antecedens—utpote quae obnubilat iudicium rationis dirigens actum—et amplificat passio consequens per electionem—cum importet rationis fines latius productos.

Passio igitur irae, si iudicium rationis antecedit, periculo non vacat: facile namque exaggerat offensam, ideoque et poenam; facile quoque iratus obliviscitur modi quem oportet hominem servare in executione iustae vindictae. Etiam dum manet intra rationis limites, deminuit bonitatem moralem actus: «laudabilius enim est quod ex iudicio rationis aliquis faciat opus caritatis, quam ex sola passione misericordiae» 565

Verum passio irae consequens electionem facit ad perfectionem actus humani: sicut namque melius est bonum exsequi quam bonum velle, ita melius est in boni executione plures quam pauciores potentias cooperari; prout etiam exterior actus protrahit et intendit interiorem, sic

» S. Thomas, *Summa Theol.*, I-II, 24, 3, Im.

bonam voluntatem passio protrahit et auget. Unde D. Thomas: «Passio irae utilis est, sicut et omnes alii motus appetitus sensitivi, ad hoc quod homo promptius exsequatur id quod ratio dictat. Alioquin, frustra esset in homine appetitus sensitivus: cum tamen *natura nihil jaciat jrustra*.»

Passio irae igitur, dum consequitur ex electione, non minuit sed auget iustae vindictae bonitatem. Sed quoniam accipitur uti instrumentum iustae vindictae, ira debet esse moderata. 7

Casus primus.

566 Ad Placidum confessarium Edmundus ludimagister accedit eique, inter alia, narrat se valde proclivem esse ad iram nec posse, nisi velit scholae disciplinae valedicere, istiusmodi vitium plene compescere, cum eius animi tranquillitate alumni facile abutantur.

Cui Placidus benigne respondet haud esse illicitum illi altius quandoque in alumnos intendere vocem atque verbis eosdem castigare, modo tamen tranquillum animum servare valeat. Cui ille: «Ecquid hoc possibile est?» Ac Placidus: «Utique, respondet, virtus huc tendere debet».

An recte Placidus responderit.

Solutio

567 Agitur de ludimagistro valde proclivi ad iram. Quaestio propterea de ira antecedente. Haec ira non est peccatum; forsitan et erit instrumentum utile ad scholae disciplinam servandam. Non est igitur necessarium hanc iram Edmundum penitus compescere; quamvis oporteat

I Id., ib., II-II, 158, 8, 2m.

eam frenare ne procedat ad vindictam immoderatam, vociferationem indecentem, reprehensionem inopportu-
nam. Placidus ei remedia inspiret: caritatem, considera-
tionem inconsiderationis alumnorum—propter horum
aetatem immaturam—ut sic iniuriam parvipendat et
oblivioni tradat; meditationem etiam malorum quae ex
ira sumunt initium |; memoriam quoque patientiae Dei
et mansuetudinis Christi; atque semel et iterum ei pro-
ponat beatitudinem mitibus promissam: «Beati mites,
quoniam ipsi possidebunt terram» (Mt. 5, 4). Sic paulatim
ipsum perducet ad animi servandam tranquillitatem qua
reddatur dominus suiipsius; in hunc etenim finem virtus
tendere debet.

Si res e contra agitur de passione irae consequente 568
electionem, tunc Placidus respondit minus recte, quasi
virtus etsi perfecta peteret illum tranquillum animum.
Dicit etenim D. Thomas: «Illi qui habent virtutes pur-
gati animi—viri nempe perfecti—, sunt aliquo modo im-
munes a passionibus inclinantibus in contrarium eius
quod eligit virtus, et iterum a passionibus inducentibus
voluntatem; non autem a passionibus voluntatem conse-
quentibus» 2. Et Caietanus: «Motus passionis irae non
ministrat voluntati et rationi rectae in actu consilii, iudi-
cii, praecepti aut electionis... Sed ministrat irae motus
actui executionis eius quod electum, praeceptum, iudi-
catum consultumque est... Et hinc fit ut hi qui non sunt
executivi vindictae, sed solummodo consilarii, iudices
seu censores, non egeant ira. Et de istis verificatur stoica

| Ex ira namque: a) prout est in corde, oriuntur *indignatio* in eum
qui, indignus, attulit iniuriam, et *tumor mentis* penes iratum ipsum qui,
cogitans vindictam, totum suum animum cogitationibus mediorum se vin-
dicanti replet: b) prout in ore, procedunt clamor quo loquens prodit iram
inordinata et confusa locutione, *blasphemia* et *contumelia* quibus ex ani-
mi commotione prorumpit in iniuriosa verba contra Deum et proximum:
c) prout in facto denique seu opere, *rixae* nascuntur, omnia scilicet no-
cumenta quae iratus infert alteri.

» S. Thomas, 26 de veritate, 7. 6m.

sententia, quod debent esse sicut leges, quae nulla passione commoventur. Sed illi qui sunt exsecutivi vindictae, verbo (ita quod ipsa reprehensio sit castigatio) aut facto, egent motu irae subministrante voluntati vindicanti, alioquin voluntas remissa est» *

Alii casus.

569 C. II.—Piperion, parochus, praedicat continuo contra iram, nec modo antecedentem, verum et consequentem, quod utraque videlicet causet magnam illam transmutationem corporalem de qua Seneca: «Ut furentium certa indicia sunt audax et minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietae manus, color versus, crebra et vehementius acta suspiria, ita irascentium eadem signa sunt: flagrant ac micant oculi, multus ore toto rubor exaestuante ab imis praecordiis sanguine, labra quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitus mugitusque et parum explanatis vocibus sermo praeruptus et complosae saepius manus et pulsata humus pedibus et totum concitum corpus magnasque prae se minas gerens, foeda visu et horrenda facies depravantium se atque intumescantium. Nescias utrum magis detestabile vitium sit an deforme» -.

Sol.—Ad haec Caietanus: «Sicut, absque malitia morali, actus exteriores, puta ambulatio, motus manuum et corporis in bello et in variis exercitiis, fiunt cum ampliori motu quam esset naturalis, et cum laesione corporis; ita absque morali malitia eligitur praeternaturalis motus

1 Caietanus, in II-II, 158, 1.

2 Séneca, *De ira*, I, 1.—Etiam S. Gregorius (5 *Moralium*, c. 45; PL 75. 724) dixit: «Irae suae stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se praepedit, facies ignescit, exasperantur oculi, et nequaquam recognoscuntur noti. Ore quidem clamorem format, sed sensus quid loquatur Ignorat».

cordijB per actus appetitus sensitivi, pro aliquo opportuno exercendo, puta pro vindicta, pro compassione, etc.»¹.

C. III.—Evilasius ab iracundia qualibet deterret quot- 570
quot ei accedunt paenitentes quoniam ira, etiam consequens, rationem turbat, cuius igitur impedit iudicium.

Sol.—Iamiam D. Thomas: «Non est contra rationem virtutis ut intermittatur deliberatio rationis in executione eius quod est a ratione deliberatum. Quia etiam ars impediretur in suo actu, si dum debet agere, deliberaret de agendis» Et alibi: «In opere virtutis est necessaria electio et exsecutio. Ad electionem autem requiritur discretio; ad executionem vero eius quod iam determinatum est, requiritur promptitudo. Non autem requiritur multum ut homo actualiter in executione operis existens multum circa opus meditetur: hoc enim, ut Avicenna dicit in sua Metaphys., potius officeret quam prodesset; sicut patet in cytharaedo, qui multum impediretur, si ad tactum singularum chordarum cogitationem apponeret; et similiter scriptor, si in formatione singularum litterarum cogitaret. Et inde est quod passio electionem praeveniens impedit actum virtutis, in quantum impedit iudicium rationis, quod necessarium est in eligendo; postquam vero puro iudicio rationis iam electio est perfecta, passio sequens plus prodest quam noceat: quia si in aliquo turbet iudicium rationis, facit tamen ad promptitudinem executionis»³.

C. IV.—Hermanns, animi incandescentis, et irae impotens, 571
blasphemias et imprecationes in omnibus sermonibus et negotiis miscere solet, modo uxorem, modo filios, modo alios domesticos vel operarios increpando,

¹ Caietanus, in I-II, 24, 2.

² S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 158, 1, 2m.

³ Id., 26 *De verit.*, 7, 3m.

obiurgando, conviciis et nominibus probrosis lacescendo. Si solus sit, irascitur in seipsum, vel contra animalia, aut operum instrumenta, quae cunctis devovet diabolis. Confitendo autem tempore paschali dicit tantum: Aliquoties iracundus fui et signa impatientiae dedi.

Sol.—Ad hunc casum Ferreres: «Ambigendum non est quin Hermanns saepius peccati mortalis reus evadat, propter blasphemias in Deum, vel imprecationes in homines. Neque propter consuetudinem iracundiae excusandus est, quippe qui consuetudinem voluntariae fovet, quin eam imminuere et eradicare conetur. Hinc patet quantum Hermani confessio imperfecta site h

572 *C. V.*—Zanitas, cum peccatum sincere abhorreat, magnam difficultatem experitur in determinando quaenam ira sit moderata; ideo petit a confessario num moderata sit idem ac tenuis, quapropter iram magnam dicendam esse illicitam.

Sol.—Moderata est ira pronuntianda quae servat proportionem ad finem, media scilicet inter iram insufficientem et iram nimiam. Quapropter ira moderata non est idem ac tenuis, quasi magna quaecumque ira terminos excedat moderaminis. Agitur medium rationis, quod liquido differt a medio rei.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Qui in parochum iratus negavit fidem publice (I, 89-91); Nomen Dei vel sacrorum proferens ex ira in creaturas (II, 150).

III. HUMILITAS

Doctrina.

Prout temperantia moderamen ponit appetitus motibus circa multum appetibilia, sic refrenat humilitas appetitus tendentiam usque ad ardua quae minus appetuntur, ne in haec praeter rationem appetitus tendat. Est igitur virtus moralis qua homo, conscius proprii defectus, non tendit in ea quae sunt sibi improporcionata, sed intra proprios limites se continet. 573

Etsi praesupponatur penes humilem cognitio proprii defectus, in hac tamen cognitione humilitas non sistit: est enim virtus moralis, perficiens appetitum. A fortiori non consistit in exterioribus actibus quibuscumque, hi licet veniant opportuna media ipsam acquirendi atque significandi. Quem ad modum ergo spe voluntas nostra erigitur ad salutem aeternam obtinendam, divino nixa quod paratum novimus auxilio (II, 169), sic humilitate voluntas deicitur ad ima et prohibetur ad alta tendere ex cognitione miseriae quam ratio apprehendit et voluntas benigne suscipit apprehensam.

Quoniam inter virtutes praestant theologicae, intellectuales etiam praestant prae moralibus, in his denique iustitia occupat primum locum, humilitas non est potissima virtutum. Si tamen ordinatam congregationem virtutum velimus comparatam aedificio, humilitatem dixerunt plures omnium virtutum fundamentum, pro quanto ipsamet aufertur obstaculum maximum seu praecipuum accessui hominis ad Deum, qui superbis resistit et humilibus confert gratiam (Iac. 4, 6; I Petri 5, 5). Hinc S. Augustinus: «Magnus esse vis, a minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis. Et quantam quisque vult 574

et disponit superimponere molem aedificii, quanto erit maius aedificium, tanto altius fodit fundamentum... Sed quia magnum fastigium est, de fundamento cogita. Quo, inquis, fundamento? Disce ab illo, quoniam mitis est et humilis corde. Hoc in te fode fundamentum humilitatis, et pervenies ad fastigium caritatis» x.

575 Debemus, primo, per humilitatem nos subicere Deo. In ordine namque naturae a Deo accepimus corpus, animam, vires corporis, animae potentias, ipsam quoque motionem qua huiusmodi facultates traseunt in actum. In ordine praecipue gratiae, in qua regeneratio est gratuita et virtutes infunduntur gratis et transitus potentiae in actum meritorium actuali gratiae debetur; adeo ut S. Augustinus iure dixerit: «Cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronet quam munera sua» 1. Sed et perfectio quaevis in nobis sit a Deo distat in infinitum a perfectione Dei. Oportet igitur nos, oculum fixum habentes in divina perfectione et largitate, desilire in parvitatem propriam, in proprios defectus, in nihilum nostrum; et propterea contentos esse illas explere partes quas divina Providentia cuique signavit.

576 Debemus, insuper, per humilitatem nos subicere ceteris hominibus propter Deum. Nam debemus considerare in omni homine quod divinum in ipso est—utputa in sanctis, gratiam; in peccatoribus, imaginem—. Porro quae a nobis nostra sunt multo inferiora veniunt iis quae ceteris a Deo descendunt; propter divinam igitur reverentiam debemus nos reverentialiter submittere coram nobis proximo. Unde Angelicus: «In quolibet invenitur aliquid ex quo potest aliquis eum superiorem reputare: secundum illud *Philipp. 2* [3]: *In humilitate superiores invicem arbitrantur*. Et secundum hoc etiam omnes se

1 S. Augustinus, *sermo* 69, c. 2 sq.; PL 38, 441 sq.
» Id., *epist.* 194; PL 33, 880.

invicem debent honore praevenire» At possumus praeferre dona quae habemus ipsi a Deo donis quae sunt ceteris cum a Deo tum maxime a seipsis. Unde et Paulus, qui se dixerat Apostolorum minimum, quoniam persecutus fuerat ecclesiam Dei (I Cor. 15, 9), nervose adiunxit: «Abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem sed gratia Dei mecum» (ib., v. 10).

Humilitati opponitur superbia, qua quis appetit excellentiam nimiam, improportionatam nempe dignitati propriae. Et sicut appetitui propriae excellentiae apponit humilis modum sublectionis ad Deum, sic apponit superbus immoderantiam aspernentem sublectionem divinam. Ex hoc autem contemptu procedit ut contemnat et praecepta Dei et sibi proximos quantum ad id quod Dei in ipsis est—quem ad modum ex reverentia in Deum humilis bene subditur et mandatis divinis et omni homini propter id quod divinum est in superioribus, aequalibus, inferioribus. 577

Casus primus.

Nixus quadam sententia, quae S. Teresiae abulensi tribuitur et ad quam «humilitas veritas est» 2, Sisinius intellegere nullo modo potest hominem, virtute donatum humilitatis, revera se aestimare inferiorem ceteris, quasi esset minoris ingenii, minoris sanctitatis, etc. Aliud, inquit, est verbis vel gestu id profiteri—quo valet quis gratus aliis fieri, eorum parvitati aut excellentiae condescendens—; aliud autem se ipsum quod verbis vel gestu profitetur interne quoque credere. 578

1 S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II. 103, 2, 3m.

* «La humildad es andar en verdad» (Santa Teresa de Jesûs, *Moradas*, VI, 10).

Solutio

579 Quod quis minora dicat de seipso iis quae se habere novit, fieri potest salva veritate—dicens se habere qualitates bonas ut 10, eas habens ut 15, veritati certo non praeiudicat, nam in altero numero primus includitur—, et potest fieri cum veritatis corruptione—quoniam aut negat se habere bonum quod habere est persuasus, aut asserit se habere malum sive vile quod longe a se cognoscit—. Hoc altero modo peccat vitio ironiae, veritati sive veracitati contrario¹. Ideoque si humilitas est veritas, nec hoc pacto probare possumus humilem qui, ne aliis onerosus fiat, se dicit minoris sanctitatis, minoris ingenii, etc.

Alia igitur via procedendum est.

Demissio namque hominis coram homine non procedit ex hoc quod humilis se habeat minorem vel peiorem alio comparatione mutua instituta in eodem ordine, naturali aut supernatural!, creaturae aut divino; aliis verbis, ideo quod humilis se reputet minoris ingenii, minoris sapientiae, minoris sanctitatis, minoris meriti quam alius cui se comparat. Sed comparatio est instituta in diversis ordinibus, naturali et supernatural!, creaturae et divino. Porro vilescit perfectio qualiscumque participata ab homine si comparatur perfectioni cumulatissimae quae fontali principio convenit Deo, et vilescit perfectio naturalis comparata supernatural! perfectioni; et vilescit sapientia nostra theologica cum illa quae D. Thomae fuit comparata.

580 Sed in illa quoque comparatione prima aliter procedit humilis quam superbus. Novit etenim quae bona in aliis sunt non statim cuilibet innotescere; novit et mala quae innotescunt carere saepius malitia et gravitate obviis

¹ S. Thomas, l. c., 113, 1.

veloci aspectui. Quotquot minores forte videntur cogitat humilis habere qualitates arcanas maioris pretii, meliorem in divino servitio voluntatem, promptiorem inspirationibus ex alto famulatum; cumulum etiam donorum naturalium et supernaturalium sibi largitum redditurum in aliis fructum prae illo copiosum quem reddidit in ipso. Quae dubia forsitan remanent, interpretatur in meliorem partem—prout postulat non modo caritas, ipsa forte iustitia \

Nec latet humilem quam sit defectuosum critérium quo mensuramus ceteros. His etenim iudiciis praecedunt et praesunt praeiudicia, orta ex temperamento, educatione, patria, consuetudine, etc. Quae quidem, si in cognitione speculativa non parvi sunt momenti, maximi sunt profecto in cognitione practica. His omnibus praeiudiciis valedicendum est si cupimus iudicium rectum, humilitati et veritati consonum. Cum tamen illorum abdicatio perdifficilis, sapienter diffidit humilis de benignis sibi sententiis.

Alii casus.

C. II.—Legens vitam D. Thomae vehementer Pontius 581 stupuit quod sapientissimus ille Doctor, post visionem habitam in festo S. Nicolai anno 1273, cum excitaretur a Fratre Reginaldo ad complendam *Summam Theologiae*, id facere renueret, dicens omnia quaecumque scripserat nihil esse praeter paleam. Quomodo poterat D. Thomas. Pontius inquit, sic sincere sentire de suis scriptis et maxime de scripto suo praecipuo?

Sol.—Deponat Pontius hunc suum stuporem. Cogitet rusticum, qui nihil antea viderat nisi tuguria, ingressum modo civitatem atque palatium regium; qua aestimatione habebit pagi aedicula? Cogitet S. Paulum raptum in

1 S. Thomas, l. c., 60, 4.

paradisum et audientem arcana verba quibus non erant aures assuefactae. Exinde non mirabitur si sublimis quoque divinorum cognitio viae in infinitum distat a patriae cognitione nonnullis Sanctis anticipata in terris. Ipse D. Thomas affert dictum Victoriae Antioch., legem naturalem comparantis herbae, mosaicam spicis, novam autem frumento ¹; si naturae lex novae collata redigitur ad herbam, quid mirum si praegustatus caeli visionem aestimet quasi paleam ² vel praestantissimam huius vitae divinorum notitiam?

C. III.—Troadius, dum *Acta Sanctorum* pervolvit, capere non potest quod nonnulli qui numquam amiserunt gratiam in infantili aetate per baptismum receptam se sincere putarent peccatores maximos.

Sol.—Troadius propterea haec verba nequit capere quod ea sumit obvio illo sensu quo communiter ab hominibus proferuntur: quo quidem sensu non proferebantur a Sanctis illis: alias nec ausi fuissent ad S. Communionem accedere, peccati gravis conscii. Sensus igitur alius. Illi etenim Sancti examinantes coram Deo proprii cordis arcana, fide vivida, caritate incensa, corde contrito et humiliato, comperiebant in vita sua, praesertim anteacta, quasdam imperfectiones nondum consumptas divini amoris igne, nonnullas neglegentias in sectandis inspirationibus ex alto; et comparantes haec omnia cum beneficiis naturae et gratiae quibus fuerant divinitus cumulati, dolebant de propria erga Deum ingratitude; perpendentes quam magna receperant a Deo et quam modicam retributionem dederunt Ei, nihil mirum si oculorum aciem tenentes in suis defectibus collatis cum Dei bonitate et perfectione, tangerent distantiam infinitam; quid insoliti si sub hac impressione seipsos peccatores

¹ S. Thomas, 1. c., I-II, 107, 3.

² Sed «palearum est idem semen cum tritico» (Id., in *Mt.*, c. 3, lect. 1).

maximos et credunt et pronuntiant? ¹. Loquimur homines de milio magno atque de monte parvo; porro si milium magnum videtur nihil iuxtapositum monti parvo, cui erit simile ubi altissimo monti comparetur? Stans in medio fluvio navicula navis est; in medio attamen mari, nucula. Ideo Isaias: «Quasi pannus menstruatae, universae iustitiae nostrae» (Is. 64, 6).

C. IV.—Non sine scandalo Corbinianus audit de quibusdam sanctis episcopis quod si, ex una parte se profitebantur episcopatu impares, ex altera tamen episcopatum acceptarunt. Quo pacto, petit, unus idemque homo potest simul humilis dici atque magnanimus? 583

Sol.—Respondet D. Thomas: «In homine invenitur aliquid magnum, quod ex dono Dei possidet; et aliquis defectus, qui competit ei ex infirmitate naturae. Magnanimitas ergo facit quod homo *se magnis dignificet* secundum considerationem donorum quae possidet ex Deo; sicut si habet magnam virtutem animi, magnanimitas facit quod ad perfecta opera virtutis tendat. Et similiter est dicendum de usu cuiuslibet alterius boni, puta scientiae vel exterioris fortunae. Humilitas autem facit quod homo seipsum parvipendat secundum considerationem proprii defectus» ². Quem ad modum consideratio haec duplex contrarietatem nullam importat—habet enim diversa obiecta—, sic nec quae iudicia consequuntur sunt contraria—procedunt enim ex motivo diverso—. Simul ergo magnanimus et humilis episcopatum commissum acceptabit, timens attamen ne debilis cum sit sub onere deficiat; aut episcopatum oblatum recusabit, paratus autem ut Dei fretus auxilio id acceptet si imponitur.

C. V.—Alexander, noviciorum magister, his humilita- 584

¹ Cf. Balmes, *Cartas a un escéptico*, XHI.

² S. Thomas, l. c., II-II, 129, 3, 4m.

tem enixe inculcat. Haeret attamen anceps cum agitur de mediis ad tantam virtutem obtinendam, nam legit S. Benedictum signasse humilitati gradus duodecim, et nescit a quo incipiat.

Sol.— Cum ordo generationis a facilioribus initium sumat, actus autem externos facilius moderemur quam passiones, facilius etiam homo rectificetur in seipso quam per ordinem quoque ad alios, facilius denique se agnoscat in inferiorem quibusdam et imparem aliquorum quam se agnoscat defectuosum et peccatorem, ideo gradus quos S. Benedictus «non numerandos sed ascendendos proposuit»¹ ita sunt generationis ordine superandi: 1us. reprimere extollentiam oculorum; 2us. non excedere modum in loquendo; 3us. cohibere signa laetitiae ineptae; 4us. expectare tempus loquendi; 5us. non recedere a communi vitae consuetudine; inde 6us. non se praefere maioribus; 7us. non se putare sufficientem ad maiora; 8us. se defectuosum et peccatorem pronuntiare; postea 9us. patienter ferre adversa; 10us. oboedire superioribus; 11us. malle sequi voluntatem alienam quam propriam. His gradibus, seu actibus, elicitis ab aliis virtutibus homo disponitur remote et proxime ad obtinendam humilitatem quae consistit essentialiter in gradu 12.^o, qui est timor et reverentia ad Deum.

585 C. VI.— Valde turbatur Metrobius, confessarius, quoties paenitentes se accusant de peccatis superbiae. Novit siquidem superbiam peccatum pronuntiarum mortale ex toto genere et nescit quo pacto illos excuset a mortali ex capite imperfectionis actus.

Sol.— Prout humilitas essentialiter in timore et reverentia ad Deum, sic superbia essentialiter in eo est quod quis renuat subici Deo; sed aspernere divinam sublectionem, dicit iniuriam Deo; ergo et peccatum grave. At illa

¹ S. Bernardus, *De gradibus humil.*, etc., c. 1; PL 182, 941.

quae, uti plurimum, paenitentes peccata superbiae confitentur, sunt, potius quam peccata contra humilitatem, peccata opposita illis actibus quibus ad humilitatem ascenditur, quaeque peccata diximus contra alias ab humilitate virtutes (584) et quae veniunt quoque humilitatis redundantia, consequentiae, signa—ita et vita activa disponit ad contemplativam¹ et descendit ex contemplationis plenitudine -. Ideo superbia, quae ordine naturae, est initium omnis peccati (Eccli. 10, 15), ordine tamen generationis potest venire terminus seu finis ceterorum . Hinc quod S. Bernardus signavit duodecim gradus superbiae oppositos² benedictinis humilitatis gradibus; hi sunt: curiositas, levitas animi, laetitia inepta, lactantia, singularitas, arrogantia, praesumptio, defensio peccatorum, confessio simulata, rebellio, libertas atque peccandi consuetudo—quae implicat Dei contemptum³

IV. STUDIOSITAS

Doctrina.

Prout naturaliter inclinamur ad conservationem cum 586
individui tum speciei, sic quoque ad ipsam individui perfectionem; minus attamen, nam ibi agitur *esse*, hic vero *bene esse*. At quandam perfectionem individuo cognitio affert; quapropter «omnes homines naturaliter scire desiderant»⁴. Prout oportet igitur virtutem esse ad mode-

¹ S. Thomas, l. c., 182, 4.

² Id., ib., 188. 6.

³ «Finis proprius superbiae, scilicet excellentia honoris et gloriae, est sicut terminus omnium huiusmodi finium, nam ex multitudine divitiarum, et ex hoc quod furitur quibusdam cupitis, potest homo adipisci honorem et gloriam» (S. Thomas, 8 *De malo*, 1, Im).

⁴ S. Bernardus, l. c., c. 10 sqq.; PL 182, 957 sqq.

⁵ S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 162, 4, 4m.

⁶ Aristoteles, I *Metaph.*, c. 1, n. 1.

randum appetitum delectationum tactus, sic quoque ad moderandum cognoscendi appetitum * Ideo ponitur studiositas pars potentialis temperantiae.

Studiositas tamen innuit, ex suo ipso nomine, potius quam desiderii cognoscendi frenum, applicationem mentis vehementem: in praesenti, siquidem statu corpus aggravat animam, et ideo oportet (uti plurimum) laborare ad sciendum. Porro naturaliter laborem fugimus. Quapropter nominat studiositas victoriam super naturalem fugam laboris, scientiae praevii². Prout fortitudo igitur habet animum roborare ne deficiat a rationis bono ob maximum malum corporale, seu ob mortis periculum, sic studiositas roborat animum et fortificat ne deficiat a studio cognitionis ob laborem sive taedium studii. Qua ex parte venit pars potentialis fortitudinis; indeque nominatur, quod frequentius habeat animum impellere quam frenare³.i

1 Etsi cognitio pertineat ad virtutes intellectuales, appetitus tamen cognitionis et studium seu applicatio et usus activus facultatum oognitivarum sunt voluntatis; ideo studiositas venit moralis virtus.

2 «Quantum ad cognitionem, est in homine contraria inclinatio. Quia ex parte animae inclinatur homo ad hoc quod cognitionem rerum desideret: et sic oportet ut homo laudabiliter huiusmodi appetitum refrenet, ne immoderate rerum cognitioni intendat. Ex parte vero naturae corporalis, homo inclinatur ad hoc ut laborem inquirendi scientiam vitet. Quantum igitur ad primum, studiositas in refrenatione consistit: et secundum hoc ponitur pars temperantiae. Sed quantum ad secundum, laus huius virtutis consistit in quadam vehementia intentionis ad scientiam rerum percipiendam: et ex hoc nominatur» (S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 166, 2, 3m).

3 «Proprius et immediatus illius actus est amor et affectus erga studium: huncque perficit, tum moderando ne plura vel altiora scire velit..., tum etiam impellendo et excitando appetitum ne propter laborem et fatigationem quae studio admiscetur, ab illo retrahatur, aut sufficientem diligentiam non adhibeat. Et quia hoc posterius plerisque accidit, nominata fuit praedicta virtus ab officio impellendi, potius quam ab officio refrenandi» (Salmanticenses, *Cursus Theol.*, tr. de virtut., arbor praed., n. 152; ed. 1878, t. 6. p. 499).

Sed quoniam studiositas ordinatur ad cognitionem, quam per se respicit appetitus—qui est animae—, cuique labor est impedimentum—ex parte corporis—, magis proprium est illi frenare quam impellere ¹; ideo adnectitur temperantiae potius quam fortitudini. 587

Cum moderetur atque roboret appetitum et studium cognitionis, duplex vitium studiositas habet contrarium: negligentiam, per defectum, atque curiositatem, per excessum.

Neglegentia definiri potest: voluntaria omissio studii illarum rerum quas quis cognoscere tenetur. Quamvis difficile demonstratur hominem obligari ad studium seu ad cognitionem acquirendam abstractione facta ab officio particulari vel statu, obligatio studii ex cuiusque officio vel statu petitur. Si quis attamen, independenter ab officio, fugeret studium veritatis propter unum laboris odium—studio intrinseci—, is peccaret contra solam studiositatem, ob negligentiam.

Curiositas importat nimium appetitum cognitionis, studium excessivum sive superfluum, mentis applicationem ad cognitionem rerum quibus non deberet applicari cognoscendis. Distinguitur materialis atque formalis. Materialis est curiositas qua quis studet cognitioni non propter cognitionem—ut sciat—sed propter opus—ut agat—, et, quoniam loquimur de vitio, ut male agat—studium malitiosum, quo cognitio appetitur ad malum finem, puta ad superbiendum, luxuriandum, nocendum aliis—. Formalis, contra, est curiositas qua quis studet cognitioni ob 588

¹ «Appetitus cognoscendi per se respicit cognitionem, ad quam ordinatur studiositas. Sed labor addiscendi est impedimentum quoddam cognitionis: unde respicitur ab hac virtute per accidens, quasi removendo prohibens» (S. Thomas, l. c.).—His adicito quod etsi plures cognitiones laborem importent huiusmodi, sunt tamen aliae quae laborem postulant nullum, uti illae quae, circa singularia maxime, ex narratione habemus amicorum, vel lectione superficiali folii periodici.

amorem cognitionis—quia vult scire—et dicit appetitum inordinatum, non ex parte finis, sed ex parte sive aliarum circumstantiarum sive obiecti. Ex parte quidem circumstantiarum v. gr. dum quis vacat studio impossibili cum opere praecepto—quando non debet, puta dum tenetur Missam audire—, vel studet addiscere a quo non debet—utputa a diabolo in consultationibus spiritisticis—. Ex parte obiecti, si studet cognitioni superiori viribus—v. gr. penetrationi mysteriorum fidei—, si studet cognoscendis his quae cognitae inclinant facile ad peccatum—v. gr. venereis—vel iis quorum cognitio prorsus inutilis—v. gr. protracta lectio foliorum periodicorum, quorum notitiae de factis huius aut illius, nobis omnino ignoti, nihil conferunt legentibus.

Casus pri^{us}.

589 Expleto cursu seminaristico, Dasius assignatus est vicarius cooperatores paroeciae civitatis. Sed tali appetitu sciendi succensus est ut quidquid temporis obtinet a ministerio liberum, totum studio dedicet, horis quoque somno et honestae recreationi dicendis. Quin propterea incumbat studiis ecclesiasticis; putat enim huiusmodi antiquata. Legit tamen atque perlegit profanos libros, tum litteraturae tum scientiae, quod hos existimet magis aptos apostolatui nostri temporis.

Ob id semel et iterum a paroco increpatur; qui videns nihil proficere, rem tandem committit eius conscientiae.

Solutio

590 Agitur de conscientia vincibiliter erronea quae, neque per se neque per accidens, est morum regula (I, 10). Dasius tenetur et cognoscere et exsequi Codicis praescri-

ptum: «Clerici studia, praesertim sacra, recepto sacerdotio, ne intermittant; et in sacris disciplinis solidam illam doctrinam a maioribus traditam et communiter ab Ecclesia receptam sectentur, devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam» (can. 129).

Seipsum quoque fallit vehementer.

Loquens Cicero de Oratoria, scripsit: «Ego hanc viam intellego esse in praeceptis omnibus, non ut ea secuti oratores, eloquentiae laude sint adepti, sed, quae sua sponte homines eloquentes faceret, ea quosdam observasse, atque id egisse: sic esse non eloquentiam ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum»¹. Idipsum de disciplina apostolatus pronuntiandum.

Ecclesia observavit quae sua sponte apostolici homines fecerunt, et haec postea imposuit sacerdotibus agenda. «Per viginti fere saecula, aiebat Pius XI, illustri praeclaroque modo experti sumus quantopere sacerdotum praecepta valeant, quibus ut sermo Dei vivus et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, fideliter remittitur ac quodammodo reverberatur, ita usque ad divisionem animi et spiritus pertingitur, ad egregia facinora ubique animi excitantur, ac nobilissimi spiritus omnibus iniiciuntur. Quaelibet beneficia, quae civilis Christiani nominis cultus in hominum societatem induxit, ex catholici sacerdotii institutione atque opera, tamquam ex remoto saltem eorum principio proficiscuntur. Id igitur bene in posterum sperare licet»².

Vigens ergo de studiis lex canonica firmatur longissima experientia. Imprudens ergo tiro qui ei praeponeret nondum comprobata opinionem

Studiis igitur ecclesiasticis Dasius intendat animum. 591
Ad rem ipse Pius XI: «Necesse est sacri ordinis virum

¹ Cicero, 1, *De oratore*, 32.

² Pius XI, enc. *Ad catholici sacerdotii*, 20 dec. 1935; AAS, 28 (1936), p. 17 sq.

omnes de catholica fide deque moribus disciplinas ita callere, ut easdem ceteris proponere queat, itemque dogmata, leges Ecclesiaeque cultum, cuius administer existit, christifidelibus explanare possit; atque adeo oportet religionis ignorantiam, quae—quamvis humanarum rerum scientia mirabiles prorsus processus fecerit—multorum tamen mentes obumbrant, eloquii sui luce virtuteque collustret atque dispellat... Sacerdos igitur, etsi sui muneris occupationibus curisque distentus, altiora pro viribus gravioraque Theologiae studia repetat, atque adeo illius adiumentis doctrinae, quam in Seminario hausit, uberiores cotidie addat sacrarum disciplinarum eruditionem, qua quidem magis magisque ad condonandum animosque regendos idoneus evadat» \

Aliud quodcumque studium erit fortasse bonum, quinimmo et utile; at eius bonitas, secundaria, eiusque utilitas, accidentalis.

Absque firmo, ceterum, fundamento spectabilis licet aedificatio patet ruinae magnae; sine studio assiduo doctrinae sacrae, apostolus nihil erit nisi «aes sonans, aut cymbalum tinniens» (I Cor. 13, 1).

A lii casus.

592 C. II.—Lea valde curiosa est de factis aliorum. Omnem enim occasionem quaerit ut noverit quid agant, quo properent, quibuscum fabulentur. Nonnullas etiam religiosas feminas curate observat quasi malum de eis suspicaretur.

Sol.—Carpenda omnino Lea quod eius ratione agendi se exponit detractio—quam enim mulierem silentium ornat?—, saltem proximorum despectui—quorum vitia detegat—; immo feminas religiosas, de quibus malum suspicatur, orbat tranquillitate animi necessaria ad virtutem. Unde Angelicus: «Quod aliquis intendit ad consi-

1 Pius XI. 1. c., p. 34.

deranda vitia proximorum ad despiciendum vel detrahendum, vel saltem inutiliter inquietandum, est vitiosum. Unde dicitur *Prov. 24: Ne insidieris et quaeras iniquitatem in domo iusti, neque vastes requiem eius*

C. III.—Sabel, filius familias, vacat amatoriiis fabulis⁹ 593 legendis; loco vacandi studio civilium legum quod ei, ex patris iussu, incumbit.

Sol.—Sabel peccat contra praeceptum patris, neglegens Iuris civilis; atque peccat se exponens duplici periculo, remoto, quidem, non accurate implendi, ob defectum scientiae, munus advocati vel iudicis futurum; proximo, etiam, peccandi contra sextum, cum illae fabulae, ob ipsarum vividas imagines, facile concutiant castitatem iuniorum (II, 451). Ad rem Angelicus: «Nobis melius est non cognoscere mala et vilia, inquantum per ea impedimur a consideratione aliquorum meliorum, quia non possumus simul multa intellegere et inquantum cogitatio malorum pervertit interdum voluntatem in malum» 2.

||

C. IV.—Gracilianus, sacerdos, multum temporis impendit auditionibus radiophonicis et transmissionibus televisivis; immo et lectioni foliorum periodicorum. 594

Sol.—Haec certo omnia, praeterquam avocant ab aliis curis et studiis debitis, facile dicunt penes sacerdotem appetitum inordinatum cognoscendi; nisi agatur etenim de necessaria utilive recreatione, tot nuntiorum congeries nihil omnino confert sacerdotali perfectioni et muneri.

C. V.—Gerinus, religiosus, iussus est a superioribus 595 ut se totum tradat peculiari sectioni theologiae colendae atque tironibus docendae. Saepius attamen dolet quod

i S. Thomas, 1. c., 167, 2, 3m.

a id., ib., I, 23. 3, 3m.

nec ad predicandum nec ad alius argumenti cognitionem tempus ei suppetat, sed constanter, per annos atque annos, in una illa sectione teneatur.

Sol.—Ne indolescat Gerinus: felix necessitas quae ipsum ad meliora compellit. Specializatio, ut dicitur, hodie maxime est necessaria: generalis enim cultura media est nunc superior quam cultura fuerit acti temporis. Porro specializatio non modo a neglegentia sed etiam a curiositate animum elongat: requirit applicationem vehementem atque protractam; frenat quoque desiderium sciendi et vitat plurimas distractiones, quibus subsunt sive discurrentes de uno in alium locum ut Dei verbum praedicent, sive vacantes omnis generis libris et articulis ut notitiam universorum superficiale habeant. Cogitet Gerinus indefessos labores hominum qui vacant speciei propagationi: renuntiant patri et matri ut adhaereant uxori; tota ipsorum cogitatio est de filiis enutriendis, fovendis et ditandis. Sint hi aliis hominibus in exemplum «qui hoc officium assumpserunt ut contemplationi vacent, et bonum spirituale quasi quadam spirituali propagatione in alios transmittant», prout D. Thomas loquitur ‘.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedat: Legens libros romanenses (II, 451).

V. LUSORIA CORPORIS EXERCITIA PERICULOSA

Doctrina.

596 Exercitia corporis lusoria seu sportiva, ut hodie nuncupantur, obtinent finem immediatum modo delectatio-

» S. Thomas, l. c., II-II. 142, 1, 2m.

nem—quietem, relaxationem, gaudium—sive ludentium sive adstantium, modo autem utilitatem tum propriam, ad obtinendam, protegendam, augendam convenientem dispositionem directe quidem corporis—sanitatem, vigorem, agilitatem, pulchritudinem—, indirecte fortasse et animi—qui inde assuescit conatui, disciplinae, perseverantiae, etc—, tum insuper alienam, ad probandam puta et celebrandam excellentiam instrumentorum—v. gr. animalium, ut in cursibus equorum, vel machinarum, ut in agonibus automotoriis—. Qui pro aliis ludunt, lucro saepe moventur.

Haec corporis exercitia sunt, in genere, licita, prouti licitum est non dumtaxat favere animi relaxationi necessariae aut utili, bonae dispositioni corporis, rectae formationi characteris, industrial! progressui, sed et agere quoque propter lucrum¹. Immo, quoniam, praeter vires corporis, promovent, ut plurimum, patientiam, oboedientiam, mutuam inter ludentes amicitiam et revocant a mollitie, ignavia, vita licentiosa².

Dum fiant attamen consone ad morum regulas et

¹ «Lucrum, quod est negotiationis finis, etsi in sui ratione non importet aliquid honestum vel necessarium, nihil tamen importat in sui ratione vitiosum vel virtuti contrarium. Unde nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem finem necessarium, vel etiam honestum. Et sic negotiatio licita reddetur. Sicut cum aliquis lucrum moderatum, quod negotiando quaerit, ordinat ad domus suae sustentationem, vel etiam ad subveniendum indigentibus; vel etiam cum aliquis negotiationi intendit propter publicam utilitatem, ne scilicet res necessariae ad vitam patriae desint, et lucrum expetit non quasi finem, sed quasi stipendium laboris» (S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 77, 4).

- «Maximi momenti est, quod sport evadere potest remedium contra sensualitatem et regulator evolutionis normalis vitae sexualis iuvenum. Non solum indirecte hoc efficit, sell, per avocationem phantasiae et attentionis a cogitationibus et rebus venereis et per educationem confirmationemque voluntatis; sed etiam positive et biologice. Defatigatio enim exercitatione quotidiana vel saltem frequenti orta et beneficis somnus, qui illam sequitur, limitant vel tollunt functiones praesertim vero excitationes innaturales et anormales organorum sexualium» (Fodor, *Christiana cultura corporis cum speciali respectu ad modernum sport*. Claudiopoll. 1947. p. 95).

ideo: *a)* ex parte causae, ne fiant ob pravum finem, puta avaritiam—facilem nunc temporis in ludis sportivis professionalibus—, vel vanam gloriam—in amatoriiis quoque frequentem propter serpentem corporis glorificationem—; *b)* ex parte actus, ne obstent officiis individualibus, familiaribus, socialibus, religiosis *c)* ex parte effectus, denique, ne sint noxia vel periculosa animae, sive ludentis sive proximorum—ne videlicet pudorem laedant, pravos instinctus excitent, v. gr. propter nuditatem vel contactum—, immo vel corpori—vitae vel sanitati, nempe.

597 Iam diximus (II, 261) ex causa tantum proportionate gravi licere se vel alium mortis exponere discrimini; tres etiam signare Auctores rationes sufficientes, bonum scilicet virtutis, bonum publicum seu commune et necessitatem artis exercendae. Novimus quoque (II, 262) rationes sufficientes ubi periculum instet proximum, sufficere a fortiori ubi periculum vel arte vel peritia remotum fiat; in definiendo, denique, periculo proximo aut remoto oportere saepius attendere ad peritorum seu professionalium sententiam.

Casus primus.

598 Thespesius erat juvenis actioni catholicae adscriptus, sed taurorum agitationibus se dicavit, in patria celebratis, atque in arte taurina sic profecit ut inter coetaneos sit nominatissimus.

Licet ipse aliquantulum declinaverit a praxi religiosa,

1 «Rendete in primo luogo a Dio l'onore che gli è dovuto, e soprattutto santificate il giorno del Signore, poichè lo sport non eslime dagli obblighi religiosi... Parimenti il quarto comandamento, espresslone e tutela dell'armonia intesa dal Creatore in seno alia famiglla, ricorda la fedeltà agli obblighi familiari, i quali debbono anteporsi allé credute esigenze dello sport e delle associazioni sportive» (Pius XII, alloc. *De ratione sport et educationis physicae*, 8 nov. 1952; AAS, 44 [1952], p. 875).

nihilominus bonus iuvenis permansit. Cum callidam bestiam recens provocaret, ab ea impetitus est et in summo vitae positus discrimine.

Valde commotus ob inopinatum hunc eventum, a confessario postulat num ipsi liceat susceptum prosequi lubricum institutum.

Solutio

Duo in casu signantur Thespesio facietenus adversa: 599
quod aliquantulum declinaverit a religiosa praxi et quod in praecipiti fuit recens eius vita.

At utrumque distinguamus oportet.

Si Thespesium professio taurina praepediat a praxi religiosa obligatoria—v. gr. ab audiendo sacro diebus dominicis et festivis—, confessarius eum cogat ut ipsi vale dicat. Si eum, contra, prohibeat a sola praxi religiosa supererogatoria—v. gr. a publica in ecclesia Rosarii recitatione—, confessarius ne imponat, ex hoc capite, opus susceptum deserendum. Et hic sensus, in casu, probabilior, cum in Thespesii laudem adiciatur «nihilominus bonus iuvenis permansit».

Qui contigit eventus luctuosus potest forsitan illius 600
temeritati tribui ad opinionem unius plebis atque ad opinionem quoque professionalium. Si primum dumtaxat, non est Thespesius carpendus quasi temerarius: ars, peritia, consuetudo reddunt facillima quae imperitis et inexpertis impossibilia sunt. Si alterum quoque, Thespesius est de temeritate reprehendendus.

Quin propterea arcendus sit arena. Nam si quidem talis esset indolis ut passim seu frequenter inconsiderate se exponeret periculis—ad obtinendum puta popularem plausum—nec spes emendationis ulla, prohibendus certo certius foret ne pergat in suscepto instituto; si agit, contra atque ut plurimum, prudenter—de facto incolumis

hucusque evasit per longa experimenta quibus nomen sibi praeclarum conciliavit, ipseque recens casus inopinatus dicitur—, confessarius ipsum permittat artem taurinam exercere, cui profecto non sunt pericula maiora quam nonnullis aliis, hisque nullibi reprobatis immo et laudatis exercitiis; si quondam inopinatum aliquod contingit, hoc quidem dandum est vel temeritati ludentium, qui non adhaerent regulis artis, vel incertitudini providentiae nostrae, cum prudentia conflatur experiētiis \ Periculum expertus, Thespesius noster, cautior cum evaserit, ab eo longius in posterum discedet.

A l i i c a s u s .

601 *C. II.*—Non parum angitur confessarius Protolicus cum paschali tempore accedunt viri atque mulieres circensibus ludis se periculo mortis committentes; nescit etenim num eos arguat de peccato gravi.

Sol.—«Graviter peccant illi qui levibus de causis se coniciunt in discrimen mortis, quales sunt funambuli, in altissimis locis super funem deambulantes, corpusque volutantes, et alii similes circulatores; nisi viribus et dexteritate adeo polleant, ut prudentis arbitrio non sit probabile periculum mortis». Ita Aertnys-Damen 3.

1 «Accidit de facto quod Princeps Hispaniae habens cervam parvulam sibi domesticam quasi catellam, aborta fuerit ex timore canum insequentium cervam illam fugientem ad solitum gremium dominae suae. Fuit autem casus non solum ab ipsa puella inexcogitatus, sed a tot principibus et viris qui Principis curam habebant aut ei assistebant, et ex ea regni successorem expectabant. Et tamen post factum omnes dicimus quod debuerat caveri ne in locum ubi venatici canes adessent, illa iret cum cerva... Et hoc dixerim ut in casibus distinguatur quod post factum, experientia prudentiores facti, faceremus; et quid inexperti fecissemus. Neque enim exacta diligentia exquiratur qualis a summa prudentia emanare posuisset: sed quae a communiter prudentibus emanare consuevit in huiusmodi negotiis» (Caietanus, in *II-II*, 64, 8, n. 2).

2 Aertnys-Damen, *Th. Mot.*, I, 567, ed. 1939.

C. III.—Auxentius vacat montanis etsi periculosis ascensionibus quod primi qui cacumina superant magna gloria et honore decorentur. Estne ratio sufficiens? 602

Sol.—Negative. «Vita est maius bonum quam bona temporalia, inter quae gloria, honor et fama reponuntur. Cuncta enim quae habet homo, pro anima sua dabit: omnia siquidem illa ordinantur ad vitam humanam sicut ad finem... Unde non solum qui se interficiunt, sed qui sine alio titulo ponunt vitam in magno periculo propter gloriam humanam, graviter delinquant». Sic Vitoria \

C. IV.—Rutilus, certaminum gymnycorum praeceptor, exercitia quamvis periculosa laudibus extollit quod corporis evolutioni ipsa subiaceat intellectualis vel moralis hominis perfectio: Mens, inquit, sana in corpore sano. 603

Sol.—Licet optandum sit hominem esse sanum mente et corpore, non oportet tamen aestimare sanitatem mentis allegatam corporis sanitati: historia atque quotidiana experientia plurima exempla profert virorum et feminarum corpore imbecillum, animo tamen fortium et illustrium 2.

C. V.—Orentius, artis gymnasticae magister, discipulos excitat ad corporis exercitia lusoria omnis generis: haec enim exercitia saluti conferunt atque organicae 604

1 Vitoria, rei. *De homicidio*, n. 36; ed. 1765, p. 420.

2 «Mentre ci auguriamo che l'antico adagio *Mens sana in corpore sano* divenga sempre più largamente la sorte della presente generazione, è dovere di tutti soffermarsi con speciale e pietosa attenzione su quei casi, in cui il destino terreno è diverso. Tuttavia la dignità umana, il dovere e il suo adempimento non sono legati a quel detto. Numerosi sono gli esempi che presenta la vita di ogni giorno, oltre a quelli disseminati lungo il corso della storia, i quali dimostrano come nulla vieta che un corpo infermo o minorato possa albergare un' anima sana, talvolta grande, perfino geniale ed eroica» (Pius XII. alloc, supra (596n) citata; AAS, 44 [1952], p. 874).

perfectioni; quod est quibusdam vitae discrimen parvi aut nihili reputandum.

Sol.— Orentius inconsulte loquitur; quo modo enim possunt conferre saluti et perfectioni corporis quae exercitia dicuntur corporis laesiva et mortis causae?

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: In competitione currens cum automobili et occidens vetulam et gallinas (I, 118-20); De montium ascensione periculosa (I, 162-6).

1 «E' da escludere subito una delle cause scusanti più comunemente addotte: il preteso beneficio per la salute e per la perfezione organica. E' infatti assurdo voler cercare un vantaggio per la sanità del corpo in esercizi che ne possono compromettere la integrità e perfino causare la morte» (Roberti, *Dizionario di teol. morale*, v. Sport pericolosi, p. 1301).

INDEX AUCTORUM

*Citantur numeri marginales.
Littera n notam indicat adiectam numero.*

- Aertnys - Damen, 26n, 133n,
140n, 156, 182, 184, 188,
244n, 264n, 282, 347n, 359n,
365, 377, 379, 391, 426, 454,
464n, 492, 601.
Alexander VII, 47.
Alexander VIII, 50.
Alphonsus (S.), 54, 64n, 312,
359n, 360n, 367n, 407, 502.
Ambrosius (S.), 292.
Antonelli, 133n, 144n.
Aristoteles, 586.
Augustinus (S.), **III**n, 222,
315n, 322, 409, 525, 549, 558,
574, 575.
Bacci, 312.
Balmes, 582.
Bender, 48.
Benedictus XIV, 522n, 523,
527.
Bernardus (S), 584, 585.
Beschinn, 207.
Billuart, 31, 72n, 73n, 75n,
106, 112, 157n, 204, 248, 250n,
259, 260, 262n, 335n, 343,
462, 466, 467, 515, 541, 544,
551, 555.
Bon, 400.
Bucceroni, 96, 110, 134n, 176,
205, 273, 293, 419, 473, 494.
Caietanus, 20, 30n, 55, 286n,
385, 391n, 411, 414, 414n,
418, 457, 461, 533n, 540, 545,
545n, 546, 547, 568, 569,
600n.
Capizucchi, 529, 531.
Cappello, 115n.
Cicero, 1, 590.
Creusen, 400.
Damen, 367, 368n, 375, 376,
377n. v. Aertnys-Damen.
Eschbach, 137n.
Eula, 237.
Fanfani, 34, 75n, 98, 107,
IIIn, 118, 148n, 155, 165,
168, 174, 187, 196n, 219, 258,
303, 342, 354, 361, 374, 388n,
475, 482, 492.
Ferrariensis, 554.
Ferrerres, 109, 109n, 137, 198,
215, 220, 224n, 283, 300n,
305, 359n, 363, 396, 403,
417n, 464n, 474, 538, 571.
Fodor, 596.
Gemelli, 400n, 401n.
Genicot, 45, 144n, 154, 168n,
175, 206, 275, 284, 301, 306,
338, 350, 397, 439, 492n, 519.
Gonet, 561.
Grandori, 399n.
Gregorius (S.), In, 539, 569n.
Hieronymus (S.), 1.
Hieronymus a Parisiis, 97.
Hugon, 29n.
Innocentius XI, 42, 47, 50,
228, 238.
Ioannes Clymacus (S.), 536.
Kenrick, 145n.
Kosnik, 557n.

Larraga, 47, 195, 218, 239.
 Lehmkuhl, 347n.
 Lohner, 359n.
 LOPE2 (B.), 217.
 Lopez (U.), 60.
 Lumbreras, 249n, 309.

Mainage, 423n.
 Mancini, 502n.
 Marc, 74n, 75n, 80, 112, 182,
 188, 274n, 297n, 346, 357,
 376n, 380n, 388, 416n, 431n,
 432n, 433n, 446, 446n, 467n,
 485, 493n.
 Merkelbach, 26n, 108, 118, 129,
 133, 13411, 135, 140, 142, 143,
 144, 144n, 145, 146n, 160,
 164, 186, 194, 199, 203, 262,
 277, 346n, 350, 397, 412n,
 469, 471, 480, 493n.
 Moretti, 141, 433.

Noldin, 144n, 199, 346n, 369,
 379, 415, 433n, 454n, 477.

Omez, 422n, 423n.

Paban, 153.
 Palazzini, 197, 281, 502n.
 Passerini, 364.
 Peinador, 20, 56.
 Piscetta-Gennaro, 199, 199n,
 214.
 Pius XI, 125, 134, 158, 467n,
 591.
 Pius XII, 125n, 126n, 159n,
 16011, 555, 557n, 558, 558n,
 561n, 596n, 603n.
 Prümmer, 24n, 73, 75n, 85n,
 138, 145n, 152, 166, 183, 185,
 204n, 226, 238, 274, 276,
 33511, 341, 346n, 357, 359n,
 361, 368, 376, 387, 391, 407,
 453, 455, 459, 467, 469, 472,
 476n, 486n, 487, 493, 541.

Regatillo, 355, 362.
 Roberti, 604n.

Salmanticenses, 83, 99, 111n,
 192, 272, 335n, 351, 360,
 368n, 369, 375, 378n, 380n,
 409n, 410n, 415, 416n, 449,

478n, 484, 502, 505, 515,
 586n.

Scremin, 501.
 Séneca, 1, 569.
 Silvius, 69, 5[^]2, 551.

Tamburinus, 417n.
 Tanqueray, 497.
 Teresa (S.), 578.
 Thomas (S.), 9n, 10n, 16n,
 17n, 18n, 19, 20, 21n, 22,
 23, 49, 54, 55, 60, 64, 74n,
 111n, 116, 121n, 163, 222,
 227, 245, 247, 264n, 270, 285,
 285n, 286n, 294, 296, 302,
 309, 309n, 316, 321, 322,
 32211, 324, 325, 326, 327, 330,
 344, 345n, 390, 391n, 394,
 398, 41411, 415n, 416, 437,
 441n, 450, 455, 455n, 457,
 460, 461, 469, 486, 505, 507,
 525, 533, 536, 539, 543, 54311,
 546, 547, 550, 553, 557, 558,
 560, 565, 568, 570, 576, 579,
 580, 581, 583, 585, 586n,
 587n, 592, 593, 595, 596n.
 Thurston, 422n, 423n, 430n.

Vallgornera, 543.
 Van den Ecrendeemt, 44, 114.
 Vermeersch, 64n, 75n, 88, 108n,
 136, 137, 140n, 144n, 145n,
 275, 338, 346n, 368n, 411n,
 425, 426, 433n, 455, 497n,
 518n.
 Vermeersch-Creusen, 442,
 44211, 443, 443n, 447, 497, 517.
 Vicente, 319.
 Victoria Antioch., 581.
 Visser, 264n, 408.
 Vitoria, 84, 115, 120, 122, 122n,
 131, 132, 15411, 221n, 246,
 25111, 292, 41711, 448, 450,
 458, 497, 503, 522, 537, 602.

Willwoll, 392.

Ylla, 304, 331.

Zacchi, 420n, 423n, 428n, 429n.
 Zampa, 399n.
 Zigliara, 317.

INDEX RERUM

■ Citantur numeri marginales.
Littera n notam indicat adiectam numero.

- Absolvens in dubio positivo et probabili iurisdictionis, 40, 43.
Abstinencia a cibo (*hunger-strike*) ob bonum sociale, 117.
Accessio, 208-220.
Accusatus, v. Reus.
Aedificans in fundo alieno, 212-6, 218; ex alienis materiis, 218.
Aegrotus, quoad vitae assecurationem, 284, ut materia experimentorum, 124s, an eius consensu, 126.
Aemulatio, 544, 545n.
Aequiprobabilismus, 51.
Aequivocatio in verbis et factis, 503n; v. Restrictio mentalis.
Agere contra scientiam et contra conscientiam, 246.
Aggressio, v. Defensio, Occisio; aggressionem praeveniens, 153s.
Agrum, emens in quo thesaurum latere novit, 204; fodiens, inscio domino, in quo thesaurum suspicatur, 203; agri frugiferi furatus parvam portionem, 230.
Alapam retorquens, 492.
Amatoriis fabulis deditus, 592.
Amicitia, v. Susurratio.
Amputatio, v. Mutillatio.
Apes fugientes, culus sint domini, 194.
Aqua (in), v. Divinatio.
Arbor protendens ramos in vineam alienam, 217.
Artes sanitati et vitae periculosas exercentes, 118.
Astra (per), v. Divinatio.
Auctoritas publica quoad dispensationem a restitutione, 75; eius iur\$ in membra subditorum, 1251
Automotoriae competitioni deditus qui unum occidit et alium vulneravit, 599-602.
Avulsio, 208n.
Baptizans adultum sine explicita fide Christi, 40s; cum materia probabiliter valida, 40, 42.
Bilinguis, 285n.
Bona, v. Filiorum dominium, Uxorum dominium.
Caietani somnia, 414n.
Calumnia, 250; v. Detractio.
Castratio pro castitate servanda, 163.
Casulas obsoletas dans pauperi, 439.
Causae excusantes a restitutione, v. Restitutio; a restitutione famae, 261.
Certamina, pro gloria humana, 540; gymnica, 603.
Cessio bonorum, 74, 81.
Chartas (per), v. Divinatio.
Circensibus ludis addicti, 601.
Cives, quo sensu membra Republicae, 132.
Cogitationes libidinosae in ecclesia, 434s.
Cognitionem (quoad) duplex hominis inclinatio, 586n.
Columbae in alienum colum-

- barium transeuntes vel agris nocentes, 195.
- Communicatio cum spiritibus, v. Spiritismus.
- Compensatio, 75, v. Furtum; damni gravis cum culpa levi, 73; occulta, 85-99, v. Famuli, Filii, Mercatores.
- Compensationismus, 52, 59.
- Compositionis indultum, 75, 83.
- Condonatio, 75.
- Conexio virtutum in prudentia, 1-11.
- Confessarulus, appellans ad sensum communem, prudentiam, rectam intentionem, 53-5; dubitans num absolverit, 44; interrogatus a iudice, 514s; parvipendens peccata **Inanis gloriae**, 534-6, **superbiae**, 585, **pollutionis**, 556-60; plures audiens in mortali, 438; pro audiendis collegialibus petens pecuniam, 448.
- Conscientia, et prudentia, 11-23, et electio, 16n; opinativa, quomodo vertatur in certam, 36; **Incerta Insufficiens** pro agendo, 36; **scrupulosa**, 24-35.
- Consilium, quomodo determinetur, 21n.
- Cooperatio Inlusta, num tertia radix restitutionis, 61n.
- Corpus, astrale, 428n; corporis exercitia, v. Exercitia.
- Craniotomia, 141.
- Criminum occultorum revelatio, v. Detractio, Revelatio.
- Cruciata (bulla), 75n.
- Cultus religiosus publicus, 319.
- Curiositas, 87s; de factis aliorum, 592.
- Cutis portio cessione, 165.
- Daemonis pacto uti, 391n; v. Divinatio, Spiritismus.
- Damnatus, v. Reus; damnati ad mortem locum occupans, 119.
- Damnificatio inlusta, v. Restitutionis radices.
- Damnum, creditoris vel tertii excusat a restitutione, 74; damni emergentis compensatio, v. Furtum.
- Debitum solvens creditori creditoris sui, 80.
- Defectuum revelatio, v. Detractio, Revelatio.
- Defensio, sui 146-56; facile excessiva, 148n; aliorum, 148, 156; v. Occisio.
- Denuntians falso de sollicitatione, 440.
- Detractio, 249-61; peccatum periculosum, 251n; restitutionis onus, 251, 260, 290; causae a restitutione excusantes, 261; v. Susurratio, Revelatio.
- Devotio generaliter, 314 n.
- Discordias vel dissensiones seminans, 293s.
- Divinatio, 389-98; per astra, 393s; mediis certo improporionatis, 395; in aqua, 396; per chartas, 397.
- Dolens quod minus idoneis delata sint munera quae ipse sibi optabat, 544-8.
- Dolor corporis et patientia, 552.
- Dominium, v. Filii, Uxores.
- Electio, v. Conscientia, Indicium.
- Embryotomia, 133-45; quid **parocho** vel confessario agendum si medicus eam suadeat, 145.
- Ensalmus, 410n.
- Eripiens ab extremo periculo res mox perituras, 192s.
- Exercitia corporis lusoria et periculosa, 596-604.
- Falsum testimonium, v. Testimonium.
- Fama, lus ad eam, 249; eius reparatio, v. Detractio.

- Famuli, quoad furtum, 231-9; retinentes pretii differentiam, 233-7; se compensantes pro servitiis, 238; esculenta et poculenta subripiantes, 239; eorum occulta compensatio, 238; negantes dominum esse domi, 508; quoad res inventas in caupona, 196, aut in emptis pro dominis, 205.
- Fascinum, 410, 416.
- Fecundatio artificialis, 562.
- Fetus ectopicus, num aggressor inlustus, 142.
- Fidelitatis iuramentum, 387.
- Filii, 476, v. Illegitimi; eorum obligationes, 451-62; conscii iniustitiae patris, num teneantur patrem monere, num possint adire hereditatem, 65-7; an sollemniter professus teneatur claustrum exire ut subveniat patri, 456s; an patri extra extremam necessitatem subvenire debeant de superfluo vitae, 458, an teneantur de bonis suis solvere patri debita, 460; se compensantes occulte pro sacrificiis et opera, 97-98, 170-2, 176; eorum dominium, 166-76; v. Parentes.
- Finis et media in ordine intentionis et executionis, 533n.
- Fluxus electricus pro foetu occidendo, 133n.
- Fodinae, 190.
- Foveam fodiens ut inimicus cadat, 493.
- Frumenta **aliena** miscens propriis, 220.
- Furtum, 221-30; restitutionis onus, 222, 229; est minimum peccatorum **contra** Decalogum, 221n; tamen periculosum, 222; syngraphae loteriae sorte ditatae, 223-5; in necessitate, 226, 228; parvae portionis agri frugiferi, 230; v. Famuli.
- Gloria humana, v. Inanis gloria.
- Homicidium, an duplex peccatum, 111n; v. Occisio.
- Humilitas, 573-85; Sanctorum, 578-80, 582; S. Thomae, 581.
- lactantes se coram aliis, 538.
- Ignorantia, excusans a restitutione, 74.
- Illegitimi, 476; eorum iura, 477, 485; v. Parentes.
- Imaginem depingens in tela aliena, 219; imaginum in processione delatio a maiorem **stipem** offerente, 449.
- Impatentia seniorum, 553.
- Impediens, donationem, 70s; collationem beneficii, 72; a consecutione debiti ex iustitia, 72n.
- Impotentia, excusans a restitutione, 74.
- Inanis gloria, 532-40; in certaminibus, 540.
- Indicatio medica et therapeutica, 134n.
- Indignatio, 545n.
- Infans in utero num aggressor inlustus, 141.
- Innocentis occisio, v. Embryotomia, Occisio.
- Insulae efformatae in fluviis, 210n.
- Inveniens fasciculum obligationum in veste materterae defunctae, 206.
- Ira, 564s, 569s; quaenam sit moderata, 572; eius filiae, 567n, et signa, 596n.
- Iracundia, 563-72.
- ludex, quis et ad quid teneatur, 240; privata scientia conscius auctoris criminis et falsitatis testium, 243s; an teneatur sententiam ferre see. allegata et probata, 245; an tunc agat contra conscientiam, 246;

- in causis dubiis quomodo procedat, 47.
- Iudicium conscientiae, et prudentiae, 16-8, et liberi arbitrii, 16n, et electionis, 21.
- Iura auctoritatis publicae in membra subditorum, 125.
- Iure suo non utens sed manifestans voluntatem non renuntiandi, 110.
- Iuramentum, 378-88; absque animo iurandi, 384; absque intentione implendi, 386; non impletum, 386; contra consilia evangelica, 380n; cum restrictione mentali, 381-3; de puniendis filiis, 385; fidelitatis principi vel gubernio, 387; per Sanctos tripliciter, 378n; super Biblia protestantica, 388; super Koran, 388n; iuramento se lactans de peccato, 380n.
- Iustificatus (recens) num pergat esse vitiosus, 9n, 11.
- Iustitia commutativa (in) tutior pars sectanda, 46.
- Lana (ex) aliena conficiens pannum, 220.
- Laudem quaerens et tribuens ob victoriam in duello, 537.
- Laxismus, 50.
- Legitimatlo illegitimorum, 476n.
- Lex an obliget insufficienter promulgata, 56, vel dubia, 60.
- Libidinosus cogitationibus et stimulis vacans in ecclesia, 434s.
- Loteriae syngrapham, furatus sorte ditatam, 223-5; colligens proiectam, 198.
- Lucrum, 596n; lucris cessantibus compensatio, v. Furtum.
- Ludimagister facilis ad iram, 566-8.
- Magistratus, v. Iudex.
- Magnanimitas, 532.
- Mappas altaris adhibens ad convivii mensas operiendas, 439.
- Maritus, dissipans communia bona, iuxta legis tamen concessionem, 186; inconsulta uxore alienans bona dotalia aut male Impendens horum fructus, 187; v. Parentes.
- Martyrium, 521-31; oblatio spontanea, 522n; Stae. Mariae Goretti, 524-6; num illud censetur acceptare qui Christiane vivit, 531; missionaril occisi in odium fidei dum somnum capiebat, 530.
- Masturbatio, v. Pollutio.
- Mater, v. Parentes.
- Media, v. Finis.
- Medicus, quoad remedia adhibenda, 48; suppeditans medicamenta paucis ex aegrotis, 123-8; revelans perditos mores aegrotorum, 278-80, 283; conscius aegritudinis eius qui vult vitam assecurare, 284; subalterni oboedientia primario, 128.
- Mendacium, 496-509; officiosum pro vitando damno gravi, 505; an eligendum instar minoris mali, 507; matris ad protegendos filios contra iracundiam patris, 506; v. Restrictio mentalis.
- Meretrices, negantes se habere quae emptores petunt, 509; eorum compensatio occulta, 98; praxis damnanda, 232.
- Montanis ascensionibus vacans, 602.
- Mortis vel aegritudinis periculum, v. Periculum.
- Mutilatio, 157-65.
- Mutuum, pro vitanda morte, 227; v. Tituli, Usura.
- Naufragantium res an derelictae, 192.
- Navis praefectus manens in

- navi quae **demergitur**, 113-5.
- Neglegentia, 587.
- Nemesis, 545, 547.
- Obligatio obiective incerta an subiective nulla, 57.
- Oboedientia, medici subalterni primario, 128; filiorum, 453-5.
- Observantiae vanae, 409-19.
- Occisio, innocentis, 121-32; obsidis, 130; invasoris pudicitiae, 152; aggressoris iniusti materialiter, 152; v. **Defensio**, **Embryotomia**, **Suicidium**.
- Occupatio, 188-98.
- Oculis lascivis contuens feminas in ecclesia, 434s.
- Ominosa (male), 410, 417.
- Omissionem sive administrationis sive receptionis sacramentorum vendere, 446.
- Opinio probabilis, noxia et innoxia, 37; an eam sequi liceat, 38; v. **Probabilitatis systemata et usus**.
- Oratio, 320-31; in ea petenda, 322, an detrahat divinae voluntati, 323-6; ad Sanctos Ordinis, 328, ad Sanctos **minus** excellentes, 329, ad animas purgatorii, 330; superstitiosa, 331, 418.
- Paenitens num teneatur stare iudicio confessarii in materia restitutionis, 84.
- Parentes, eorum obligationes, 463-75; in **genere**, 463; quoad educationem religiosam et civilem, 464s; quoad status filiorum electionem, 466-70; quoad scholas, 471; quanto tempore tenentur filiis subministrare necessaria, 472; incuril de filiis, 474; quoad filium antipathicum, 473; num possint filios exheredare, 475; obligationes quoad filios illegitimos, 476-85; ad quid teneatur mater quoad adulterinum, 479-81; pro expensis ob adulterinum domi educatum, 482; pro educato in hospicio, 484; quae possint spuriiis <Jare, 483; v. **Voti irritatio**.
- Parochus bis litans in dominicis pro stipendio, 447.
- Patientia, 541-53, et longanimitas, 550, et tristitiae signa externa, 551, et dolor corporis, 551.
- Peccati conscientia et status, 29n; peccatorum reliquiae penes iustificatum, 10η.
- Per se et per accidens in actibus humanis, 554n.
- Periculum mortis, proximum et remotum, a quo definiendum, 598; parvipendens, 606; periculo mortis se vel alios exponere, 597.
- Philiooi Nerii (S.) praxis, 312n.
- Plastica operatione corruptionem occultans sponso, 499-504.
- Pollutio voluntaria, 554-62, in luvenibus, 556-9, in recens viduis et in longinquis ab uxore, 560; pro detegendo et curando morbo Blenorragia, 561; pro fecundatione artificiali, 562.
- Possessio iniusta, 62.
- Possessor bonae fidei, 62. 68: dubiae fidei, 63, 69; malae fidei, 62.
- Praegnationis signa, 137n; in extrauterina num saccus fetalis aequiparandus sit organo corrupto, 143.
- Praescriptio extinctiva, 100-110.
- Probabilismus, 51.
- Probabilitas, quid, 36; v. **Opinio**; eius systemata, 49-60; eius usus, 36-48.
- Principia reflexa, 49; eorum usus, 39.
- Promissio, 332n.
- Prudentia eiusque actus, 14-

- 15; élus indicium, 16-8; in peccatoribus, 19; sine consilio, 20; ditatur experientia, 600; eius cognatio ad conscientiam, v. Conscientia; in ea conectuntur virtutes ceterae, v. Virtutum.
- Psycho-analysis, 264n.
- Puella, se gratiosorem exhibens ut sibi devincat alterius amasium, 292; operatione plastica occultans corruptionem sponso, 499-504; num possit iuramento occultare suam corruptionem, 381-3.
- Puerum transfodere quem iniustus aggressor ante se ponit, 129.
- Purgatorii animas (oratio ad), 330.
- Radiaesthesia, 399-408; fiducia in ea, 401; critérium pro iudicando recto usu eius, 408.
- Rationis speculativae et practicae perfectio, 17n.
- Recidivus dubitans de religionis efficacia, 311-5.
- Religio, eius momentum et efficacia in vita morali hominum, 307-19; religione carentes num servant suas obligationes erga proximos, 318; tr. de religione in D. Thoma, 316.
- Restitutionis radices, 61-73, v. Possessor; causae a restitutione excusantes, 74-84; in materia restitutionis num paenitens teneatur stare iudicio confessarii, 84.
- Restrictio mentalis, 510-20.
- Revelatio defectuum occultorum an unquam licita, 252; criminum occultorum accusatoris et testium, 257; defectuum animi et corporis naturalium, 258; acceptae iniuriae consolationis causa, 259; v. Detractio, Secretum.
- Reus, quis eiusque officia, 241; negans, 243-4; luste damnatus ut fame pereat, 247; falso accusatus qui posset calumnia se defendere, 528; v. Revelatio, Restrictio mentalis.
- Saccus fetalis in conceptione extrauterina num aequiparandus organo corrupto, 143.
- Sacerdos ad mortem quaesitus et in publicum diversorium se recipiens, 149-51.
- Sacrilegium, 431-40; et simonia, 441n.
- Sanctorum humilitas, 578-82.
- Sanguinis portionis cessio, 165.
- Scientia speculativa et practica tripliciter, 17n.
- Scrupulosus, quoad omnia aut pauca, 24n, 26n; non audens agere contra scrupulos, 31; obiciens confessarium fallibilem, 32; anxius de confessionibus anteactis, 34; timens de defectu attentionis et integritatis confessionis, 35; tractandus ut aegrotus, 26n; v. Conscientia scrupulosa, Scrupulus.
- Scrupulus, 24-26; v. Conscientia scrupulosa, Scrupulosus.
- Secretum quid et quotuplex, 262; unde obliget, 263; commissum, 262-73; condiciones servandae in eius manifestatione, 265; revelatio ad impediendum publici muneris collationem, 266-9; ab interrogato in iudicio, 270; ad impediendum damnum grave innocentis, 271; pro correptione, 272; medicina nota sub secreto commisso, 273; professionale seu ex officio, 263,

- 274-84; quid agendum si revelandum, 282.
- Seniorum impatientia, 553.
- Simonia, 441-50; in genere, 441n; simoniacum pretium num dandum pauperibus, 450; et sacrilegium, 441n.
- Sollicitatione (de) falso denuntians confessarium, 440.
- Somniis duci in agendi ratione, 413-5.
- Sortes, 390, 398.
- Species sacras adducens in finem turpissimum, 436.
- Spiritismus, 420-30.
- Sterilizatio abnormaliter erotici, 164.
- Stipem pro missae celebratione exigere supra taxam dioecesanam, 444s.
- Studiositas, 586-95.
- Suicidium, 111-20; an duplex peccatum, 111n; num actus deliberatus, 111n; ad vitandum stuprum, 116; ob bonum sociale, 117; locum damnati ad mortem sponte occupans, 119; in communi necessitate cedens panem alteri, 120.
- Susurratio, 285-94.
- Systemata probabilitatis, v. Probabilitatis.
- Tempus, an sacrum, 431n.
- Testimonium falsum, 242; eius reparatio, 242; alienum, quod sit maioris ponderis, 264n.
- Testis, quis, 242; ad quid teneatur, 242, 270; negans se reum scire, 243s, 248; non se sponte offerens, se occultans, fugiens, 248.
- Thesaurus, 199-207.
- Thomas (S.), quare nullibi dixit conclentiam esse actum prudentiae, 23; quem locum dedit tr. de religione, 316; cur contempsit propria scripta, 581.
- Timor, 544.
- Tituli mutuo extrinseci, 297.
- Torquem auream Inventam emens pro domino, 197.
- Traditio Innocentis ad liberandum regnum, 131 s.
- Transplantatio renis vel cornuae oculi, 159 s.
- Tutorismus, 50.
- Usura in mutuis, 295-306; usuras dans sponte, tamen ex timore, 303.
- Uxores; earum dominium, 177-87; debitum viri subscribentes absque sollemnitate, num teneantur solvere ex bonis dotalibus, 179-82; inconsultis vel invitis viris sumentes ex communibus bonis, 183-6; v. Parentes, Voti irritatio.
- Velivolantes se praecipites, deicientes in naves hostium, 113-5.
- Verecundia, a quibus maxime, 264n.
- Vestis pretiosa num signum vanae gloriae, 539.
- Vindicatio, 486-95; **virtus**, 487.
- Vindicta, quid, 486; privata, 488-95; eam petere in tribunalibus, 487.
- Virga divinatoria, 400, 407.
- Virginitatis reparatio, v. Plastica.
- Virtus et vitium, 3; perfecta et imperfecta, 2; infusa et acquisita, 4, 10; virtutum in prudentia conexio, 1-11.
- Vitae sufficientia, 322.
- Vitiosus recens iustificatus, 11.
- Vitium, 3; et virtus sive acquisita sive infusa, 9s; penes recens iustificatum, 9n.
- Votum, quid, 332; condiciones, 333-5; pristini confirmatio, 369n; virginitatis emissum a puella 13 annorum, 336-9; castitatis observatu, ut dicitur, impossibile, 340;

non amplius peccandi, 341;
 non vovendi, 342; sub con-
 ditione, 343; de re vana,
 344; reservatum necne, 366;
publicum et privatum,
 433n.

Voti dispensatio, 366.

Voti interpretatio, 356-65; vo-
 vens monasterium ingredi
 sed dimissus, 361; ieiunium
 quod difficile redditur ac
 in diebus festis, 358-60;
 temporaneum renovatum
 sine limite temporis ob er-
 rorem, 362; ieiunii quoad
 sexagenarium, 363; de ser-
 vanda **Regula** religiosa,
 364; emendationis, 365.

Voti irritatio, 367; a superio-
 ribus ecclesiasticis, 368; ab
 aliis, 369-72, 377; ab igno-
 rante votum specificum,

375; sine causa proportio-
 nata, 376; votum non am-
 plius nubendi, 373; perfe-
 ctæ et perpetuæ castita-
 tis emissum ante annum
 decimum octavum sed re-
 novatum postea, 374; no-
 vitiorum, 368n.

Voti obligatio, 345-55; quæ
 sit, 345s; voti publici, 346n;
 coalescentia omissionum
 partialium, 347; materia
 parva, 347n; post tempus
 definitum, 348-50; sub con-
 ditione voluntarie impedi-
 ta, 351; disiunctivum, 352;
 impletionis **tempus**, 353;
 emissum a rectoribus com-
 munitatum, 354; oboedien-
 tiæ ad confessarium, 355.

Zelus, 545s.

Colección «SCIENTIA»

- A.—Pedro Lumbreras, O. P.: *Proelectiones scholasticae in secundam partem D. Thomae*. 12 tomos.
I. *De fine ultimo hominis*.—II. *De actibus humanis*.—III. *De habitibus et virtutibus in communi*.—IV. *De vitiis et peccatis*.—V. *De lege*.—VI. *De gratia*.—VII. *De fide*.—VIII. *De spe et caritate*.—IX. *De prudentia*.—X. *De iustitia*.—XI. *De fortitudine et temperantia*.—XII. *De statibus hominum variis*.
- B.—Abârzuzza-Iragui, O. F. M. Cap.: *Manuale theologiae dogmaticae*.
I. *Theologiae fundamentalis*.—II. *De Deo Uno, Trino, Creante, Elevante ac de Novissimis*.—III. *De Verbo incarnato, de Bta. Virgine Maria. De Gratia Christi et de virtutibus infusis*.—IV. *De Sacramentis in genere et in specie*.
- C.—Pedro Lumbreras, O. P.: *Casus conscientiae*.—Vol. I. *De principiis*.—Vol. II. *De Virtutibus theologicis*.—Vol. III. *De virtutibus cardinalibus*.
- 1.—Lârraga-Lumbreras, O. P.: *Prontuario de Teologia moral*.
 - 2.—Lârraga-Lumbreras, O. P.: *Epitome de Teologia moral*.
 - 3.—Gonzalez, Cap.: *Institutiones de Filosofia neoescolâstica*.
I. *Logica*.—II. *Critica*.
 - 4.—Dautals: *Breve tratado de Moral social*.
 - 5.—Gabino Marquez, S. J.: *Filosofia del Derecho*.
 - 6.—Gabino Marquez, S. J.: *Los juristes alemanes al alcance de los estudiantes*.
 - 7.—Gabino Marquez, S. J.: *Doctrina de la Iglesia sobre el derecho de enseñar*.
 - 8.—Lumbreras, O. P.: *Casos y lecciones del «Quijote»*.
 - 9.—Nazario de Santa Teresa, C. D.: *Filosofia de la mística*.
 - 10.—Casas, O. P.: *Instruction sobre los votos religiosos y el oficio divino*.
 - 11.—Gallego, O. P.: *Buda y el budismo*.
 - 12.—Sertillanges, O. P.: *El orador cristiano*.
 - 13.—Alonso Lobo, O. P.: *Laicologia y Action Católica*.
 - 14.—Ramirez, O. P.: *El Derecho de gentes*.
 - 15.—Delgado Varela, O. M.: *La Eucaristia, misterio de la vida*.
 - 16.—Alvarez de Linera: *Dudas y fe*.
 - 17.—Gonzalez, C. M. F.: *El instinto intelectual fuente del conocimiento*.
 - 18.—Spiazzi, O. P.: *Esencia y contemporaneidad de la Iglesia*.
 - 19.—Basilio de San Pablo, O. P.: *El misterio de nuestra redentiôn*.
 - 20.—Jean Mouroux: *Sentido cristiano del hombre*.
 - 21.—Gregorio Armas, O. S. A.: *La moral de San Agustin*.
 - 22.—Lumbreras, O. P.: *Honradcz y prosperidad*.
 - 23.—Lumbreras, O. P.: *La obediencia*.
 - 24.—Fernandez Landa: *Tratado de Apologética*.
 - 25.—McFadden, O. S. A.: *Etica y medicina*.

- 26.—Lumbreras, O. P.: *Psicología de las pasiones.*
- 27.—Michel: *Ninos que mueren sin bautizar.*
- 28.—Lhermitte: *Misticos y falsos misticos.*
- 29.—Fabbi: *La confesiôn de los pecados en el cristianismo.*
- 30.—Fanfani, O. P.: *Tcologia para seglares (4 vols.).*
- 31.—Femânde, C. M.: *De confesariis filiarum caritatis.*
- 32.—Fernânde, C. M.: *La Administration econômica de las religiosas.*
- 33.—Dom Juan Antonio Pascual de Aguilar, Benedictino: *El misterio liturgico de la Semana Santa.*
- 34.—Victor Marcozzi, S. J.: *Los origenes del hombre. (Ediclôn ilustrada.)*
- 35.—Eustaquio Guerrero, S. J.: *Reflexiones sobre la previa censura civil.*
- 36.—Santiago Leoz Cendova: *Ante la segunda revoluciôn técnica. Productividad, dignidad de la persona y relaciones humanas.*
- 37.—Victor Marcozzi, S. J.: *El hombre en el espacio y en el tiempo. (Ediciôn ilustrada.)*
- 38.—Dom Juan Antonio Pascual, O. S. B.: *Liturgia y vida cristiana.*
- 39.—Jiménez Fajardo: *El seminarista y la pureza.*
- 40.—Victor Marcozzi, S. J.: *El hombre en el espacio y en el tiempo. (Esquemas de Antropologia.)*
- 41.—Clemente Sanchez Sanchez: *Selection y formaciôn de aspirantes al sacerdotio.*
- 42.—Manuel Mosquero, S. J.: *Via crucis sacerdotal.*
- 43.—Pier Carlo Landucci: *Cien problèmes de fe.*
- 44.—Hugo Sciascia: *Nuestra misiôn en el mundo.*
- 45.—Vicente Hemdndez: *El baile. (Moral y Pastoral.)*
- 46.—Ubaldo Casanova: *Ortega, dos filosofias.*
- 47.—Remirez Muneta: *La oratoria sagrada.*
- 48.—Henry Simoneaux: *Direction espiritual y diversidad de caractères.*
- 49.—Pedro Llamas, Pbro.: *Nuevo manual de sacristanes.*
- 50.—Eustaquio Guerrero, S. J.: *La libertad religiosa y el estado católico.*
- 51.—Giovanni Barra: *Por qué soy sacerdote.*
- 52.—Raimundo Spiazzi, O. P.: *Los fundamentos teológicos dei ministerio pastoral.*
- 53.—Jorge Siegmund : *La lucha en torno a Dios.*
- 54.—Denys A. Gonthier: *El drama psicológico del «Quijote».*
- 55.—Edward Robert Moore: *Un sacerdote en Broadway.*
- 56.—Bernard Philbert: *Profecias cristianas y energia nuclear.*
- 57.—Ricardo Râbanos: *El pastor biblico.*

